P. CORNELII TACITI

OPERA.

EX VETVSTISSIMIS CODICIBVS A SE DENVO
COLLATIS, GLOSSIS SECLVSIS, LACVNIS RETECTIS,
MENDIS CORRECTIS

RECENSVIT

FRANCISCVS RITTER.

MDCCCLXIIII.
LIPSIAE: W. ENGELMANN.

PRAEFATIO.

Criticum instrumentum, quo fretus adiutusque scripta Cornelii Taciti ad pristini nitoris elegantiam et ad eam quae olim obtinuit concinni sermonis gravitatem et constantiam reducere aggressus sum, codicibus continetur qui deinceps describuntur.

1. Codex *Mediceus prior*, saeculi VIIII liber, primus in pluteo sexagesimo octavo bybliothecae Laurentianae in civitate Florentinorum, post mortem Leonis X (1. die Decembris a. 1521), qui Mediceus fuit, in bybliothecam gentis Mediceorum Florentinam, iam tum inclitam, illatus. Est liber membraneus, forma fere quadrata, bene ac luculente scriptus et optime conservatus. In eius margine notatae sunt correctiones Philippi Beroaldi iunioris, nonnullae post Beroaldum ascriptae. Olim duplo maior fuit: primus enim fasciculorum qui vocantur quaterniones numero XVIII notatur, postremus XXXIIII. Folia habet scripta 137. Supersunt enim fasciculi (quaterniones) XVII, quorum sedecim primi octonis foliis constant, septimus decimus septem folia continet, unde 135 folia colliguntur. His succedunt duo folia separata, quorum prius est integrum, alterius quarta fere pars abscisa et prior tantum pagina conscripta est. In primis undecim quaternionibus singulae paginae continent versus 24, in ceteris 25, duorum in fine foliorum pagina prima et secunda versus 24, tertia versus 18. Signa-

Mediceus prior

tura fasciculorum duplex est, posterior I—XVII, prior XVIII—XXXIIII. In illa deest I (18), incipit a II, tum abest VIIII, X, XI, XII, XIII, XIIII, XV. Post Beroaldum, qui ex hoc libro sex vel, ut in codice est, quinque Annalium libros primus edidit, collatus est a Curtio Pichena, Iacobo Gronovio, Francisco del Furia, a I. G. Baitero, a me anno 1857.

Hunc saeculi noni, non decimi undecimive, librum Ruodolfus, coenobii Fuldensis presbyter et monachus saeculo nono, vir illa aetate egregie doctus, qui Annalium Fuldensium a pluribus auctoribus conscriptorum partem annis 838—863 destinatam confecit, sua manu versavit et ad annum 852 haec scripsit (v. Pertzii Monumenta Germaniae historica vol. I p. 368): *igitur in loco qui appellatur Mimida* (Minden), *super amnem quem Cornelius Tacitus, scriptor rerum a Romanis in ea gente gestarum, Visurgim, moderni vero Wisaraha vocant, habito generali conventu* cet. Haec Ruodolfus non alio ex fonte nisi ex libro primo secundoque Annalium Taciti resciscere potuit. Ibi enim Tacitus Romanorum ad Visurgim expeditiones narravit, in ceteris libris suis nihil de his rebus rettulit, ac ne Visurgis quidem nomen posuit. Sed Ruodolfus cum sui temporis res conscripserit et VIII. idus Martias anni 865 mortuus sit, altera saeculi post Christum noni parte in monasterio Fuldensi codicem *prioris Annalium partis* adfuisse inde edocemur. Is autem toto terrarum orbe unus adhuc repertus est et cognitus, ex monasterio *Corbeiensi*, ut fertur, Romam translatus, mox Florentiam profectus. Qui quamquam a Bandinio saeculo undecimo, a Massmanno (Annal. artis crit. a. 1841 t. II n. 89) decimo delegatur, testis tamen ante productus eum nono vindicat, neque habitus libri egregie scripti illi tempori adversatur. Rectius enim et simplicius existimari videtur, codicem Mediceum priorem ipsum fuisse Fuldensem illum, quam ex Fuldensi descriptum Corbeiensem quem vocant, illum autem mox deletum esse et amissum, aut duos codices qui priores Annalium libros continuerint, quondam in Germania fuisse, quorum alter in coenobio Fuldensi perierit, alter superstes fuerit in Corbeiensi. Nam neque eo tempore quo monachus Fuldensis Tacitum cognitum habuit,

neque proximo saeculo X in Corbeiensi monasterio Taciti libri adfuerunt. Scilicet Widukindus, huius coenobii monachus medio saeculo decimo et illis temporibus satis litteratus neque malus Latinitatis auctor, in suis de rebus gestis Francorum tribus libris neque mentionem Taciti iniecit neque locutionem ullam inde imitatus est. Mediceus prior

Verum in Fuldensi monasterio non solum prior Annalium pars nono saeculo asservabatur, sed ibidem etiam *Germaniae* codicem eodem tempore extitisse perspicitur legenti *Translationem S. Alexandri*, a Ruodolfo a. 863 scribi coeptam, ab eius discipulo Meginharto post mortem Ruodolfi absolutam. Vid. Pertzii Monum. t. II pag. 675. Itaque Fuldense monasterium iure meritoque pro incunabulis habetur eorum Taciti scriptorum quae in Italia delituerunt ac demum ex Germania in patriam redierunt, dico sex primos Annalium libros, Germaniam, Dialogum de oratoribus.

Iam tenebrae densae ac diuturnae, quantum ad priorem partem Annalium attinet. Itaque ingenti saltu accedimus ad initium saeculi quinti decimi. Tunc enim codex ille *Fuldensis* saeculi noni rursus ex tenebris quodammodo emergere coepit ac visus est a monacho quodam *Hersfeldensi* aut in libris monasterii Fuldensis, ut ego credo, aut in ipso coenobio Hersfeldensi non procul ad Fuldam fluvium sito; cuius rei testis est Poggius in Epistulis a Thoma de Tonellis plenius quam ante collectis et editis [1]. Is mense Novembri anni 1425 scribit in epistula, Roma ad amicum Florentinum Nicolaum Nicholium (de Nicolis) missa (vol. I p. 168): *mel tibi reservatur in postremis. Quidam monachus amicus meus, ex quodam monasterio Germaniae* (Hersfeldensi), *qui olim a nobis recessit, ad me misit litteras, quas nudius quartus accepi, per quas scribit se reperisse aliqua volumina de nostris, quae permutare vellet cum Novella Ioannis Andreae, vel tum Speculo tum additionibus, et nomina librorum mittit interclusa. — Inter ea volumina est Iulius Frontinus et aliqua*

[1] *Poggii Epistolae. Editas collegit et emendavit, plerasque ex codd mss. eruit, ordine chronologico disposuit notisque illustravit equ. Thomas de Tonellis IC.* Florentiae MDCCCXXXII. 8.

Mediceus prior

opera Cornelii Taciti nobis ignota: videbis inventarium. Idem ad eundem m. Februario a. 1426 (p. 175): *ex Germania responsum est mihi, litteras illas esse redditas. Spero igitur me habiturum propediem litteras a monacho, et tum tecum omnia communicabo.* Idem XVIII. kalendas Octobres a. 1426 ad eundem (p. 187): *de libris Germanis nil dicam amplius nisi me non dormire more tuo, sed vigilare. Quod si quidam, prout spero, fidem servarit, liber ad nos veniet vel vi vel gratis. Quin etiam dedi operam, ut habeam inventarium cuiusdam vetustissimi monasterii* [1]) *in Germania, ubi est ingens librorum copia; sed ne tu me molestes ista tua dicacitate, nil amplius scies.* Idem mense Iunio a. 1427 (p. 207): *dixeram Cosmo nostro, quemadmodum scribis, monachum illum Hersfeldensem dixisse cuidam se attulisse inventarium, sicuti ei scripseram, plurium voluminum, secundum notam meam. Postmodum cum summa cura quaererem hunc hominem, venit ad me afferens inventarium plenum verbis, re vacuum. Vir ille bonus, expers studiorum nostrorum, quicquid reperit ignotum sibi, id et apud nos incognitum putavit. Itaque refersit illud libris, quos habemus, qui sunt iidem, de quibus alias cognovisti. Mitto autem ad te nunc partem inventarii sui, in quo describitur volumen illud Cornelii Taciti, et aliorum quibus caremus, qui cum sint res quaedam parvulae, non satis magno sunt aestimandae.* Poggius non volumen illud Cornelii Taciti, sed *aliorum* tantummodo *quibus caremus* 'res quasdam parvulas, non satis magno aestimandas' vocavit. Neque Tacitum iam respicit, sed alios auctores ex eo monasterio recuperandos, cum eodem loco scribere pergit: *decidi ex maxima spe, quam conceperam ex verbis suis; ea extitit causa propter quam non magnopere curavi hoc ad te scribere; nam si quid egregium fuisset, aut dignum Minerva nostra, non solum scripsissem, sed ipse ad-*

[1] Fuldense monasterium, opinor, significat: de Corbeiensi quo minus cogitemus, impediunt Poggii verba ad Nicolaum a. 1429 scripta p. 43: *de monasterio Corbejo, quod est in Germania, non est quod speres: dicitur multos esse in eo libros; non credo rumoribus stultorum; at si vera etiam essent quae dicuntur, patria omnis latrocinium est: etiam ipsi tribules, qui in Curia morantur, non redeunt tuti ad patriam suam.*

volassem, ut significarem. Hic monachus eget pecunia. Pecuniae a Poggio accipiendae spe allectus monachus Hersfeldensis Fuldensem illum Taciti codicem, opinor, inventario suo librorum ascripserat: nam eum codicem non Hersfeldiae sed in monasterio Fuldensi fuisse ex Annalibus Fuldensibus accepimus. Nimirum eo volumine tamquam eximiis illecebris Poggium movere se posse cognoverat: ipsum tamen librum afferre non potuit, quamquam facta praemii expectatione. De eo Poggius pridie kalendas Iunias a. 1427 ad Nicolaum suum scribit (p. 210): *Id autem male accipis, quia cum procurem ut habeamus Decadem Livii et reliqua volumina, de quibus ad te scripsi, putes me omittere hoc volumen* (Cornelii Taciti intellegit), *quo maxime indigemus; id quidem imprimis est quod volo. Quin mandavi isti monacho, ut vel ipse secum deferret, nam credit se rediturum brevi, vel per alium monachum curaret deferendum: alios* (scriptores veteres cogitat) *iussi portari Nurimbergam, hunc* (Tacitum) *vero Romam proficisci recta via, et ita se facturum recepit.* Eadem spe V. kalendas Octobres a. 1427 iocando Poggius scripsit ad amicum suum Florentinum (p. 212): *Cornelium Tacitum, cum venerit, observabo penes me occulte. Scio enim omnem illam cantilenam, et unde exierit, et per quem, et quis eum sibi vendicet, sed nil dubites, non exibit a me ne verbo quidem.* Mox in eadem epistula: *de Cornelio Tacito, qui est in Germania, nihil sentio: expecto responsum ab illo monacho.* Sed frustra expectavit: nam monachus ille indigus pecuniae codicem indicatum, quem non sui coenobii sed Fuldensis κειμήλιον fuisse vidimus, recuperare et suum facere non videtur potuisse ideoque tam de libro scripto quam de pecunia nihil amplius transegisse. Itaque Poggius frustra habitus postremum die XI Septembris a. 1428 (p. 218) ea de re scribit ad Nicolaum: *Cornelius Tacitus silet inter Germanos, neque quicquam exinde novi percepi de eius operibus.* Verum illud Taciti volumen, in quo erant hominibus Italis tunc incognita, priores libros Annalium (posteriores et Historiarum quot supersunt cogniti erant) et Taciti Germaniam et Dialogum de oratoribus et Suetonii libellos, etiam, ut licet coniectare, Agricolae vitam,

Mediceus prior

complexum est: nam hi codices ex Germania in Italiam translati sunt, Germania cum Dialogo paulo ante a. 1460, Mediceus prior ante annum 1509, et utrumque a Ruodolfo, monacho Fuldensi, nono saeculo lectum esse supra vidimus. Mediceus prior

Iam eiusdem libri fata et itinera amplius persequemur. Cuius altera pars, quaterniones dico XVIII—XXXIIII, ad *Iohannem de Medicis*, Romanae ecclesiae cardinalem, ex Germania Romam migravit ante annum 1509. Hoc edocemur litteris, quas *Franciscus de Soderinis* ad *Marcellum Virgilium Adriani* kalendis Ianuariis a. 1509 scripsit, in quibus sub finem leguntur haec: *At nos rem ad te mittimus dilucidam, nulloque interprete indigentem, et Florentiae urbis antiquum decus attestantem. Videbis enim nostros homines supra millesimum et quingentesimum annum Florentinos appellatos apud Populum Romanum in honore fuisse: siquidem ex Germania nobis allatus fuit pervetustus in membrana codex, descriptus litteris non multum distantibus*[1]) *a longobardis, cuius auctor inscribitur P. Cornelius*[2]), *in quinque libros digestus, ab excessu divi Augusti usque ad interitum Tiberii acta Populi Romani domestica externaque complectens. Et nomen auctoris, et stili gravitas, et ordo narrationis faciunt, ut iudicemus id opus esse Cornelii Taciti; sed quicumque sit auctor*[3]), *liber est antiquus, et pene venerandus. In eo narrantur Florentini auditi fuisse, cum nollent Clanim amnem in Arnum derivari, et eorum postulatis ex S. C. fuisse satisfactum. Verba auctoris hac epistula inclusimus; ut tu et vetustate patriae nobiscum gaudeas, et dono tuo cumulate satisfactum intelligas. Vale, Romae prima januarii M. D. VIIII. Vr. F. (h. e. Vester Francesco) de Soderinis Card. Vulterr*[4]. — *Ad nos* cum dela-

[1] Immo huius codicis litterae multum distant a Langobardicis.

[2] Inscriptionem vetustam codicis festinanter inspiciens auctor *Taciti* nomen omisit.

[3] Haec ambigendi perseverantia iustos fines egreditur. Equidem inde non coniecerim quae collegit Vrlichs in diurnis a se editis a. 1864 pag. 246.

[4] Epistulae exemplar est in bybl. Chigiana Romae, inde editum a. 1790 a C. Fea in libro cui nomen *Miscellanea Filologica* (sic) *critica* pag. 327.

tum codicem scribit Franciscus de Soderinis, possessorem libri et amicos eius seque in his cogitavit. Nam Iohannes de Medicis simul ac Pontifex maximus die 11. Martii a. 1513 creatus et nomine Leonis X appellatus est, hunc librum Philippo Beroaldo iuniori edendum tradidit, quod negotium a Beroaldo kalendis Martiis a. 1515 absolutum est. Editor in epistula sua ad Leonem X haec professus est: *age vero quanta hoc ipsum laude dignum est? quod propemodum praeconis uoce ingentia praemia indagatoribus librorum proposuisti, si, quos libros uetustas nobis inuidit, alicunde e latibulis eduxissent. Quae uenatio Cornelii Taciti hos primos quinque libros* (tot in cŏdice numerantur) *qui per longum seculorum ambitum latuerant, in saltibus Germaniae inuenit. Quam tu praedam ad te allatam ac magna mercede comparatam, non uelut aliqua librorum sepultura rursus occultasti, sed tanquam verus omnium pater utilitati omnium consultum esse uoluisti. Si quidem ubi tu totos summa cum voluptate cognouisti, — eos mihi ut ad communem studiosorum utilitatem publicarem tradidisti.* Medicens prior

Vides, lector, a Beroaldo neque locum Germaniae unde deportatus sit codex, neque eum qui attulerit nominatum esse. Neque certius quidquam duobus annis post Alciatus referre potuit, qui in epistula ad Galeacium scribit: *quanquam — magna quoque pars etiamnum desideretur, essetque adhuc ἀκέφαλος Tacitus, nisi Christiani orbis Max. Pontifex Leo X. priores quinque libros de barbaris redemptos, postliminio ut tandem reuerterentur effecisset.* Duodeviginti post Beroaldum annis (1533) cum Beatus Rhenanus Tacitum edidit, ad verba Annalium IIII 43 pag. 125 *suoque recident Heliatem agrum*, ut tunc legebantur corrupta, annotavit: *utinam licuisset hic exemplar illud Saxonicum inspicere, quod Quaestor quidam Pontificius cum e Dania rediret, in Corbeiensi bibliotheca repertum, Romam secum detulit ad Leonem X Pont. Max. bonarum litterarum haud illiberalem patronum,*

Particulam epistulae ad hanc quaestionem pertinentem ego publicavi in Philologi volumine XVII p. 664, totam repetivit Vrlichs in diurnis ante dictis p. 244 sq.

Mediceus prior

qui illi quingentos ducatos numerari iussit [1]. Nomine *Quaestoris Pontificii*, qualis in magistratibus Romanae hierarchiae nullus est, Rhenanus paulo liberius designavit eum qui stipes indulgentiarum a Leone aedificandae et perficiendae ecclesiae S. Petri publice promissarum collegit, cui verum nomen sed minus Latinum erat *Commissarius*. Ad id negotium a Leone sibi demandatum per Daniam et Sueciam acriter incubuit *Ioannes Angelus Arcemboldus* Mediolanensis, iuris utriusque doctor, dum *Tezelius*, Arcemboldi adiutor sive *Subcommissarius*, per Saxoniam easdem pecunias congerit. Verum Arcemboldus hoc munus primum obiit per provincias Batavorum, Burgundiae, Rhenanas a. 1515, ad id destinatus 2. die Decembris a. 1514, dein a. 1516 Westfaliam adiit et Germaniam septentrionalem, mox praecipue apud Danos et Suecos diu moratus est. Ibi multis difficultatibus implicitus et variis rebus tum inter Suecos tum inter Danos gestis temptatisque, circa annum 1518 vel 1519 Romam rediit, causam apud iudices dixit et absolutus est. Cf. Vollständige Reformations-Acta und Documenta, ausgefertigt von *Valentin Ernst Löscher*. Dresdae 1720. 4. Tom. I p. 375—379. *Danielis Gerdesii* Historia Reformationis tom. III p. 277—284. Atqui codex, ut ante vidimus, anno 1508 Romam iam pervenerat, diu ante quam Arcemboldus ex *Dania rediens* Corbeiam et in Italiam pervenire potuit, etiam ante quam quaestor Pontificius declaratus terras longinquas peragravit. Itaque neque Arcemboldus neque ullus alius Leonis quaestor in Germaniam missus illum codicem ex Corbeiensi monasterio secum abstulit aut Leoni tradidit insignemve eius munificentiam expertus est. Quae quo tendant, lector, iam intellexeris. Rhenanus quae narravit, ex vago aliquo et incerto rumore relata sunt. Nimirum Arcemboldi pecuniae quovis modo corripiendae

[1] Minus definite Rhenanus loquitur in epistula ad Bernardum episcopum Tridentinum editioni praemissa: *in quinque prioribus voluminibus quae reperta apud Corbeiam in Saxonibus, paulo post Romae eudgata sunt, — defuere quidem scripti codices cum quibus conferrem.* Quid idem in epistula ad Thomam Rappium a. 1515 hac de re scripserit, nescio: memoratur epistula ab Ambrosio Traversario Epistol. in indice s. v. *Tacitus*.

libido cum fama divulgata esset, hunc illum fuisse, qui thesaurum plane egregium et magni pretii ad se ditandum ex monasterio Corbeiensi, loco bonorum librorum abundante, secum tulisset, rumoribus dispersum est. Rhenanum autem ut in quaestore pontificio fefellit opinio sua aut falsa hominum fama, ita quae tradidit idem de coenobio Corbeiensi et codice Taciti ibi reperto, fidem vix merentur, eo magis quod in monasterio Fuldensi tam nono quam quinto decimo saeculo ineunte certa huius codicis vestigia deprehendimus. Nam qui unus praeter Rhenanum de codice Corbeiensi rettulit, Iustus Lipsius, is manifesto Rhenani fidem secutus est et eundem errorem de *quaestore pontificio* repetivit in annotatione ad Taciti Ann. II 9 *flumen Visurgis* scripta: *mutua Romanorum Germanorumque clade nobilis amnis. Cui famam praecipue Tacitus dedit: et ipse Tacito (mirum fatum) vitam. Nam quinque hi primores libri inventi Corbeiae, quod monasterium ad Visurgim est. Atque illinc depromptum vere hunc thesaurum 'quaestor quidam Pontificius'* (agnosce Rhenanum) *ad magnum Leonem detulit, donatus ab eo aureis quingentis.* Idem Lipsius paulum mutatis verbis repetivit in *Dispunctione notarum Mirandulani codicis;* atque Lipsio utuntur auctore, et fonte eius ignorato et dubia rei fide non perspecta, quicumque de codice ex monasterio Corbeiensi Romam transportato tamquam de re certa et in facto posita loquuntur [1]. Mihi vero ea res admodum incerta videtur, ac multo magis inclino ut illum codicem ex Fuldensi bybliotheca surreptum esse et anno 1508 in urbem Romam venisse statuam: nam Fuldae illum librum fuisse non vagi rumores, sed certa historiae vestigia docent. Me- dicens prior

Hactenus famam codicis Corbeiensis infirmo sane tibicine fultam stare liquet. Verum enim vero aliunde exo-

[1] Rhenanus et Lipsius quaestorem suum significasse contenti nomen eius non posuerunt. *Arcemboldum* primus nominavit Ernestius, in ceteris Lipsium secure secutus. Lipsium auctorem etiam Fürstenbergius respexit, cum cecinit de Visurgi in Monumentis Paderb. p. 69:

Sed quota pars rerum superaret, Roma, tuarum,
Aut quisnam Arminii nosceret arma mei.
Ni mihi quam Tacitus scriptor dedit inclytus, illi
Reddita Corbeiae munere vita fuit.

Mediceus prior

ritur, qui thesaurum Corbeiensem sustinere et vindicare videatur, ipse Leo X, pontifex curiae Romanae, qui in epistula ad nescio quos missa[1] et Sadoleti, secretarii pontificii, manu subsignata a. 1517 die 1 Decembris sic dilectos filios suos alloquitur: *Tantum ad commodum et utilitatem Virorum eruditorum tendimus. De quo etiam dilecti filii Abbas et Conventus Monasterii Corwiensis Ordinis S. Benedicti Paderbornensis dioeceseos nostri locupletissimi possunt esse testes, ex quorum Bibliotheca cum primi quinque libri Historiae Augustae Cornelii Taciti qui desiderabantur, furto subtracti fuissent, illique per multas manus ad nostras tandem pervenissent, nos recognitos prius eosdem quinque libros et correctos a Viris praedictis literatis in nostra Curia exsistentibus, cum aliis Cornelii praedicti operibus, quae extabant, nostro sumptu imprimi fecimus. Deinde vero, re comperta, unum ex voluminibus dicti Cornelii, ut praemittitur, correctum et impressum, ac etiam non inordinate ligatum, ad dictos Abbatem et Conventum Monasterii Corwiensis remisimus, quod in eorum Bibliotheca loco subtracti reponere possent. Et ut cognoscerent ex ea subtractione potius eis commodum quam incommodum ortum, misimus eisdem pro Ecclesia Monasterii eorum indulgentiam perpetuam. Quocirca vos et vestrum quemlibet, ea demum qua possumus cet.* Quam epistulam cum ego ob incredibilia plura quae continet[2] in supitionem fraudis adducere suscepissem[3], mox, simul atque comperi ipsam Berolini asservari, litteris ad Georgium Pertzium missis percontanti mihi, utrum internis argumentis adversus veritatem illius epistulae a me propositis externa accederent necne, vir peritissimus rescripsit, secus id esse, abesse quidem

[1] Epistula illa habet hanc praescriptionem: *Venerabili Fratri nostro Alberto Archiepiscopo Moguntino, Principi Electori et Germaniae Primati*, sed ipsa alloquitur *filios dilectos*, nec verbum addit ad Albertum vel de loco conventuve *dilectorum filiorum*. Tam haec epistula quam altera a Leone ad eundem Albertum missa adhuc innotuerant ex Baelii lexico s. Leo X: nuper ex *Indice Norimbergiensi* a. 1863 accepimus utramque in bybliotheca regia Berolinensi superesse.

[2] Eo prae ceteris pertinet, quod in bybliotheca dilectorum filiorum codex esse narratur, qui *omnes T. Livii decadas* complectatur.

[3] Cf. Philologi vol. XVII p. 666—670.

anulum piscatorium, sed vestigia quaedam eius superesse. In hac rei statu suspitionem meam ita cohibeo, ut adhuc sub iudice litem esse concedam. Verum ut sit verissima mirabilis illa Leonis professio de codice e conventu Corbeiensi ablato, quae plane adversatur Beroaldi verbis ad Leonem X in praefatione scriptis, quibus narratur, per *venationem* missu Leonis in Germania institutam eum codicem acquisitum esse, vel sic codici Corbeiensi Taciteo parum praesidii paratur. Nam si vere scripsit illa Leonis iussu Sadoletus, alterutrum ex his duobus inde efficitur: aut ille qui hunc Taciti librum furando detulit, suo mendacio *Corbeiensem* conventum eiusque bybliothecam pro *Fuldensi* nominavit, quo furti sui vestigia obscuraret, aut liber ille nescio qua occasione ab alumnis s. Benedicti Fuldensibus ad Corbeienses saeculo XV vel initio saeculi XVI translatus est atque inde in Italiam, mox in urbem Romam permigravit. Mediceus prior

2. Codex *Mediceus alter*, saeculi XI monumentum. Secundus Taciti codex antiquus et Poggii temporibus et ante doctis per Italiam hominibus cognitus erat, sed saeculo undecimo, quo scriptum eum esse Bandinius recte dicit, postquam vetus illud exemplar unde ipse deductus est periit, unus per orbem terrarum fons restitit quo Annalium Taciti libri posteriores et Historiae ab interitu vindicatae sunt. Ipsius origo repetenda videtur ex monasterio Casinensi, ubi postquam Desiderius a. 1058 abbatis munus suscepit et per annos viginti novem amplius coenobio praefuit, multi antiqui libri descripti sunt. Testis est Petrus diaconus ac bybliothecarius Casinensis, qui Chronicon Casinense quod imperfectum Leo reliquerat usque ad annum 1138 continuavit, natus circa annum 1107, in Chronico Casin. lib. III c. 63 in Pertzii Monumentis Germaniae historicis t. VIIII, p. 746. Ipse rursus describi coeptus est, atque inde deducti sunt libri manuscripti, quotquot in hac parte Taciti operum per Italiam et Francogalliam, Britanniam et Germaniam, etiam Hispaniam asservantur, ita tamen ut inter describendum nova vitia permulta admitterentur, vetera saepe perperam, aliquando feliciter corrigerentur. Inter quem laborem antiqua veteris libri scriptura pluribus locis detrita, sed alia

Mediceus alter a manu non sine erroribus superinducta et expleta est; item interiere duobus locis (H. I 69—75, 86—II 2) duo folia, quae in aliis ex antiquis huius libri nondum decurtati apographis suppleta leguntur. Hunc codicem, lectu difficilem, significavit Poggius in epistula die 21 Octobris a. 1427 scripta ad Nicolaum Florentinum (p. 213): *misisti mihi librum Senecae, et Cornelium Tacitum, quod est mihi gratum: at is est litteris longobardis et maiori ex parte caducis*[1], *quod si scissem, liberassem te eo labore. Legi olim quemdam apud uos manens litteris antiquis; nescio Coluciine esset an alterius. Illum cupio habere uel alium qui legi possit: nam difficile erit reperire scriptorem, qui hunc codicem recte legat; ideo cura, ut alium habeam, si fieri potest.* De eodem verba facit die 5 Iunii a. 1428: *dedi Bartholomaeo de Bardis decadem Liuii et Cornelium Tacitum, ut illos ad te mittat: in tuo Cornelio deficiunt plures chartae uariis in locis*[2]. Ex his clarum est, alterum codicem Mediceum in Florentiae oppidum iam pridem devenisse, patet quoque quid sibi velit inscripta ei notitia: 'Conventus S. Marci de Florentia Ordinis praedicatorum *de hereditate Nicolai Nicoli Florentini viri doctissimi.*' Scilicet ex bybliotheca conventus s. Marci in Laurentianam Mediceorum translatus est.

Codex est membraneus, plutei 68 secundus, difficili scriptura et litteris Langobardicis, anepigraphus. Locos evanidos altera manus in spatiis interlinearibus rescripsit, sed non ubique vestigia prioris manus accurate repraesentavit.[3] Primum continet Taciti Annalium libros posteriores et Historiarum quinque, qui tamquam operis perpetui unde-

[1] Rem exaggerat Poggius. Ceterum illis temporibus scriptura ab alia manu nondum suppleta videtur fuisse.

[2] Intellegit defectus Historiarum duos modo indicatos, fortasse etiam magnum Annalium in fine hiatum, quem inesse etiam ceteris tunc non recordabatur. Poggius cognitos Taciti libros sibi Romam Florentia mitti tunc volebat, cum spem foveret sese propediem accepturum esse alios ex Germania per monachum Hersfeldensem, ut nota et ignota conferre atque integrum codicem conficere posset.

[3] Eorum qui hoc codice usi sunt nonnulli, in his Franciscus del Furia, recentem infidamque scripturam pro vetere ac lectu difficili secure secuti sunt, unde magna pars discrepantium de codicis lectionibus relationum originem duxit.

cimus usque ad vicesimum primum leguntur. Ad Tacitum olim pertinebant folia 105 formae maximae, nunc 103. Fasciculi (quaterniones) sunt XIII, et quarti decimi duo folia; quaternio secundus sine signatura pro octo foliis habet septem; deest septimum, sed defectus ibi nullus est. In octavo fasciculo nunc desunt folia tertium et sextum, quaeque ibi scripta erant (H. I 69—75, 86—II 2). Primi folii prima pagina vacua est. In sexto fasciculo ultimi folii pagina vacua est, proxime prioris una columna vacua est et alterius columnae sunt versus novem, quibus quantum nunc extat Annalium desinit. Vltimi fasciculi (quarti decimi) pagina, quae ad Tacitum pertinet, non plane tres partes implet. Omnes paginae per binas columnas modo 35, modo 38 versuum scriptae sunt. In margine ascripta sunt summaria rerum et annotationes nonnullae ab alia manu. Medicens. alter

In cetero codice (totus enim 191 foliis scriptis constat) p. 104b subsequuntur Apulei Platonici Madaurensis de Magia libri duo. In fine libri primi litteris quadratis scriptum est: EGO G. CRISPVS SALVSTIVS EMENDAVI ROMAE FELIX. APVLEI PLATONICI MADAVRENSIS PRO SE APVT CL. MAXIMVM PROCOS. DE MAGIA LIB. I. EXPLICIT. INCIPIT LIB. II. LEGE FELICITER. Itemque in fine libri II legitur: APVLEI PLATONICI MADAVRENSIS. PROSAE DE MAGIA LIB. II. EXPLICIT. Ego Salustivs emendaui Rome Felix. Graeca quae in his libris occurrunt sunt quidem Graecis litteris, sed valde corruptis et mendosis expressa; recentior tamen ac docta manus eadem in margine emendate conscripsit. Sequuntur p. 126 eiusdem Metamorphoseon seu de Asino aureo libri XI. In fine omnium librorum, primo et ultimo exceptis, legitur subscriptio: Ego Salustius [1]) legi et emendaui Rome Felix; in calce libri VIIII aliquanto longior ita habet: Ego Salustius legi et emendaui Rome Felix. Olibio (sic) et Probino u c cons. in foro Martis c̃troversias declamans oratori Endelechio. Rursvs C̃stantinupoli recognovi

[1] in clausula libri IIII est *sallustius*, in V *salustius*, in VI *sallustius*, item in fine libri VII. VIII. VIIII. X.

Mediceus alter

Cesario et Attico conss.' Subsequuntur p. 184 eiusdem Floridorum libri IV.

Fratres Sextus Anicius Olybrius et Sextus Anicius Probinus a. 395 in Occidentis partibus, Caesarius a. 397 in Oriente et eodem anno Atticus in Occidente cum gesserint consulatum, hinc efficitur exemplar unde Apuleius saeculo undecimo est descriptus, sub finem quarti confectum iam esse, neque alii tempori codicis Tacitini liber *ἀρχέτυπος* delegandus videtur.

Ad Tacitum emendandum alter Mediceus primum adhibitus est a Curtio Pichena, tum a Iac. Gronovio; nostra memoria collatus est a Franc. del Furia et I. Georgio Baitero: ipse eundem excussi a. 1857.

3. Codex *Leidensis* sive *Perizonianus* et codex *Vaticanus* (*AB*) Germaniae Tacitinae et de Oratoribus dialogi. Nono post Christum saeculo, cum veterum ingeniorum monumenta quae supererant in communi hominum incuria vel ignorantia fere neglecta iacebant, in monasterio Fuldensi Ruodolfus monachus non modo priorem Annalium Taciti partem lectitabat, ut ante vidimus, sed etiam Germaniae codicem, cui Dialogus haud dubie, et, ut probabili coniectura credere licet, Agricola quoque aderant, sua manu versavit et ita adhibuit, ut quae Tacitus de Germanis in universum rettulerat, ipse de Saxonibus, Germanorum populo, proferret. Hoc fecit anno 863, quo scribere coepit *Translationem S. Alexandri*, post mortem Ruodolfi (a. 865) a Meginharto, discipulo eius et amico, absolutam. Quod ut melius a lectore perspiciatur, verba Ruodolfi narrationem Taciti suae accommodantis ac nomen eius reticentis infra scripta sunt, sumpta ex Pertzii *Monumentis historiae Germanicis* t. II p. 675. Ac primum ea Ruodolfus suis immiscuit quae capite 4 Germaniae scripta sunt, de moribus et institutis Saxonum haec c. 1 tradendo: *generis*[1] *quoque ac nobilitatis*

[1] Massmannus (*C. Cornelii Taciti de origine moribus ac situ Germanorum libellus* p. 224) aberravit, et Hauptium in notis ad Taciti Germaniam in eundem errorem traxit, cum *Meginharto* haec ex Tacito excerpta attribuit p. 220—233: nam Meginhartus posteriorem partem Translationis S. Alexandri scripsit, non principium.

suae providissimam curam habentes, nec facile ullis aliarum gentium vel sibi inferiorum conubiis infecti, propriam et sinceram et tantum sui similem gentem facere conati sunt. Vnde habitus quoque ac magnitudo corporum comarumque color, tanquam in tanto hominum numero[1], *idem pene omnibus.* codex librorum minorum Germanicus

Hinc suis verbis nonnulla de quattuor apud Saxones differentiis narrat, nobilium scilicet liberorumque, libertorum ac servorum, dein pergit Taciti verbis immixtis ex Germaniae capite 9: *coluerunt enim eos, qui natura non erant dii: inter quos maxime Mercurium venerabantur, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare consueverant. Deos suos neque templis includere neque ullae*[2] *humani oris speciei adsimilare*[3] *ex magnitudine et dignitate coelestium arbitrati sunt. Lucos ac nemora consecrantes deorumque nominibus appellantes secretum illud sola reverentia contemplabantur. Auspicia*[4] *et sortes quam maxime*[5] *observabant. Sortium consuetudo simplex erat. Virgam frugiferae arbori decisam in surculos amputabant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargebant. Mox, si publica*[6] *consultatio fuit, sacerdos populi, si privata, ipse paterfamilias*[7] *precatus deos coelumque suspiciens ter singulos*

[1] Apud Tacitum est *quamquam in tanto hominum numero*, Ruodolfi aberratione et assimilandi inclinatione (*tan-quam tan-to*) mutatum.

[2] *ullae:* hoc pro *ulli* inscientiae Ruodolfi tribuendum; mox tamen recte excerpsit *nec ulli auspicio maior fides:* nam *auspicii*, ut legit Massmann, ab huius errore profectum est.

[3] Scriptura haec memorabilis indicio est in exemplari Germanico assimilationem non ita valuisse, ut in libris inde saeculo quinto decimo in Italia descriptis. Conferatur quod mox sequitur *inpressam*.

[4] *auspicia et sortes*: haec ex capite 10 Germaniae excerpta sunt. Ibi nos legimus *auspicia sortesque*, idque immutatum Ruodolfus stilo suo accommodavit.

[5] *quam maxime*: Taciti locutionem *ut qui maxime* tamquam minus solitam Ruodolfus vitavit ac magis vulgarem substituit.

[6] *si publica consultatio fuit*: Taciti verba *si publice consultetur* ad praeteritum tempus transformaturus haec scribere maluit quam *si publice consultabatur*, voculam *publice* tamquam non satis dilucidam suae aetatis lectoribus evitando.

[7] *paterfamilias:* in nostris codicibus excepto Vindobonensi est *pater familiae:* id Ruodolfus in formam sibi familiarem videtur convertisse.

codex librorum minorum Germanus

tulit[1], *sublatosque secundum inpressam ante notam interpretatus est. Si prohibuerunt, nulla de eadem re ipsa die*[2] *consultatio: si permissum est, eventuum*[3] *adhuc fides exigebatur. Avium voces volatusque interrogare proprium gentis illius erat; equorum quoque praesagia ac monitus experiri, hinnitusque ac fremitus observare; nec ulli auspicio maior fides non solum apud plebem, sed etiam apud proceres habebatur. Erat et alia observatio auspiciorum, qua gravium bellorum eventus explorare solebant: eius quippe gentis, cum qua bellandum fuit, captivum quoquo modo interceptum cum electo popularium suorum, patriis quemque armis, committere et victoriam huius vel illius pro iudicio*[4] *habere. Quomodo*[5] *autem certis diebus, cum aut inchoatur luna aut impletur, agendis rebus auspicatissimum initium crediderint, et alia innumera vanarum superstitionum genera, quibus implicati sunt, observaverint, praetereo.*

Ille Germaniae codex antiquus inde a Ruodolfi temporibus per plura saecula non memoratur atque altum de eo silentium est usque ad annum 1460: sed paulo ante annum 1460 in Italiam allatus est codex, in quo erat Taciti Germania, Dialogus, Suetonii de viris illustribus libellus. Hoc accepimus ex inscriptione codicis Perizoniani sive Leidensis non ita pridem in lucem protracti, quae sic habet in altera primi folii pagina:

[1] *tulit:* hoc pro *sustulit*, praesens *tollit*, quod apud Tacitum est, in praeteritum immutaturus, suo errore Ruodolfus substituit.

[2] *ipsa die:* hoc Ruodolfo videtur valere *eodem die*. Devitavit Tacitinum *in eundem diem* ut minus solitum.

[3] *eventuum:* mirum videatur hoc vocabulum successisse in locum Tacitini *auspiciorum:* sed Ruodolfus haud dubie illud elegit ut suis lectoribus magis dilucidum, atque exprimere voluit quod Galli dicunt *evénemens*, nos (*bedeutungsvolle*) *Begegnisse*. Ante tamen et paulo post *auspiciorum* nomen ipse non vitavit; nunc vocem magis generalem anquisivit.

[4] *pro iudicio:* Tacitus habet *pro praeiudicio*, sed Ruodolfus recordatus aetatis mediae *iudicia dei* formam *iudicio* tamquam lectoribus suis magis familiarem praetulit.

[5] *quomodo:* hinc ex Germaniae capite 11 excerpsit, sed pauca inde sumpsit et satiatus iis quae transcripserat sua verba ponere pergit.

Hoſ libelloſ Iouianuſ pontanuſ excripſit ꝛuper adinuẽtoſ et in lucẽ relatoſ ab Enoc aſculano quãquã fatiſ mendoſoſ.

M. CCCC. LX martio mſe ·ż·

codex librorum minorum Germanicus

De origine et patria exemplaris a Pontano descripti haec idem in altera pagina folii 47, ubi incipit Suetonii libellus, rubro colore ad marginem notavit:

C. Suetoniuſ ſcripſit de uiriſ illuſtribuſ. cuiuſ exemplũ ſecutuſ hieronymuſ ipse q°q3 libellũ de ſcriptoribuſ chriſtianiſ edidit. Nup etiã Bartholomeuſ faciuſ familiariſ noſter de uiriſ illuſtribuſ temporiſ ſui libroſ compoſuit. qui ne hoſ Suetonii illuſtreſ uiroſ uidere poſſet morſ immatura effecit. paulo enim poſt eiuſ mortẽ in lucẽ redieꝛ cum multoſ annoſ deſiderati a doctiſ hominibuſ essent. Temporibuſ enim Nicol. quinti (is vita concessit a. 1455) *põtificiſ maximi Enoc E Aſculanuſ in Galliam et inde in Germaniam profectuſ conquirendorum librorum gratia hoſ quãquã mendoſoſ et imperfectoſ ad noſ retulit*[1].

In Germaniae monasterio Fuldensi codicem Germaniae Tacitinae nono saeculo deprehendimus, ex eadem terra quinto decimo Germaniae et Dialogi codex in Italiam ab Enoc Asculano delatus est, unde omnes quotquot extant scripti libri Germaniae et Dialogi descendunt, sed ipse ex oculis hominum evasit. Accedit quod lectiones ex Ruodolfi reliquiis cognitae, exceptis nonnullis quas ille pro suo consilio mutare debuit aut voluit paucisque inscientiae culpa ab eodem inflexis, cum scriptura apographi ex codice Germanico a Pontano facti optime consentiunt. Quae cum ita sint, non dubitandum videtur, quin exemplar, quod Ruodolfus sua aetate excerpsit, illud idem sit, quod ab Enoc Asculano paulo ante annum 1460 in Italiam allatum esse accepimus.

Ex duabus admonitionibus Pontani manu codici Perizoniano adiectis, quarum exemplum supra scriptum est, duae res ad notitiam nostram pervenerunt. Nimirum cum exem-

[1] Reliqua de Suetonio a Pontano dicta omitto. Annotationi subscriptum est IOV. PONTANVS. VMBER *excripsit:*

codex librorum numerorum Germanicus

plar Germanicum in Italiam delatum est, hoc unicum fuit in orbe terrarum, quo Germania et Dialogus exhibebantur; tum qui primus ex thesauro nuper *adinvento* novum codicem sua manu accurate descripsit, fuit Iovianus Pontanus, a. 1426 in Vmbria natus, Neapoli ab Antonio Panormitano educatus, qui postquam in variis et splendidis muneribus cum laude versatus et poeta ac rerum scriptor editis libris cognitus est, anno 1503 vitam finivit. Hoc ipsum codici Perizoniano prae omnibus Germaniae et Dialogi codicibus, qui nunc circumferuntur, primum locum vindicat. Accedit aliud. Scilicet ceteri codices, excepto Vaticano 1862, non ex libro Germanico vetere et nunc deperdito sed ex Pontani exemplari hausti sunt omnes. Pontanus enim verba capitis vicesimi quinti in Germania (*liberti — argumentum sunt*) non hoc loco repperit in libro Germanico, sed aliquanto post in fine capitis vicesimi sexti falso collocata offendit. Ipse ordinem exemplaris sui secutus est, sed mox animadvertit illam de libertis narrationem loco non apto positam esse ac pertinere ad finem capitis 25. Hinc ea alio tempore (id patet ex dilutiore atramento) ascripsit in inferiore margine verborum capitis 25 cum admonitione 'in hoc loco potius'. Iam eo loco, in quem transtulit illa Pontanus, omnes ceteri codices haec verba scripta habent, unus Vaticanus 1862 post finem capitis 26 sine ulla annotatione offert. Hinc clarum est praeter codicem Perizonianum unum Vaticanum illum ex vetere exemplari Germanico [1], ceteros ex Pontani libro natos esse. Ob hanc causam codicem Perizonianum (*A*) et Vaticanum 1862 (*B*) in Germania et in Dialogo secutus sum.

De externa forma codicis Perizoniani haec notanda. Est membraneus, forma quadrata, in singulis paginis 22 versus complexus, luculente scriptus, multis compendiis expressus. Libri folia sunt 59, quorum 29 (fol. 2 A—30 A)

[1] Hinc Germ. c. 9 ambo consentiunt in scripturam memorabilem *Martem concessis animalibus placant et Herculem*, dum ceteri manum interpolatoris experti praebent *Herculem ac Martem concessis animalibus placant*. Scilicet hoc prave correctum est in exemplo aliquo ex Pontani libro descripto et propagatum in ceteros codices recentiores.

Dialogum scriptum exhibent, proxima 17 (fol. 31 A—47 A) Germaniam continent, reliqua (fol. 47 A—59 B) Suetonii de viris illustribus libellum. Tam supra versus in contextu quam in margine plura emendata sunt et notata, quae partim eodem atramento et ab eadem manu, partim ab alia manu et dilutiore atramento scripta sunt. Qua via in manus Iacobi Perizonii codex a Pontano scriptus pervenerit incertum est: Perizonius et hunc librum et alios Leidensi bybliothecae legavit. Ibi nota signatur 'XVIII Periz. C. 21'. Schedula in infimo folio 1 agglutinata typis expressum habet 'Ex legato Viri Clariff. Iacobi Perisonii'. codex librorum minorum Germanicus

Codicem Perizonianum primus adhibuit et doctis hominibus notum fecit Lud. Tross in opusculo cui fecit indicem: *C. Cornelii Taciti de origine, situ, moribus ac populis Germanorum libellus. Ad fidem codicis Perizoniani, nunquam adhuc collati, edidit et notas adiecit Ludovicus Tross. Accesserunt Dialogus de oratoribus et Suetonii de viris illustribus libellus, ad eundem codicem accurate expressi. Hammonae MDCCCXLI.* 8. Trossii opera cum hominum doctorum desideriis et expectationi parum respondisset, ego Germaniam et Dialogum de integro ad codicem Leidensem exegi a. 1842, Massmannus Germaniam ex eodem libro descripsit, retentis notis et compendiis in exemplari Leidensi repertis. Conf. *C. Cornelii Taciti de origine moribus ac situ Germanorum libellus. Cura Ioannis Ferd. Massmann. Quedlinburgae et Lipsiae.* MDCCCXLVII. 8. Vaticani codicis 1862 lectiones in Germania petivi ex Massmanni annotatione: sed nonnullis in locis mea gratia Romae illum librum inspexit Dr. *I. Watterich*, nuper professor Braunsbergensis, nunc pastor Antunnacensis; quo fonte hausta sunt quae certiora aut plura quam Massmannus attuli. Eiusdem codicis lectiones in Dialogo in meum usum Dr. *Franciscus Bahlmann*, Amstelodamensis, nuper Romae enotavit[1], nonnullas, de quibus dubitabam, *L. Schopen* ex collatione ab O. Iahnio facta mihi benevole suppeditavit.

[1] Idem iuvenis doctus ac diligens in Dialogo Vaticanum 3429 mea gratia contulit.

codex librorum minorum Germanicus

Iam de Agricolae codicibus (*ΓΔ*) dicendum restat. Cum anno 1470 Taciti scripta typis consignata Venetiis primum prodiere, non modo Annalium prior pars sed etiam vita Iulii Agricolae defuit. Verum tunc et virtus auctoris et operis truncati species viros litterarum curiosos et antiquitatis amantes ad investigandum impulit. Ac mox aut in Italiae solo repertus aut, quod magis verisimile est, e Germania in Italiam allatus est liber scriptus, quo vita Agricolae continebatur, Taciti operum augmentum plane egregium. Et ipse quidem post brevem vitam interiit atque ex oculis virorum doctorum evanuit, sed prolem reliquit qua monumentum ingenii aere perennius tuto ad posteritatem pervenit. Nam saeculo quinto decimo ad finem vergente duo codices inde descripti etiamnum supersunt. Horum exemplarium primum locum sibi potest vindicare[1] liber *Γ*, h. e. codex chartaceus Vaticanus n. 3429, scriptus a Pomponio Laeto, viro in litteris egregie versato, qui in urbe Roma a. 1497 mortem obiit. In ipso notatum legitur: *Cornelio Tacito della Vita d'Agricola, scritto di mano di Pomponio Laeto, ligato dietro al Tacito stampato. Ful. Urs.* Quippe illud Vaticanae bybliothecae exemplar continet principem Taciti editionem, quam Pomponius ascripta Agricolae vita ditavit. Ad marginem codicis *Γ* voces vel syllabae, partim comitante nota *Al'* partim sine eiusmodi admonitione, adiectae sunt. Haec non sunt tentamenta ipsius Pomponii, qui suas coniecturas apposito verbo *puto* designavit, sed discrepantes scripturae ex alio libro vel potius ex margine veteris exempli petitae: nam duos veteres libros Pomponio ad manum fuisse non credendum videtur. In ipso scripturae contextu voces quaedam vel litterae punctis subnotatae et ad delendum consignatae sunt. Tam notatis litteris quam nonnullis quae notam non habent aliae litterae superscriptae inveniuntur. His Pomponius aut errores a se in scribendo commissos aut aperta codicis vitia corrigere temptavit. Sic antiquum vitium ille repetivit c. 7 *inter praeturam quaesturam ac tribunatum*, sed mox animadvertit *praeturam* perperam

[1] Conf. Caroli Wex Proleg. ad Agricolam a. 1852 Brunsvigae editum.

adesse punctisque suppositis vocem supervacuam delendam designavit. Hoc mendum e vetere illo codice propagatum esse hinc colligo, quod idem a Puteolano toleratum esse video. Idem Pomponius c. 10 auctorem veterem secutus scripsit *itaque*, sed paulo post intelligens *que* esse pro *quę* (= quae), illud punctis notavit et *quę* superposuit. Ibi in vetere codice fuisse puto *ita que* leni macula aspersa pro *ita quę*: hinc scriba codicis statim memorandi (*Δ*) recte dedit *ita quae*, Pomponius *itaque*, Puteolanus falso explevit *itaque quae*. Alia vocabula perperam repetita et a Pomponio punctis notata, quae neque apud Puteolanum neque in libro *Δ* reperta sunt, errores a Pomponio et admissi et correcti videntur esse, veluti c. 19 *per aliena* (*exempla*) *experimenta*, 22 *moras* (*eruptionis*) *obsidionis*, 23 *propior sinus* (*sinus*) *tenebatur*, 26 *irru*(*m*)*pere*, 29 *praedata*(*m*), 32 *diutius* (*seruos*) *hostes quam seruos*, 36 *ictus ferire* (*ictus*).

Codice *Γ* primum usus est Broterius, tum Dronkius in duabus Agricolae editionibus Confluent. 1824, Fuldae 1844, instructus collatione a Maggioranio parata. Plenius et accuratius idem collatus est in usum Wexii, cuius copiis ego usus sum.

Ex eodem vetere codice, quem excripsit Pomponius, descendit *Δ*, h. e. codex Vaticanus n. 4498, membraneus, sub finem saeculi quinti decimi nitide scriptus. Insunt ibi: *Frontinus de aquaeduct.* (fol. 1 A); *Rufus de prouinciis* (fol. 20 B); *Suetonius de grammaticis et rhetoribus* (36 A); Pseudo-*Plinius de uiris illustribus* (45 B); *Taciti agricola* (63 B); *Taciti dialogus de oratoribus* (78 A); *Taciti Germania* (97 B); *M. Junii Nypsi de Mensuris* (109 B): *Incerti de ponderibus* (111 A); *Senecae ἀποκολοκύντωσις* (112 B), *Censorinus de die natali* (119 A—145). Hunc librum ex eodem fonte derivatum esse, unde *Γ* ad nos pervenit, hinc intellegitur, quod in omnibus gravioris momenti scripturis vitiisque ambo consentiunt, ea autem in quibus a se discedunt maximam partem a scriba codicis *Δ*, non satis attento animo ad negotium incumbente, peccata sunt. Alia discrepantiae causa haec fuit. Qui scripsit codicem *Δ*, is

codex librorum minorum Germanicus

nonnullas lectiones in margine exemplaris antiqui notatas in contextum verborum recepit, dum Pomponius auctorem veterem pressius secutus easdem in marginem libri Γ amandavit. Sic c. 9 pro *egregiae* Γ in contextu operis praebet *graeciae*, in margine *gratae*, sed Δ *gratae* in contextu habet, coniecturam pravam et in antiquo exemplari haud dubie in margine positam, a scriba codicis Δ adoptatam. Eandem viam meliore successu ingressus est c. 13, ubi *praeceptum*, a Pomponio in margine libri Γ (ex vetere exemplari) collocatum, pro corrupto illo *praecipue* adoptavit: nam illud verius esse etiam homo parum eruditus odorari potuit. Contra c. 39 pro *ut Domitiano moris erat* ex margine veteris exemplaris, ubi fuit *ut erat Domitianus* (hoc ex Γ cognoscitur qui notavit in margine *Al' ut erat Domitianus*), captus facilitate lectionis dedit *ut Domitianus erat*, mediam inter contextum et marginem viam ingressus. Multis in locis oscitantiae culpa et inscientiae vitio peccavit. Ita c. 45 in verbis *noster hic dolor, nostrum vulnus, nobis tam longae absentiae conditione ante quadriennium amissus est* pro voce *longae* posuit *nostrae*, cum ex praegressis in auribus eius *noster* et *nostrum* nimis inhaesissent. Perinde aberravit c. 6, ubi *medio luxuriae* pro *medio rationis*, ut erat in vetere exemplari, suppeditavit, nomine *luxuriae* ex versu subsequente imprudenter praecepto.

Codicem Δ primus adhibuit, sed pauca inde communicavit Broterius, dein Dronkius a. 1844. Pleniorum collationem adeptus est Wexius, unde discrepantes lectiones huius editionis petitae sunt.

Tertium exemplar ex vetusto illo sibi paravit Franciscus Puteolanus, cum anno 1476 aut circa id tempus Taciti Agricolam in hominum notitiam adductum Mediolani typis exprimere coepit in opere: *Plinii Secundi et aliorum Panegyrici. Acced. Agricolae vita per Cornelium Tacitum, et Petronii Arbitri satyrici fragmentum.* Qui hoc exemplum confecit, vitia et multa et varia commisit, sive nimis properanter scripsit sive ad veteris exemplaris ductus non satis animum attendit. Puteolanus tamen nonnulla rectius exhibuit quam codicum Γ et Δ scriptores, qua in re partim

mediocri coniectandi sollertia, partim veriore lectione veteris codicis adiutus est. codex librorum minorum Germanicus

Germaniae et *Dialogi* codices ante descriptos ex vetere libro Germanico, quem sua manu Ruodolfus, monachus Fuldensis, saeculo VIIII versavit, ducere originem vidimus (p. XVI—XXI). Idem Ruodolfus codicem *Mediceum priorem*, qui tunc duplo maior fuit, cognitum habuit (p. IIII sq.). Ex hoc codice prior pars, i. e. primi XVII fasciculi (quaterniones) avulsi iam erant, cum ipse sub initium saeculi XVI in Italiam ablatus et in manus *Iohannis de Medicis* traditus est. Hinc colligere hoc licet, Germaniae et Dialogi codicem, qui aliquot annis ante 1460 ex terra Germanorum in Italiam translatus est, ex illo libro Fuldensi avulsum esse. Idem licet coniectare de *Agricolae* codice, qui post annum 1470 ex tenebris emersit et in Italia descriptus atque ex apographo typis expressus est. Hinc et glossae et lacunae et menda errantis scriptoris librarii eiusdem generis sunt, ut illa quae in primis Annalium libris observantur, idque magis appareret, si in apographis propria vitia ab eorum auctoribus non admissa essent neque vetus orthographia ad consuetudinem saeculi quinti decimi immutata esset. Verum haec illorum librorum cognatio etiam aliis signis cognoscitur. Sic Agricolae codices, item codex Perizonianus Germaniae atque Dialogi plane ut prior Mediceus a formis *volgus*, *volnus*, *voltus*, *volgare*, *volgaris*, *volnerare*, quas abhorrere a Taciti usu in Philologo (t. XX pag. 655—658) nuper demonstravi, iure abstinent, dum alter Mediceus easdem formas modo recte devitat, modo inconstanter admittit. Porro notam litterarum *m* et *n* illi minorum librorum codices hanc ∽ exhibent, veluti *uultũ*, *amnẽ*, atque in hoc scribendi more cum priore Mediceo amice conspirant, dum alter Mediceus plerumque hoc signo ¬, aliquando hoc 3 utitur[1]. Ex his indiciis licebit colligere, librum Germanicum veterem, unde codices Germaniae et Agricolae et Dialogi cum libello Suetonii descripti sunt,

[1] Pro signis ¬ et 3 ego in notis hoc — delegi, nisi si lectorem vestigia codicis accurate inspicere ex re esse visum est.

codex librorum minorum Germanicus

non modo codici Mediceo priori persimilem fuisse, sed olim, cum Mediceus duplo maior erat, in XVII prioribus fasciculis eius constitisse, atque inde primum Germaniam cum Dialogo, mox etiam Agricolam divulsum et in Italiam ab hominibus pecuniae cupidis delatum esse.

vitia codicum

Hi codices, item illi unde ipsi provenere, Taciti verba non integra posteris tradiderunt, sed in longa per multa saecula migratione et in periculoso per tenebras barbarorum itinere quasi herba irrigua omnis generis maculae et errores succreverunt. Sed quid in Taciti libris manu scriptis aegrum, quid validum sit, ut via et ratione explicemus, vitiorum species variis temporibus natas ordine suo et successione consideremus necesse est.

primum vitiorum genus

Vetustissimum vitiorum genus tertio vel quarto post Christum saeculo illatum est, cum homo sedulus et ore tenus imbutus litteris glossas modo exiguas, modo ampliores partim in dextro, partim in sinistro codicis sui margine appinxit, quas mox alius scriba librarius modo ante, modo post verba quibus glossae aderant, in operis contextum admisit. De horum vitiorum origine exposui in Musei Rhenani tomo XVII p. 121 sqq., in Philologi t. XVIIII p. 267 sqq., XXI p. 601 sqq.[1] Ibidem indicavi cautionem, quam adhibentes aliena emblemata sine periculo erroris[2] segregare possumus. Glossas enim adesse iure nostro tunc existimabimus, cum verba suspecta aut sua sententia aut forma sermonis aut sententia simul et forma ceteris non conveniunt, cumque eorum quae absona sunt origo et fons demonstrari possunt[3]. Horum vitiorum nonnulla ante me reperta sunt, olim a Rhenano, Lipsio, Acidalio, Nic. Heinsio, Ernestio; nostris

[1] De glossis minorum librorum Taciti propediem in Museo Rhenano dicetur.

[2] Errores in eo negotio facillime et creberrime gignuntur, si modus non adhibetur ac iusta ratio non observatur.

[3] *Origo* cum nequeat aperiri verborum in Agricola c. 9 (*tristitiam et arrogantiam et avaritiam exuerat*), quae Wexius et Nipperdeius glossam esse opinantur, ipse assentiri illis non potui, sed glossam olim a me ibi designatam (*integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre iniuria virtutum fuerit*) tenui: nam huius additamenti origo patet. Nimirum notatio est reprehendentis ante dicta.

diebus in Tacito hoc criticae genus ego resuscitavi, varie ob id lacessitus laesusque, mox Nipperdeius, Haasius, alii: nunc ego in Annalium libris protraxi glossas 53, in Historiis 59, in Germania 14, in Agricola 7, in Dialogo 8. primum vitiorum genus

Altera vitiorum copia succrevit, cum accessit ad Tacitum scriptor librarius semidoctus, qui proxima quaeque potuit intellegere, sed ambitum verborum et amplioris structurae compagem perspicere et mente comprehendere non potuit. Hinc proxima quaeque perperam coniungendo largam mendorum multitudinem invexit, veluti II 30 *quaestio in caput domini prohibebantur* nomen *domini* pro nominativo habuit ideoque *prohibebantur* ex *prohibebatur* corrupit; c. 31 *adpositū mensa lumen* pro *adposita in mensa lumen* soloece composuit, falsa scilicet iunctura *adpositum — lumen* deceptus. Eadem chorda oberravit c. 38: *quod si ambitionem* (pro *ambitione*) *exhauserimus*, *ambitionem* obiectum esse verbi *exhauserimus* opinando. Conferantur ex tertio Annalium libro c. 47: *tum demum Tiberius ortum patratumque bellum senatus scripsit*, pro *senatui scripsit:* nam priorum oblitus scriba iunxit *senatus scripsit;* c. 75: *ut Labeonem Antistium — dignatione eius magistratibus* (pro *magistratus*) *anteiret;* XI 26 *flagitiis* (pro *flagitii*) *manifestis subsidium ab audacia petendum;* XIIII 32: *ut Britannis ad spem, ita veteranis ad metum trahebantur* deformavit *brittanni — veterani*, quos ipsos tractos esse falso credidit; XVI 34: *neu pericula sua miscere cum sorte damnati hortantur* (pro *hortatur*, nimirum huic scribae *damnati* nominativus erat); H. I 25: *in communi* (pro *commune*) *omnes metu — terrebantur*, c. 35 *linguae ferocis* (pro *feroces*), Agr. 11: *posita contra Hispaniam* (pro *Hispania*). Omitto ingentem numerum similium errorum: sed addam, ut res plana fiat, nonnulla exempla, in quibus falsa iunctura librarii hodie quoque toleratur. XI 2: *adeo ignaro Caesare, ut paucos post dies epulantem apud se maritum eius Scipionem percontaretur, cur sine uxore discubuisset, atque ille functam fato responderet*, ubi prave coniunctum est *ut — responderet*: nam Claudii ignorantia quamvis esset causa, cur ipse percontaretur quod gnarus percontari non poterat, inde tamen consequi non potuit respondere Scipionem fato alterum vitiorum genus

alterum vitiorum genus

functam esse uxorem suam. Itaque soluta prava compage et maiore distinctione posita post *discubuisset* Tacitus pergit: *atque ille functam fato respondet.* XIIII 4: *illuc matrem elicit, ferendas parentium iracundias et placandum animum dictitans, quo rumorem reconciliationis efficeret; accepitque Agrippina, facili feminarum credulitate ad gaudia.* Sic ego mutata distinctione et correcto *accepitque* pro *acciperetque* sanitatem loci reduxi: sed vetus librarius, particulam *quo* etiam ad alterum verbum pertinere ratus, corrupit *acciperetque* sententiamque pessum dedit: nam Nero sermonibus suis efficere potuit, ut rumor reconciliationis existeret, non simul, ut Agrippina eum rumorem tamquam verum crederet (*acciperet* = *ἀποδέχοιτο*): immo Tacitus nova structura pergit: *accepitque Agrippina (und Agrippina glaubte daran)*, quibus apte succedunt proxima: *facili feminarum credulitate ad gaudia*, quae Taciti observatio est feminarum ingenia bene noscentis, non Neronis, qui pro sua levitate mulierum credulitatem parum cognitam habebat. Eiusdem librarii culpa XV 16 *contraque prodiderint* corruptum est ex *contra quae prodidit:* quippe praecedit *ut horreis ignem inicerent*, post quae eadem iunctura perrexit *contraque prodiderint*, tum hoc ipsum correxit *prodiderit*, subsequente nomine *Corbulo* admonitus, sed altius vulnus insanatum reliquit. Nam inde quod in castris Romanorum commeatus supererant, non consequitur Corbulonem tradidisse, inopes copiarum Parthos fuisse. Exemplis ex Annalium opere petitis unum pro multis ex Historiis succedat, dico II 101, quae verba in Mediceo sic scribuntur: *aemulatione etiam invidiaque, ne ab aliis apud Vitellium anteirentur, pervertisse ipsum Vitellium*[1] *videntur.* In his verbis vetus scriba primum non vidit, tradi causas cur *Caecina* defecerit a Vitellio, non etiam cur *Bassus* eadem perfidia usus sit, id quod ante (c. 100) satis iam narratum est, tum non intellexit hoc, verba *prodito Galba vilem mox fidem* ut Caecinae aptissima, sic Basso in-

[1] Glossa *Vitellium* iam in codice Parisino vera coniectura omissa est. Hoc melius et planius est quam Heraei et Classeni conamina, quorum ille *ipse Vitellium*, hic *ipsi Vitellium videntur* coniecere.

eptissima esse, sed duorum ducum Vitellianorum nomina unice respiciens pro singulari multitudinis numerum suo errore suppeditavit. Verum huic errori viam munivit alius error: nam paulo ante vel eiusdem librarii scriptoris neglegentia vel vetustioris cuiusdam oscitantia in verbis a me iuste suppletis *Caecinae curam pacis — tradidere* nomen *Caecinae* omissum erat[1]. alterum vitiorum genus

Tertio ordine ad corrumpendas et truncandas Taciti reliquias successit qui saeculo nono scripsit codicem Mediceum priorem quaeque inde olim avulsa sunt, h. e. priores eius fasciculos, unde Germaniae, Agricolae, Dialogi libri saeculo XV facti sunt, item qui saeculo undecimo alterum Mediceum confecit. Vterque non tam scriptor fuit librarius quam litterarum et apicum imitator et pictor, qui sententiae describendae ignarus singulas voces et syllabas anxie secutus non solum immensam mendorum molem peperit, sed simul syllabas, verba, sententias varie transgressus est. Ac primum persaepe distraxit quae iungenda, coniunxit quae secernenda erant, veluti II 7: *obsideris exlegiones* pro *obsideri, sex legiones;* 20: *planę uenerant* pro *plana euenerant;* 33: *neu estis* pro *ne uestis;* 37: *interimq; hortensq;* pro *interim Q. Hortensii;* 39 *frude autuir aptum* pro *fraude aut ui raptum;* ibidem: *uagor|um ore* pro *uago rumore;* 41: *saturnio praecepta* pro *Saturni ob recepta;* 44: *aequos et* pro *aequo; set;* 47: *qui quem osteni* pro *quique Mosteni;* 49: *iatillius* pro *A. Atilius;* 55: *conluuie miliam* pro *conluuiem illam;* 64: *Omne mea* pro *omnem eam;* ibidem: *resistentiū* pro *resistenti uim;* 80: *enim terentur* pro *eniterentur;* H. I 3: *magis uetustis* pro *magisue iustis;* 7: *p̄minuit iā* pro *parem inuidiam;* 12: *milıtis tulta* pro *multi stulta;* 25 *militi ētrebantur* pro *militiae terrebantur;* 31: *euentior te* pro *euenit, forte;* 32: *spiratio* pro *si ratio;* 34: *speciosior asua dentibus* pro *speciosiora suadentibus,* 37: *obultroniis ablni* pro *Obultronii Sabini;* 46: *manipulis pars* pro *manipuli sparsa;* 47: tertium vitiorum genus

[1] Hinc explicandum est quod etiam nostra aetate non solum G. H. Walther, sed etiam Fr. Iacob et I. Classen falsam illam scripturam tueri conati sunt.

tertium vitiorum genus

omisisse tot fensas pro *omisisset offensas.* Haec vitia et eiusdem generis mille alia modica sunt ac ne mediocriter quidem peritum in re critica impedire possunt: longius a vero uterque scriptor discessit, cum litteras non suo ordine excepit, sed singulas permiscuit, exempli gratia II 33 et 70: *ipso* pro *Piso;* c. 40 *cilentibus* pro *clientibus,* IIII 24: *recepto leameo* pro *rege Ptolemaeo,* 50: *absinus* pro *Sabinus;* XI 16: *uenisse posse Testimesci* pro *uenisset, posse extimesci;* XV 51: *erant uarchus* pro *erat nauarchus;* XVI 24: *quo dubie non uenit* pro *quod ubi non euenit;* H. I 2: *occidentes. returbatum* pro *Occidente res. Turbatum;* c. 51: *qua herenū* pro *quae Rhenum;* H. III 58: *contempti mesti ne* pro *contemptim et sine;* H. IIII 42: *austa lutem* pro *aut salutem.* Cui vitio H. II 7 aliud ita admiscuit, ut pro compendio ą̄ (= *rum*) pingeret ⁊ (= *m*), simul mediam litteram (*u*) omitteret ac pro ILI suggereret In; sic provenit *bellu⁊. cu⁊ In* pro *bellorum civilium:* nam hoc pro recepta ibi Nipperdei coniectura *belli civilis* reponendum est, ut in Annalibus I 19 *ne civilium quidem bellorum victores* legimus.

Iidem scribae exemplum litteris quadratis sive uncialibus scriptum sui temporis litteris minoribus (cursivis) repraesentaverunt atque in ea mutatione saepe a vero aberravere. Sic E datum pro F I 34 et 41 *elexit* pro *flexit,* III 21 *eusti* pro *fusti,* item F pro E, ut I 43 *Fluant*[1] pro *eluant,* III 21 *ꝑfilio* pro *proelio*, H. IIII 71 *frigeret* pro *erigeret;* C pro G, ut I 69 *caliculam* pro *Caligulam,* II 17 *callicae* pro *Gallicae,* IIII 30 *amorcum* pro *Amorgum,* H III 39 *crassari* pro *grassari*[2], atque e contrario G pro C, ut II 25 *eligeret* pro *eliceret*, III 26 *lygurgus* pro *Lycurgus,* H. III 66 *degeret* pro *deceret,* H. IIII 71 *liguisset* pro *licuisset,* L pro I, veluti II 12 *seruilla* pro *seruilia,* c. 13 *conlectu* pro *coniectu*, XI 4 *sillus* pro *Silius*, rursus I pro L, ut H. III 69 *gratilia* pro *gratilla*, c. 71 *puluilius* pro *Pulullus*, porro T pro I, ut III 69 *minutura* pro *minui iura,* H. II 85 *allictebant* pro *alliciebant*, et I pro T, ut III 66

[1] Hoc in loco ipsam maiorem litteram, sed falsam, scriba retinuit.

[2] Hoc vitium auctum est omissa syllaba XI 6 *tacere* pro *ita agere.*

coitam pro *Cottam*, IIII 28 *uirique* pro *utrique*, H. II 74 tertium vitiorum genus] *iniant amole* pro *in tanta mole*, III 69 *ipso se Ini* pro *ipsos et*, *ni*, B pro R, ut XVI 22 *tenebo* pro *te*, *Nero*, H. II 71 *celebrabat* pro *celebrarat*. Quae litterarum mutationes plerumque facile agnosci corrigique possunt: sed maior nobis obicitur difficultas, ubi haec vitia aliis sive levioribus sive gravioribus cumulantur.

Verum uterque scriba librarius quomodo manu magis quam animo rem gesserit, hoc prae ceteris ex illo corruptionum genere cognoscitur, quod assimilandi incontinentia natum est; eius aberrationis variae species extiterunt. Ac levissimum assimilandi vitium illud est, cum in eodem vocabulo proxima syllaba subsequenti vel contra accommodatur, ut I 13 *rogori disineret* pro *rogari desineret*, c. 60 *decebantur* pro *dicebantur*, c. 68 *roro* pro *raro*, H. II 13 *agrastes* pro *agrestes*, H. IIII 23 *tustudinem* pro *testudinem*. Paulo maior accrescit turpitudo, si exitus vocum prioribus aut subsequentibus adaptatur, velut I 44 *donaria militaria* pro *dona militaria*, II 82 *templores fores* pro *templorum fores*, IIII 27 *feroricia seruitia* pro *ferocia seruitia*, VI 54 (48) *ludibria et pericularia* pro *ludibria et pericula*, XII 7 *cupitor talledius* pro *cupitor*, *Alledius*, c. 12 *petiuit*, *id* pro *petiuere*, *id*, H. I 2 *opibus casibus* pro *opinum casibus*, H. IIII 40 *laude cauruit* pro *laude caruit*.

Quid valeant verba ignari librarii dum syllabatim magis exemplum suum sequuntur, quam integras voces et sententias exprimunt, saepissime truncavere vocabula, modo medias syllabas, modo in fine, modo in principio aliquid omittendo. Mediae syllabae omissae pro permultis haec pauca exemplia sufficiant: II 36 *auretur* pro *augeretur*, c. 52 *insigna* pro *insignia*, 62 *transtulat* pro *transtulerat*, 63 *nequetas* pro *ne quietas*, 72 *cŭiacentium* pro *circumiacentium*, 73 *inter praetantur* pro *interpretabantur*, 83 *austalium* pro *Augustalium*, mox *adserauit* pro *adseuerauit*, H. II 3 *humarum* pro *humanarum*, c. 30 *datur* pro *dabitur*, 38 *accersit* pro *accersiuit*, 31 *ua|tionem* pro *uacationem*. Syllabae in principio verborum truncatae sunt III 17 *radendum* pro *eradendum*, c. 21 *genti* pro *quingenti*, 24 *tendi pro tetendi*, 46

tertium vitiorum genus

euincite pro *deuincite*, 48 *densium* pro *Homonadensium*, 66 *pro* pro *ultro*, H. V 5 *gerebant* pro *congerebant*, c. 8 *gia* pro *regia*, 15 *minus* pro *eminus*, 22 *toriis* pro *tentoriis*, 24 *iuriam* pro *iniuriam*.

Saepius fines vocum decussi sunt variis de causis, plerumque in concursu vocalium, aliquando cum litterae liquidae plures concurrerent aut aliae ad pronuntiandum difficiles, veluti VI 5 (V 10) *spe* pro *specie*, 14 (8) *officis* pro *officiis*, 17 (11) *publico* pro *publicoque*, 29 (23) *nuru* pro *nurui*, 32 (26) *principis* pro *principi suo*, 35 (29) *anteit* pro *anteiit*, 39 (33) *effunt* pro *effundunt*, 51 (45) *in* pro *illa*, XI 3 *percuri* pro *percursis*, *ei* pro *eius*, c. 5 *audacia* pro *audaciae*, 9 *quam* pro *quamquam*, cet.

Singula quaeque dum illi scribae sollicite imitantur, ad verba magis quam ad sententias attenti, non modo syllabas ita saepe transgressi sunt, ut a littera prioris syllabae ad eandem litteram sequentis aberrarent, ut in illis, quae proxime memoravi, *tendi* pro *tetendi*, *toriis* pro *tentoriis*, sed permultis locis integra vocabula aut sententiarum particulas sic praevecti sunt, ut cum primam litteram vocis alicuius scripsissent, ad eandem litteram sequentis vocabuli vel sententiae improvidi deferrentur. Quae scribarum titubatio cum editores et enarratores Taciti saepe latuerit, viro sollertissimo modo rara incuria, modo foeda vitia attribuuntur et liberaliter condonantur. Paucis exemplis rem explicabo. XIIII 65 vulgo editur: *eodem anno libertorum potissimos veneno interfecisse creditus est*, suppresso nomine eius qui interfecisse creditus est, quae ellipsis et vitiosa est et nulli scriptori Latino concessa, nedum Tacito, homine diligentissimo et egregio sermonis artifice digna. Verum ipse scripsit *Caesar creditus est*, scriba eius a priore *c* ad subsequentem devectus nomen necessarium omisit. Eadem via eadem medicina adhibita est loco mutilo I 63: *mox reducto ad Amisiam exercitu, legiones Caesar classe, ut advexerat, reportat.* XV 21 soloece adhuc scribebatur *maneat provincialibus potentiam suam tali modo ostentandi*, vitio ita turpi, ut tironi vix remitti possit. Sed in culpa est scribae imprudentia, non indomita quaedam Taciti licentia: nam ipse

haud dubie scripsit *maneat potestas provincialibus potentiam suam tali modo ostentandi*, eaque dictionis copia oratorem illic a se inductum imitatus est. Simili sive festinatione sive oscitantia saepissime[1] uterque scriba peccavit, quamquam non ubique via aberrationis tam facile agnoscitur ut in exemplis supra scriptis, vel II 2 *Caesar Augustus, auxitque*, vel IIII 6 *famaque aucta apud populum*, vel XI 23 *conspicante Capitolio* pro *Capitolio*, vel H. I 5 *praetorii praefecto*, vel H. IIII 19 *Vbiorum urbem* pro *urbem*, ut ibi vulgo patientius quam prudentius toleratur. Neque multum obscurata est omissi vocabuli causa H. I 20, ubi rescripsi *appellari singulos Galba iussit*, item H. II 95: *quod extructis in campo Martio aris inferias Neroni Vitellius fecisset*, ubi nomen Galbae et Vitellii evanuit. Id quomodo evenerit, facile perspiciet qui meminerit, illum scribam pro improba sua assimilandi inclinatione pronuntiasse priore loco *ialba iussit*, altero *fitellius fecisset*[2], ac sic ab altera *i* ad subsequentem, a priore *f* ad proximam aberrasse. Perinde falsa pronuntiandi consuetudo *Herennii* nomen obliteravit H. IIII 27 in verbis: *donec exitium minitantibus Herennius exterritus proditionem et ipse Hordeonio obiecit.* Nimirum librarius suo ore et more Italorum protulit *crennius* et sic ab huius vocis prima vocali ad subsequentem *e* in *exterritus* se transtulit. Augetur amissa restituendi difficultas, ubi plura verba vel tota sententia ea librarii neglegentia elapsa sunt, ut XV 72: *consularia insignia Nymphidio Sabino. De Nymphidio quando* cet., cuius loci eadem ratio est atque H. II 65 *exemplo L. Arruntii. Arruntium Tiberius Caesar — retinebat*[3], vel H. III 72, ubi mutilam sen- tertium vitiorum genus

[1] Ego in Annalibus 211 lacunas retexi et explevi quantum potui, in Historiarum libris 161, in Germania 12, in Agricola 26, in Dialogo 24. In Annalibus addo unam nunc demum animadversam: nam XI 1 repono: *repertus est Asiaticus apud Baias* pro *r. e. apud Baias.*

[2] Sic XV 36 *iam lestus* scribitur pro *iam gestus*, II. II 4 *ambales* pro *ambages*, alibi *finctus* pro *vinctus*, *firtus* pro *virtus*, unde perspicitur cur VI 36 *finivit* suggesserit pro *vitam finivit.*

[3] Horum supplementorum cum posterius a novis editoribus acceptum, prius spretum esset, ego in Philologi tomo XX p. 671 iniustas de hoc genere corruptionum et restitutionum haesitationes tollere conatus sum.

tertium vitiorum genus

tentiam sic explevi: *stetit prospere, dum pro patria bellavimus.* At tota sententia cum desideratur, res in lubrico est, ut in Agr. c. 36 sub finem, vel Dial. c. 3: *leges tu .... quid Maternus sibi debuerit*, ubi non certus sponsor sed probabilia conatus sententiam sic explevi: *leges tu inquit, si tibi curae, quid Maternus sibi debuerit.* Scilicet *in* vel *ĩ* haustum est a praecedente *tu*, dein a reliquo *quit* oculi scriptoris ad *quid Maternus* delapsi sunt. Sed levior quoque offensio utrumque scriptorem ad omittendas voces perpulit, nominatim litterarum auditu vel aspectu similium concursus, veluti H. II 13 *ut tot armatorum milia*, ubi *tot* necessario a me suppletum a proximo *ut* auribus vel dentibus describentis exemptum est, vel paulo post (c. 14) *ut quemque dolor ira inpulerant:* nam additum a me nomen *ira* non solum sententia postulat, quippe milites *dolent* ob immeritam Vitellii sortem, *irascuntur* ob perfidiam Bassi et Caecinae, sed simul verbi forma *inpulerant*, quae est in Mediceo, manifesto ostendit nomen eius affectus qui cum *dolore* plerumque et coniunctus est et a Tacito, turbantes milites cum describit, iungitur (I 41, II 19 et 82, H. IIII 44), in his verbis excidisse. Omissi nominis causa fuit primum extremae vocalis *a* cum prima verbi *inpulerant* concursus, tum confinium *dolor ir*(*a*) ad efferendum voce non facile. Consimili ratione XI 24 vocabulum *multos*, insertum verbis *et ne vetera scrutemur, multos Etruria — accitos*, periit: nam cum concurrerent quae ore describentis aegre continerentur (*mur, mul, etrur*), media vox de sua sede detrusa est. Addas his exemplis H. I 31 *non ordine militiae missus*, ibid. 29 *nuntii, ut*, H. IIII 75 *quamquam amici*, H. V 5 *proiectissima quamquam ad libidinem* cet. Aliquando plures causae simul effecerunt, ut vetus sermonis forma detruncaretur; id accidit verbis H. II 13 *etiam militibus principem auferre litem*, ubi in vetere exemplo fuisse iuste colligitur *auferrẽ*, cuius extrema vocalis cum subsequente *i* concurrens hanc (*i*) absorpsit; itaque integra fuerunt *auferrẽ ilitem*, h. e. *auferre militem.* Sed nondum est satis. Nam *principem* ante *auferre* ore scribentis elatum est *princip*, atque hinc alterum *princip*(i) ut male repetitum de

loco suo depulsum est. Integra igitur sententia est *etiam militibus principem, principi auferre militem.* Paucae tamen occurrunt lacunae, quarum iusta causa monstrari nequit, velut H. I 75 *Salvii* nomen in verbis *Vitellius litteras ad Salvium Titianum — composuit* sic omissum (vere id intercidisse hinc certum, quod vir consularis in prima eius mentione duobus nominibus pro constante Taciti usu vocandus erat), ut eius rei causa reddi nequeat. Hoc loco et similibus fortunae ludibrium dominatum esse credemus, verbi causa arrosam corruptamque vetustioris exempli membranam aut vim atramenti exesam fecisse, ut nonnulla perirent, aut scribam magis quam alibi sibi defuisse. tertium vitiorum genus

Lacunis simile illud est vitium, quo extremae vocum syllabae truncatae sunt. Id modo assimilandi inclinatione describentis, modo improba eius festinatione, saepe compendii notis falso acceptis evenit. De primo et secundo supra vidimus: de tertio nonnulla addam. Quod XIIII 39 et XV 25 *barbarum* pro *barbarorum* scriptum offendimus, hinc accidit quod utrobique *barbaru*^{1} (= *barbarum*) expressit pro *barbaro*^{2} (= *barbarorum*). Eidem errori originem debet *rem* pro *rerum* H. I 29 (*re*^{1} pro *re*^{2}), *pecuniam* pro *pecuniarum* H. II 84 (*pecunia*^{1} pro *pecunia*^{2}). Quod simulatque talibus exemplis didicimus, non dubitabimus rescribere H. II 88 insolens *contumeliarum* pro *insolens contumelia*^{1}, ut est in Mediceo, unde codices interpolati *contumeliae* non bene fecerunt ac malo successu editoribus adhuc approbaverunt. Hoc mendum omissa media syllaba auctum est, ut *legionum* pro *legionariorum* prodiret H. I 26, II 22 et 25, quo vitio Taciti in re militari summa diligentia obscurata est.

Haec habui quibus vitiorum in Tacitum illatorum genera et errorum species summatim comprehenderem causasque indicarem, cur in scribarum librariorum, qui Tacito contigere, diligentia haud mediocri tamen ingens seges glossarum, lacunarum, mendorum in scripta eius invecta sit[1]. Nihilo instrumento critici ingenium

[1] Tanta haec mendorum moles est, ut, nisi editorum sollertia et diligentia accessissent, in Taciti libris vix pauci versus sine offensione legi possint. Ab editoribus primum correcta sunt aperta vitia ac manifesta, nominatim a Puteolano et Beroaldo, mox magis tecta sublata sunt a Rhenano, Mureto, Lipsio,

instrumenti critici ingenium

minus cavendum est nobis, ne quid temere inde tollamus aut propere ibi mutemus id, quo vitiosa oratio provenire videatur. Nam qui scripsere libros Mediceos et codicem illum Germanicum, unde libri minores nati sunt, eo ingenio fuerunt, ut multa imprudenter omitterent aut perverse redderent, sed de suis non facile quidquam adicerent. Hinc eam legem in Tacito emendando observare debebimus, ut, nisi causam, cur vocula quae turbare cetera videatur accesserit, liquido demonstrare potuerimus, manum ab ea abstineamus et aliam sanandi viam circumspiciamus. Eius cautionis nonnulla exempla magno ex numero afferre placet. I 65: *clamitans 'en Varus et, eodemque iterum fato vinctae legiones.'* In his cum particulae male viderentur abundare, Lipsius *eodem* rescripsit, ego olim *et* delevi, quo utroque sermonis vitium tollitur, sed Taciti sententia non recuperatur. Nam *vinctae* quod sequitur argumento est, post *et* excidisse nomen illi contrarium sic *en Varus et fuga, eodemque* cet., cuius vocabuli omissi causa in annotatione a me exposita est. II 32: *supplicationum dies Pomponii Flacci sententia constituti: ut dona Iovi Marti Concordiae — L. Piso et Gallus Asinius — decrevere;* ibi particulam *ut,* iustae offensioni obnoxiam, veteres editores toleravere, Freinshemius expulit, contentus ex vitiosa verborum structura non vitiosam fecisse: sed adest remedium et lenius et probabilius, quo *at* reponitur pro *ut.* Scriba enim et hic et alibi V accepit pro A. XIIII 54: *cetera invidiam augent; quae quidem, ut omnia mortalia, infra tuam magnitudinem iacent, sed mihi incumbunt.* Pro *iacent* Lipsius interpolavit *iacet,* mox idem *incumbit* pro *incumbunt,* atque editores hanc formam sermonis secuti approbarunt interpolationem. Verum Seneca, cuius oratio ad Neronem ibi refertur, ut in proxime prioribus de *invidia* ex nimiis opibus sibi exorta loquitur, sic in subsequentibus de *curis* inde emergentibus dicere pergit. Quod qui intellexerit, scribet ac supplebit *cetera invidiam augent curam-*

Agricola, Acidalio, Heinsio, a duobus Gronoviis, Ernestio: nostrae aetatis criticis occultiora ulcera retegenda erant ac sananda. Noli igitur parciore laude ornare novos editores et emendatores, etiamsi tantam macularum copiam, quantam Rhenanus ac Lipsius, emovere non possunt.

instrumenti critici ingenium

que, quo facto cetera optime se habent. Ipsum nomen *curamque* ante *quae quidem* qua scribentis neglegentia omissum sit, satis liquere puto. H. I 54: *legati — modo in suas iniurias, modo — exercitus pericula et contumelias conquerentes, accendebant animos.* Ante *suas* praepositionem *in* nonnulli ex interpolatis codicibus abiecerunt; secuti sunt editores. Sed quod subsequitur *conquerentes*, h. e. simul querentes, ostendere potuit praegressum esse participium huic consentaneum, quod ego supplendo *invecti in suas iniurias* reduxi, unde patet scriptorem Medicei a priore ad alteram i manum transtulisse. H. II 12: *possessa per mare et naves et maiore Italiae parte penitus usque ad initium maritimarum Alpium.* Excussit *et* ante *maiore* Beroaldus eumque imitati sunt ceteri editores: sed acrius inspicienti verba *penitus usque ad initium maritimarum Alpium* facile patebit non satis esse memorari *maiorem Italiae partem*, sed *Liguriae oram* commemorari debuisse. Itaque lacunae signa post *et maiore Italiae parte* posui atque olim fere sic fuisse *et omni Ligurum ora* indicavi. Omittendi ansam dederunt duo vocabula eadem littera *p* incipientia (*parte penitus*), quae describentem induxerunt ut ab illo ad hoc transcurreret, plane ut II 9 *permissu ... progressusque* mediis obliteratis expressum est. H. II 36: *laeto milite et ad mutationem ducum, et ducibus — tam infestam militiam aspernantibus.* Quia *et* post *milite* vitiose adesse videbatur, in nonnullis codicibus interpolatis expunctum est, idque editores probaverunt. Sed Tacitus *laetus ob mutationem* scribere potuit, non *laetus ad mutationem.* Etiam hoc loco *et* innoxium est vocemque omissam esse arguit, quam ego postliminii iure restitui *laeto milite et prono ad mutationem ducum.* Scriptor Medicei ab *et* festinavit ad voculam huic similem *ad* mediamque (*pno*) transcucurrit. His exemplis probe consideratis lector benevolus cetera, in quibus aliquid aut supplevi aut mutavi, facile iusteque diiudicare poterit [1].

[1] Corruptos vel mutilos Taciti locos copiosius tractavi in Musei Rhenani tomo XVI et XVII, in Philologi t. XVIIII et XX et XXI. Aliquotiens tamen a via illic temptata nunc recessi lenioro reperto remedio, in nonnullis locis prioris

instrumenti critici ingenium

Orthographiae inconstantia non parva per libros Mediceos dominatur; quae ubi ipsi auctori non absurde tribui posse videbatur, non vitandam eam esse putavi, veluti in vocibus *aspectus* et *adspectus*, *coniux* et *coniunx*, *urgere* et *urguere*, *prehendi* et *prendi*, *obedire* et *oboedire*, *promiscus* et *promiscuus*, *benivolentia* et *benevolentia*, *valitudo* et *valetudo*, *exsolvere* et *exolvere*, *exsequi* et *exequi*, *adcurrere* et *accurrere*, *inpellere* et *impellere*[1], *conpellere* et *compellere*, *obtinere* et *optinere*, *percontari* et *percunctari*. In his ne nos quidem, qui talia diligentius quam veteres attendimus, satis nobis constamus, nedum auctores antiqui, a quibus gravia diligenter, levia et exigua sine cura observabantur. In genetivis nominum in *ius* et *ium* desinentium formam *ii*, ubi consona praecedit, ubique exhibui consentientibus Mediceis per locos quam plurimos, discrepantibus in tam paucis et facilem dissensus explicationem praebentibus, ut hanc formam Tacito praeplacuisse statuere debeamus. Sed ubi tertio a fine loco vocalis est, iidem testes contractionem commendant, veluti *Gai*, non *Gaii*, *Pompei*, *Antei*, *Vultei*. Alia ad orthographiam spectantia in annotatione breviter exposui, de nonnullis propediem in Museo Rhenano et Philologo disputabo.

Scribebam Bonnae mense Iulio a. 1864.

temporis criticos verum iam repperisse cognovi; hinc illorum nomina pro meo in hac editione collocavi.

[1] Constanter expressi *imperare*, *imperium*, *expectare*, *extinguere*, *exilium*, *exul*: nam discrepantis formae (*inperare*, *exspectare*, *exsul*) in utroque libro tam pauca exempla sunt, ut prae ingenti ceterorum numero nihil valeant.

CORNELII TACITI

OPERA

QUAE SUPERSUNT.

Annotationem legenti haec observanda sunt. Lectiones priore loco solitis litteris ac nullo signo positae, item altero et verbis emendatis oppositae, in sex prioribus Annalium libris e codice Mediceo primo plutei sexagesimi octavi, in ceteris Annalium et Historiarum libris e codice secundo eiusdem plutei a me enotatae sunt. Quicquid superscriptum vel correctum inde refertur, ab altera manu accessit, ubi contrarium haud notatur; *om* est 'omittit Mediceus', linea (|) finem versus in priore aut altero codice indicat. Praeposita lectioni stellula (*) meam coniecturam significat, *B* Beroaldi correctionem, *R* Rhenani, *L* Lipsii, *Gronovius* Ioannis Friderici Gronovii, *Heinsius* Nicolai Heinsii. *G* est codex Gudianus, ς unus aut plures ex recentioribus et interpolatis. Ascriptum *sic* admonet, meum testimonium a Baitero, qui proxime ante me codices Mediceos comparavit, plus minusve discrepare; *pr* priorem manum codicis designat, quae ubi vitiose scripsit, silentium prodit, scripturam veterem ab altera manu ita correctam esse, ut in contextu positum est. De signis codicum in minoribus Taciti libris adhibitorum suo loco monitum est. Sine nota numeri ad Annales referuntur.

CORNELII TACITI

AB EXCESSV DIVI AVGVSTI

SIVE

A N N A L I V M

LIBER I.

BREVIARIUM. Cap. 1—10. Prooemium. Operis consilium et scribentis propositum (1). Pauca de Augusto et extrema; quomodo ad imperium accesserit (2), quae subsidia dominationi providerit (3). Ex ceteris ad summam spem admotis postremo nemo reliquus nisi Tiberius Nero, Liviae matris artibus adiutus; eo cuncta vergere. De imminentium dominorum ingeniis rumores (4). Augustus Nolae moritur, Tiberius ingressus Illyricum properis Liviae litteris accitur (5). Agrippa Postumus in Planasia insula interemptus, idque primum novi principatus specimen (6). Servilia Romae ingenia. Tiberii cunctatio et dissimulatio (7). De supremis Augusti apud patres Tiberio coram consultatum et testamentum eius recitatum (8). De Augusto sermones vana mirantium ac sententiae prudentium (9—10).

C. 11—54. Subsequitur in annorum serie iam per Annales exequenda novi principatus primus annus vel potius anni primi menses reliqui quinque, ab urbe condita 767, a Christo nato 14. Augusto caelestes religiones decernuntur, Tiberio principatus et imperium (11—14); comitia e campo ad patres transferuntur (15). Haec in urbe: at in Pannonia legiones tres seditio incessit, quae a Blaeso legato vix reprimitur, mox a Druso, Tiberii filio, sedatur (16—30). Isdem ferme diebus etiam Germanicae legiones turbatae. Inferioris Germaniae militi obviam it Germanicus, non sine vitae suae periculo, atque seditiosos verbis et largitione promissisque permulcere conatur, superiorem exercitum sacramento adigit (31—38). Regressum ad aram Vbiorum excipiunt novae duarum legionum turbae, sed facunda eius oratione animi ad modestiam flectuntur; tum noxii puniuntur (39—44). Iras retinent duae legiones apud Vetera hibernantes. Romae de publicis malis rumores. Tiberio certum non omittere caput rerum, quamquam iturum se simulat. Germanicus dum arma Rheno demittere adversus Vetera parat, innoxii ibi invadunt in seditionis auctores et plurimo cum sanguine ultionem exequuntur (45—49). Germanicus militem adversus Germanos ducit, ventumque ad vicos Marsorum. Hostium magna strages; in regressu exercitus periclitatur, sed intento Germanici studio incolumis evadit (49—51). Tiberii laetitia et cura (52). Eodem anno Iulia moritur in oppido Reginorum, Sempronius Gracchus interficitur. Sodales Augustales instituti (52—54).

C. 55—81. Annus a Ch. n. 15, imperatoris Tiberii 2. Germanicus bellum in aestatem summa ope a se paratum repentino in Chattos excursu, facto ex superiore provincia, praecepit, penetratumque ad Adranam. Incenso Mattio vertit ad Rhenum (55—56), sed agmen in itinere convertit ad castellum Cheruscorum Segestemque a suis circumsessum. Liberatur Segestes cum magna propinquorum manu, in quibus uxor Arminii (57—58). Arminius Cheruscos ad bellum stimulat (59). Altera in Cheruscos et socios expeditio Germanici, in qua adit saltum Teutoburgiensem, Varo caeso militibusque suprema solvit; id Tiberio non probatum (60—62). Cum Arminio in avia regresso pugna; manibus aequis abscessum (63). Romanus ad Rhenum revertitur, Caecina cum suo milite itinere terrestri super Pontes longos redit, ubi ab hoste circumventus gravem cladem vix effugit (63—69). Germanicus reducto ad Amisiam exercitu, legiones classe per lacus reportat (70), cunctos alloquio et cura sibi et proelio firmat (71). Subsequuntur res domesticae: Tiberius civilem animum ostendit, sed fidem non facit, reducta lege maiestatis (72—74); nec patrum cognitionibus satiatus iudiciis assidet in cornu tribunalis; idem erogandae per honesta pecuniae cupidus (75). Eodem anno actum de subducendis Tiberi aquis (76—79). Poppaeo Sabino prorogatur provincia Moesia, additis in tempus Achaia et Macedonia (80); comitia consularia (81).

Vrbem Romam a principio reges habuere; libertatem et consulatum L. Brutus instituit. Dictaturae ad tempus sumebantur; neque decemviralis potestas ultra biennium, neque tribunorum militum consulare ius diu valuit. Non Cinnae, non Sullae longa dominatio; et Pompei Crassique potentia cito in Caesarem, Lepidi atque Antonii arma in Augustum cessere, qui cuncta discordiis civilibus fessa nomine principis sub imperium accepit. Sed veteris populi Romani prospera vel adversa claris scriptoribus memorata sunt; temporibusque Augusti dicendis non defuere decora ingenia, donec gliscente adulatione deterrerentur. Tiberii Gaique et Claudii ac Neronis res florentibus ipsis ob metum falsae, postquam occiderant, recentibus odiis compositae sunt. Inde consilium mihi pauca de Augusto et extrema tradere, mox Tiberii principatum et cetera, sine ira et studio, quorum causas procul habeo. Postquam Bruto et Cassio caesis nulla iam publica arma, Pompeius aput Siciliam oppressus, exutoque Lepido, interfecto Antonio ne Iulianis quidem partibus nisi Caesar dux reliquus,

P. CORNELII TACITI *in summo margine a vetere manu* 1 AB EXCESSV DIVI AVG. VRBEM ROMAM A PRINCIPIO RE GES HABVERE. LIBERTATEM ET CONSVLATVM L. brutus *sic primi duo versus* 2 adtempus 4 consulare] sula *in rasura* 6 Lepidi atque *B*: lapidiatque 8 Romani] *R.* 11 adulacione deterrerentur *in rasura* 15 c&era (*sic*) ꝑcul 17 exsutoque 18 iulianus *pr* reliqus *pr*

posito triumviri nomine consulem se ferens; et ad tuendam plebem tribunicio iure contentus, ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, insurgere paulatim, munia senatus magistratuum legum in se trahere, nullo adversante, cum ferocissimi per acies aut proscriptione cecidissent, ceteri nobilium, quanto quis servitio promptior, opibus et honoribus extollerentur ac novis ex rebus aucti tuta et praesentia quam vetera et periculosa mallent. Neque provinciae illum rerum statum abnuebant, suspecto senatus populique imperio ob certamina potentium et avaritiam magistratuum, invalido legum auxilio, quae vi ambitu, postremo
3 pecunia turbabantur. Ceterum Augustus subsidia dominationi Claudium Marcellum, sororis filium, admodum adulescentem pontificatu et curuli aedilitate, M. Agrippam, ignobilem loco, bonum militia et victoriae socium, geminatis consulatibus extulit, mox defuncto Marcello generum sumpsit; Tiberium Neronem et Claudium Drusum privignos imperatoriis nominibus auxit, integra etiam tum domo sua. Nam genitos Agrippa Gaium ac Lucium in familiam Caesarum induxerat, necdum posita puerili praetexta principes iuventutis appellari, destinari consules specie recusantis flagrantissime cupiverat. Vt Agrippa vita concessit, L. Caesarem euntem ad Hispanienses exercitus, Gaium remeantem Armenia et vulnere invalidum mors fato propera vel novercae Liviae dolus abstulit, Drusoque pridem extincto Nero solus e privignis erat, illuc cuncta vergere: filius, collega imperii, consors tribuniciae potestatis adsumitur omnisque per exercitus ostentatur, non obscuris, ut antea, matris artibus, sed palam hortatu. Nam senem Augustum devinxerat adeo, uti nepotem unicum, Agrippam Postumum, in insulam Planasiam proiecerit, rudem sane bonarum artium et robore corporis stolide ferocem,

1 se ferens; et] se ferens et *vulgo* adtuendam 2 contentus *Pluggers*: contentum 7 ac *B*: at, *ut videtur* exrebus 12 c&erum (*sic*) 13 ad modum 18 tum *Fr. A. Wolf*: dum (*perinde aberrat* 1 77, 2 36, 3 18) genitus *pr* 20 nec dum 21 destinari *Acidalius*, designari *pro* destinari *per calami errorem Muretus*: destinare spetie 23 hispanienses] e *posterius est e vetere correctione, fuit fortasse* hispaniensis ex uulnere *Pluggers* 30 plánesiam *pr* *proiecerit: ꝓiecceret (*cf.* 2 55 *et* 80, 3 21,

nullius tamen flagitii conpertum. At Hercule Germanicum, Druso ortum, octo aput Rhenum legionibus inposuit adscirique per adoptionem a Tiberio iussit, quamquam esset in domo Tiberii filius iuvenis, sed quo pluribus munimentis insisteret. Bellum ea tempestate nullum nisi adversus Germanos supererat, abolendae magis infamiae ob amissum cum Quintilio Varo exercitum quam cupidine proferendi imperii aut dignum ob praemium. Domi res tranquillae, eadem magistratuum vocabula; iuniores post Actiacam victoriam, etiam senes plerique inter bella civium nati: quotus quisque reliquus qui rem publicam vidisset? Igitur verso civitatis statu 4
nihil usquam prisci et integri moris: omnes exuta aequalitate iussa principis aspectare, nulla in praesens formidine, dum Augustus aetate validus seque et domum et pacem sustentavit. Postquam provecta iam senectus aegro et corpore fatigabatur aderatque finis et spes novae, pauci bona libertatis in cassum disserere, plures bellum pavescere, alii cupere. Pars multo maxima inminentis dominos variis rumoribus differebant: trucem Agrippam et ignominia accensum non aetate neque rerum experientia tantae moli parem, Tiberium Neronem maturum annis, spectatum bello, set vetere atque insita Claudiae familiae superbia, multaque indicia saevitiae, quamquam premantur, erumpere. Hunc et prima ab infantia eductum in domo regnatrice; congestos iuveni consulatus, triumphos; ne iis quidem annis, quibus Rhodi specie secessus exulem egerit, aliquid quam iram et simulationem et secretas libidines meditatum. Accedere matrem muliebri inpotentia: serviendum feminae duobusque insuper adulescentibus qui rem publicam interim premant, quandoque distrahant. Haec atque talia agitantibus, gravescere valitudo Au- 5
gusti, et quidam scelus uxoris suspectabant. Quippe rumor incesserat, paucos ante menses Augustum, electis consciis et

4 51. *H.* 1 55 *et* 60) 1 herculae 2 rbenum 3 atiberio quãquã 4 munimentis *L* : moniñtis 8 domi res *B* : dormires 12 omnes *Muretus* : omnis exsuta 13 nulla in *B* : nullam 17 disserere *B* : dissere 18 inminentis *retere m. corr. ex* inmenentis 20 non] ñ 23 praemantur 24 infantiae ductum 25 is *pr, corr.* iis spetie 26 exul *Muretus* 27 libidines *B* : lapidines (lubidines *Bekker*) 28 faeminę (*sic*) 29 p̃mant, *ut saepe* 32 conscis

comite uno Fabio Maximo, Planasiam vectum ad visendum Agrippam; multas illic utrimque lacrimas et signa caritatis spemque ex eo fore ut iuvenis penatibus avi redderetur: quod Maximum uxori Marciae aperuisse, illam Liviae. Gnarum id Caesari; neque multo post extincto Maximo, dubium an quaesita morte, auditos in funere eius Marciae gemitus semet incusantis, quod causa exitii marito fuisset. Vtcumque se ea res habuit, vixdum ingressus Illyricum Tiberius properis matris litteris accitur; neque satis conpertum est, spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam an exanimem reppererit. Acribus namque custodiis domum et vias sepserat Livia, laetique interdum nuntii |vulgabantur, donec provisis quae tempus monebat simul excessisse Augustum et rerum potiri Neronem fama eadem tulit. p. Ch. 14.

6 Primum facinus novi principatus fuit Postumi Agrippae caedes, quem ignarum inermumque quamvis firmatus animo centurio aegre confecit. Nihil de ea re Tiberius aput senatum disseruit: patris iussa simulabat, quibus praescripsisset tribuno custodiae adposito, ne cunctaretur Agrippam morte adficere, quandoque ipse supremum diem explevisset. Multa sine dubio saevaque Augustus de moribus adulescentis questus, ut exilium eius senatus consulto sanciretur, perfecerat: ceterum in nullius umquam suorum necem duravit, neque mortem nepoti pro securitate privigni inlatam credibile erat. Propius vero Tiberium ac Liviam, illum metu, hanc novercalibus odiis, suspecti et invisi iuvenis caedem festinavisse. Nuntianti centurioni, ut mos militiae, factum esse quod imperasset, neque imperasse sese et rationem facti reddendam aput senatum respondit. Quod postquam Sallustius Crispus,

4 gnarum *L* : c· nauum *pr* (*ex* c· *factum* G *a manu sec.*) 7 utcũque 8 aea 11 saepserat, *idem* c. 9 saeptum, *sed* 6 48 septa, *alter* 13 18 saeptus. 14 45 saepsit, *sed* 12 31 septum *et* obseptis, 14 31 septam, 14 37 sepserant, 15 27 obsepserant, 38 septe, 57 sepsisset, 60 sepsit, obsepserat *H.* 3 8, intersepta 21 *et* 53, septus *H.* 4 2, septa *H.* 4 32, septum *H.* 4 71 (*verbum ex* se-apio *compositum fit* sepio, *non* saepio; cf. σηκός) 15 facimus *pr* 16 caedis que mignarum *pr* 17 de ea re *B* : de aere 19 agrippa (m *in marg. add.*) 20 quandocũque *B et marg.* 21 quaestus 23 c&erum umquã 27 nuncianti utnos (ut mos *B et in margine*)

particeps secretorum (is ad tribunum miserat codicillos), comperit, metuens ne reus subderetur, iuxta periculoso ficta seu vera promeret, monuit Liviam ne arcana domus, ne consilia amicorum, ministeria militum vulgarentur, neve Tiberius vim principatus resolveret cuncta ad senatum vocando: eam conditionem esse imperandi, ut non aliter ratio constet quam si uni reddatur.

At Romae ruere in servitium consules, patres, eques. 7 Quanto quis inlustrior, tanto magis falsi ac festinantes, vultuque composito, ne laeti excessu principis neu tristiores primordio, lacrimas gaudium, questus adulationem miscebant. Sex. Pompeius et Sex. Appuleius consules primi in verba Tiberii Caesaris iuravere, aputque eos Seius Strabo et C. Turranius, ille praetoriarum cohortium praefectus, hic annonae; mox senatus milesque et populus. Nam Tiberius cuncta per consules incipiebat, tamquam vetere re publica et ambiguus imperandi: ne edictum quidem, quo patres in curiam vocabat, nisi tribuniciae potestatis praescriptione posuit sub Augusto acceptae. Verba edicti fuere pauca et sensu permodesto: de honoribus parentis consulturum, neque abscedere a corpore idque unum ex publicis muneribus usurpare. Sed defuncto Augusto signum praetoriis cohortibus ut imperator dederat; excubiae arma, cetera aulae; miles in forum, miles in curiam comitabatur. Litteras ad exercitus tamquam adepto principatu misit, nusquam cunctabundus nisi cum in senatu loqueretur. Causa praecipua ex formidine, ne Germanicus, in cuius manu tot legiones, immensa sociorum auxilia, mirus apud populum favor, habere imperium quam expectare mallet. Dabat et famae, ut vocatus electusque potius a re publica videretur quam per uxorium ambitum et senili adoptione inrepsisse. Postea cognitum est ad introspiciendas etiam procerum voluntates inductam dubitationem: nam verba vultus in crimen detorquens recondebat.

3 seuera (v *ab altera manu*) 7 reddantur 10 tristiores *in margine et B in annot.* : tristior 11 quaestus adulationem *Heinsius* : adulatione *in fine versus* 12 Appuleius] apuleius (Appuleius *tituli, cf.* 2 50) coñs. primi I *postrema littera in rasura* 13 Seius Strabo *B et margo* : selu strabo (*sic*) 30 a republica 31 intro spiciendas

8 Nihil primo senatus die agi passus est nisi de supremis Augusti, cuius testamentum inlatum per virgines Vestae Tiberium et Liviam heredes habuit. Livia in familiam Iuliam nomenque Augustum adsumebatur; in spem secundam nepotes pronepotesque, tertio gradu primores civitatis scripserat, plerosque invisos sibi, sed iactantia gloriaque apud posteros. Legata non ultra civilem modum, nisi quod populo et plebi quadringenties tricies quinquies *sestertium*, praetoriarum cohortium militibus singula nummum milia, legionariis aut cohortibus civium Romanorum trecenos nummos viritim dedit. Tum consultatum de honoribus; ex quis (qui) maxime insignes visi, ut porta triumphali duceretur funus, Gallus Asinius, ut legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur, L. Arruntius censuere. Addebat Messala Valerius renovandum per annos sacramentum in nomen Tiberii; interrogatusque a Tiberio num se mandante eam sententiam prompsisset, sponte dixisse respondit, neque in iis quae ad rem publicam pertinerent consilio nisi suo usurum, vel cum periculo offensionis: ea sola species adulandi supererat. Conclamant patres corpus ad rogum umeris senatorum ferendum. Remisit Caesar adroganti moderatione, populumque edicto monuit ne, ut quondam nimiis studiis funus divi Iulii turbassent, ita Augustum in foro potius quam in campo Martis, sede destinata, cremari vellent. Die funeris milites velut praesidio stetere, multum inridentibus qui ipsi viderant quique a parentibus acceperant diem illum crudi adhuc servitii et libertatis *per* inprospera repetitae, cum occisus dictator Caesar aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus videretur: nunc senem principem, longa potentia, provisis etiam heredum in rem publicam opibus, auxilio scilicet militari tuendum, ut sepultura eius quieta foret.

1 est *Nipperdey* : *om* 4 Augustum *Iac. Gronovius* : augustu *vel* augusta' *fuit*, [*nunc ex corr. est* augustae *in fine versus* (*cf.* c. 53, 2 52) 6 * apud : ad (*cf.* c. 32, *H.* 1 21, 2 50 *cet.*) 8 * quadringenties tricies quinquies sestertium : CCCCXXXV 9 aūt *in margine* 11 qui *Bezzenberger* : *om* 12 portat triumphali 13 anteferentur 14 messala (*hoc nomen in priore Mediceo plerumque* messala, *ab altero saepius* messalla *scribitur, quam inconstantiam servavi* 19 speties 27 * per inprospera : inpspera improspere *L*) repetitae *L* : repetita 28 pulcherrimū facimus.

Multus hinc ipso de Augusto sermo, plerisque vana 9
mirantibus, quod idem dies accepti quondam imperii princeps et vitae supremus, quod Nolae in domo et cubiculo in quo pater eius Octavius vitam finivisset. Numerus etiam consulatuum celebrabatur, quo Valerium Corvum et C. Marium simul aequaverat; continuata per septem et triginta annos tribunicia potestas, nomen imperatoris semel atque vicies partum, aliaque honorum multiplicata aut nova. At apud prudentes vita eius varie extollebatur arguebaturve. Hi pietate erga parentem et necessitudine rei publicae, in qua nullus tunc legibus locus, ad arma civilia actum, quae neque parari possent neque haberi per bonas artes. Multa Antonio tum, cum interfectores patris ulciscerentur, multa Lepido concessisse. Postquam hic socordia senuerit, ille per libidines pessum datus sit, non aliud discordantis patriae remedium fuisse quam ut ab uno regeretur. Non regno tamen neque dictatura, sed principis nomine constitutam rem publicam; mari Oceano aut amnibus longinquis septum imperium; legiones provincias classes, cuncta inter se conexa; ius aput cives, modestiam aput socios; urbem ipsam magnifico ornatu; pauca admodum vi tractata, quo ceteris quies esset. Dice- 10
batur contra: pietatem erga parentem et tempora rei publicae obtentui sumpta: ceterum cupidine dominandi concitos per largitionem veteranos, paratum ab adulescente privato exercitum, corruptas consulis legiones, simulatam Pompeianarum gratiam partium; mox ubi decreto patrum fasces et ius praetoris invaserit, caesis Hirtio et Pansa, sive hostis illos, seu Pansam venenum vulneri adfusum, sui milites Hirtium et machinator doli Caesar abstulerit, utriusque copias occupavisse; extortum invito senatu consulatum, armaque quae in Antonium acceperit contra rem publicam versa; proscriptionem civium, divisiones agrorum, ne ipsis quidem qui fecere laudatas. Sane Cassii et Brutorum exitus paternis

3 supraemus 5 consolatuum *pr* 7 inpe peratoris 9 uitae 13 *tum. cum: tũc (dum *Muretus*, *cum* Haase) ulcisceretur *B* 16 quam ut *Perrettus*: quam 18 saeptum 19 *prius* aput *vetere m. corr.* apud 29 abstulerit *Pluygers*: abstulerat 30 ocupauisse 33 cepere *Muretus* prutorum

inimicitiis datos, quamquam fas sit privata odia publicis utilitatibus remittere: sed Pompeium imagine pacis, sed Lepidum specie amicitiae deceptos; post Antonium, Tarentino Brundisinoque foedere et nuptiis sororis inlectum, subdolae adfinitatis poenas morte exsolvisse. Pacem sine dubio post haec, verum cruentam: Lollianas Varianasque clades, interfectos Romae Varrones, Egnatios, Iulos. Nec domesticis abstinebatur: abducta Neroni uxor et consulti per ludibrium pontifices an concepto necdum edito partu rite nuberet; Q. Pedii et Vedii Pollionis luxus; postremo Livia, gravis in rem publicam mater, gravis domui Caesarum noverca. Nihil deorum honoribus relictum, cum se templis et effigie numinum per flamines et sacerdotes coli vellet. Ne Tiberium quidem caritate aut rei publicae cura successorem adscitum, sed quoniam adrogantiam saevitiamque eius introspexerit, comparatione deterrima sibi gloriam quaesivisse. Etenim Augustus paucis ante annis, cum Tiberio tribuniciam potestatem a patribus rursum postularet, quamquam honora oratione, quaedam de habitu cultuque et institutis eius iecerat, quae velut excusando exprobraret. Ceterum sepultura more perfecta templum et caelestes religiones decernuntur.

11 Versae inde ad Tiberium preces. Et ille varia edisserebat de magnitudine imperii, sua modestia. Solam divi Augusti mentem tantae molis capacem: se in partem curarum ab illo vocatum experiendo didicisse quam arduum, quam subiectum fortunae regendi cuncta onus. Proinde in civitate tot inlustribus viris subnixa non ad unum omnia deferrent: plures facilius munia rei publicae sociatis laboribus exsecuturos. Plus in oratione tali dignitatis quam fidei erat; Tiberioque

1 inimicitiis *B* : inimititius 3 spetie 4 ¡subdole 7 Iulos *L* : iulios 8 abducta *B* : adducta 9 nuberet. Q. Pedii *Fr. A. Wolf* : nuberetque tedii (t *pro* p *successit propter praegressum Quinti*) 11 gravis domui *B in annot.* : grauius domu mui (*inter* domu *et* mui *discissa est membrana*) 12 efficie *pr* 13 flammines 16 deterrimi *Muretus* 17 apatribus. *mox* dehabitu, *ac plura eiusdem generis* 20 perfectã 22 uaria edisserebat *Linker in diarn. gymn. Austr. t. IIII p.* 292 : uariae disserebat (uarie diss. *B; cf. H.* 3 52 : cunctandi utilitatem edisserens, *etiam H.* 4 81)

etiam in rebus quas non occuleret, seu natura sive adsuetudine, suspensa semper et obscura verba: tunc vero nitenti, ut sensus suos penitus abderet, in incertum et ambiguum magis implicabantur. At patres, quibus unus metus si intellegere viderentur, in questus lacrimas vota effundi; ad deos, ad effigiem Augusti, ad genua ipsius manus tendere, cum proferri libellum recitarique iussit. Opes publicae continebantur, quantum civium sociorumque in armis, quot classes, regna provinciae, tributa aut vectigalia, et necessitates ac largitiones. Quae cuncta sua manu perscripserat Augustus addideratque consilium coercendi intra terminos imperii, incertum metu an per invidiam. Inter quae senatu ad infimas obtestationes procumbente, dixit forte Tiberius se ut non toti rei publicae parem, ita quaecumque pars sibi mandaretur, eius tutelam susceperturum. Tum Asinius Gallus 'interrogo' inquit, 'Caesar, quam partem rei publicae mandari tibi velis'. Perculsus inprovisa interrogatione paulum reticuit: dein collecto animo respondit nequaquam decorum pudori suo legere aliquid aut evitare ex eo, cui in universum excusari mallet. Rursum Gallus (etenim vultu offensionem coniectaverat) non idcirco interrogatum ait, ut divideret quae separari nequirent, sed et sua confessione argueretur, unum esse rei publicae corpus atque unius animo regendum. Addidit laudem de Augusto, Tiberiumque ipsum victoriarum suarum quaeque in toga per tot annos egregie fecisset admonuit. Nec ideo iram eius lenivit, pridem invisus, tamquam ducta in matrimonium Vipsania, M. Agrippae filia, quae quondam Tiberii uxor fuerat, plus quam civilia agitaret Pollionisque Asinii patris ferociam retineret. Post quae L. Arruntius haut multum discrepans a Galli oratione perinde offendit, quamquam Tiberio nulla vetus in Arruntium ira, sed divitem promptum, artibus egregiis et pari fama publice, 12

3 poenitus 5 quęstus ad deos *B et in margine*: adeos 8 quod 14 itaq;cũq; 19 aliquit 22 et] ut *L* 27 Vipsania *B*: uipstania 29 Pollionisque *B*: polionisque (*idem* 2 86 polionis, *et sane* Polio *convenit legi Latinae pronuntiationis, sed tamen non sine causa ceteris locis omnibus in Mediceis scribitur* Pollio; *cf. mea ad Horat. carm.* II 1 13—16) 31 quamquam *B*: quam 32 publice *B*: publicae

suspectabat. Quippe Augustus supremis sermonibus cum tractaret, quinam adipisci principem locum suffecturi abnuerent aut inpares vellent vel iidem possent cuperentque, M'. Lepidum dixerat capacem sed aspernantem, Gallum Asinium avidum set minorem, L. Arruntium non indignum et, si casus daretur, ausurum. De prioribus consentitur, pro Arruntio quidam Cn. Pisonem tradidere; omnesque praeter Lepidum variis mox criminibus struente Tiberio circumventi sunt. Etiam Q. Haterius et Mamercus Scaurus suspicacem animum perstrinxere, Haterius cum dixisset 'quousque patieris, Caesar, non adesse caput rei publicae', Scaurus quia dixerat, spem esse ex eo non inritas fore senatus preces, quod relationi consulum iure tribuniciae potestatis non intercessisset. In Haterium statim invectus est; Scaurum, cui inplacabilius irascebatur, silentio tramisit. Fossusque clamore omnium, expostulatione singulorum flexit paulatim, non ut fateretur suscipi a se imperium, sed ut negare et rogari desineret. Constat Haterium, cum deprecandi causa Palatium introisset ambulantisque Tiberii genua advolveretur, prope a militibus interfectum, quia Tiberius casu an manibus eius inpeditus prociderat. Neque tamen periculo talis viri mitigatus est, donec Haterius Augustam oraret eiusque curatissimis preci-
14 bus protegeretur. Multa patrum et in Augustam adulatio. Alii parentem, alii matrem patriae appellandam, plerique ut nomini Caesaris adscriberetur 'Iuliae filius' censebant. Ille moderandos feminarum honores dictitans eademque se temperantia usurum in iis quae sibi tribuerentur, ceterum anxius invidia et muliebre fastigium in deminutionem sui accipiens, ne lictorem quidem ei decerni passus est aramque adoptionis et alia huiuscemodi prohibuit. At Germanico Caesari proconsulare imperium petivit, missique legati qui deferrent, simul maestitiam eius ob excessum Augusti solarentur. Quo

3 iidem *Pichena*: idem M'. *L*: ·M· 5 set] sed *Muretus*: et (*cf. Pluggers in Mnemosyne* VIII *p.* 54) 7 CN· 10 perstrinxere *B*: perstrixere 11 caput *R*: aput tē (*sic*) 12 sanatus praeces 14 *pro* est ÷, *ut saepius* 17 rogori disineret 22 eiusque *L*: etusque p̄cibus *pro more* 25 censebat *pr* 27 iis *Muretus*: his 28 de minutionem

minus idem pro Druso postularetur, ea causa quod designatus consul Drusus praesensque erat. Candidatos praeturae duodecim nominavit, numerum ab Augusto traditum; et hortante senatu ut augeret, iure iurando obstrinxit se non excessurum. Tum primum e campo comitia ad patres translata sunt: nam ad eam diem, etsi potissima arbitrio principis, quaedam tamen studiis tribuum fiebant. Neque populus ademptum ius questus est nisi inani rumore, et senatus largitionibus ac precibus sordidis exsolutus libens tenuit, moderante Tiberio ne plures quam quattuor candidatos commendaret, sine repulsa et ambitu designandos. Inter quae tribuni plebei petivere, ut proprio sumptu ederent ludos, qui de nomine Augusti fastis additi Augustales vocarentur. Sed decreta pecunia ex aerario, utque per circum triumphali veste uterentur: curru vehi haut permissum. Mox celebratio annua ad praetorem translata, cui inter cives et peregrinos iurisdictio evenisset.

Hic rerum urbanarum status erat, cum Pannonicas legiones seditio incessit, nullis novis causis, nisi quod mutatus princeps licentiam turbarum et ex civili bello spem praemiorum ostendebat. Castris aestivis tres simul legiones habebantur, praesidente Iunio Blaeso, qui fine Augusti et initiis Tiberii auditis ob iustitium aut gaudium intermiserat solita munia. Eo principio lascivire miles, discordare, pessimi cuiusque sermonibus praebere aures, denique luxum et otium cupere, disciplinam et laborem aspernari. Erat in castris Percennius quidam, dux olim theatralium operarum, dein gregarius miles, procax lingua et miscere coetus histrionali studio doctus. Is imperitos animos et quaenam post Augustum militiae conditio ambigentes impellere paulatim nocturnis conloquiis, aut flexo in vesperam die et dilapsis melioribus deterrimum quemque congregare. Postremo promptis iam et aliis seditionis ministris, velut contionabundus interrogabat, cur paucis centurionibus, paucioribus tribunis in modum

2 praeturae *B* : praedurae 5 ecampo 7 feebant 8 quaestus *pr* 9 p̃cibus 12 denomine 15 annua *L* : annũ (annua uel annuum *in margine ; vocalis* a *in* annua ad *postquam interiit, nota* ∾ *perperam successit*) 18 sedicio 22 iusticium 30 dilapsis *Muretus* : delapsis 32 contionabundus *B* : conditionabundus

servorum oboedirent. Quando ausuros exposcere remedia, nisi novum et nutantem adhuc principem precibus vel armis adirent? Satis per tot annos ignavia peccatum, quod tricena aut quadragena stipendia senes et plerique truncato ex vulneribus corpore tolerent. Ne dimissis quidem finem esse militiae, sed aput vexillum tendentes alio vocabulo eosdem labores perferre. Ac siquis tot casus vita superaverit, trahi adhuc diversas in terras, ubi per nomen agrorum uligines paludum vel inculta montium accipiant. Enimvero militiam ipsam gravem, infructuosam: denis in diem assibus animam et corpus aestimari: hinc vestem arma tentoria, hinc saevitiam centurionum et vacationes munerum redimi. At Hercule verbera et vulnera, duram hiemem, exercitas aestates, bellum atrox aut sterilem pacem sempiterna. Nec aliud levamentum quam si certis sub legibus militia iniretur, ut singulos denarios mererent, sextus decumus stipendii annus finem adferret, ne ultra sub vexillis tenerentur, set isdem in castris praemium pecunia solveretur. An praetorias cohortes, quae binos denarios acceperint, quae post sedecim annos penatibus suis reddantur, plus periculorum suscipere? Non obtrectari a se urbanas excubias: sibi tamen aput horridas gentes e contuberniis hostem aspici. Adstrepebat vulgus, diversis incitamentis, hi verberum notas, illi canitiem, plurimi detrita tegmina et nudum corpus exprobrantes. Postremo eo furoris venere, ut tres legiones miscere in unam agitaverint. Depulsi aemulatione, quia suae quisque legioni eum honorem quaerebant, alio vertunt atque una tres aquilas et signa cohortium locant; simul congerunt caespites, exstruunt tribunal, quo magis conspicua sedes foret. Properantibus Blaesus advenit, increpabatque ac retinebat singulos, clamitans 'mea potius caede imbuite manus: leviore flagitio legatum interficietis quam ab imperatore desciscitis. Aut in-

6 tendentes *Iac. Gronovius*: t|tentes (retentos *B*) 7 siquis] *uterque Medicaeus modo* siquis, *modo* si quis, si qua *ac* siqua *cet. habet, quam inconstantiam haud molestam ex illis libris suo quoque loco repraesentavi* causus 12 at *B*: ad 14 aliut 17 adferet 19 acceperint *B et in margine*: accepit (*coluit aut debuit* accepit 32 incolomis

columis fidem legionum retinebo, aut iugulatus poenitentiam adcelerabo.' Aggerabatur nihilo minus caespes iamque pe- 19
ctori eius usque adcreverat, cum tandem pervicacia victi inceptum omisere. Blaesus multa dicendi arte non per sedi-
tionem et turbas desideria militum ad Caesarem ferenda ait; neque veteres ab imperatoribus priscis neque ipsos a divo Augusto tam nova petivisse; et parum in tempore incipientes principis curas onerari. Si tamen tenderent in pace temptare quae ne civilium quidem bellorum victores expostulaverint, cur contra morem obsequii, contra fas disciplinae vim meditentur? Decernerent legatos seque coram mandata darent. Adclamavere ut filius Blaesi tribunus legatione ea fungeretur peteretque militibus missionem ab sedecim annis: cetera mandaturos, ubi prima provenissent. Profecto iuvene modicum otium: sed superbire miles, quod filius legati orator publicae causae satis ostenderet necessitate expressa quae per modestiam non obtinuissent.

Interea manipuli, ante coeptam seditionem Nauportum 20
missi ob itinera et pontes et alios usus, postquam turbatum in castris accepere, vexilla convellunt direptisque proximis vicis ipsoque Nauporto, quod municipii instar erat, retinentis centuriones inrisu et contumeliis, postremo verberibus insectantur, praecipua in Aufidienum Rufum, praefectum castrorum, ira, quem dereptum vehiculo sarcinis gravant aguntque primo in agmine, per ludibrium rogitantes an tam immensa onera, tam longa itinera libenter ferret. Quippe Rufus diu manipularis, dein centurio, mox castris praefectus, antiquam duramque militiam revocabat, vetus operis ac laboris et eo inmitior, quia toleraverat. Horum adventu redintegratur 21
seditio, et vagi circumiecta populabantur. Blaesus paucos, maxime praeda onustos, ad terrorem ceterorum adfici ver-

1 iugulatus *B* : iugulatur poenitentiam] paenitentiam 2 aggerabatur *Walther* : aggerebatur 3 eius usque *Bezzenberger* : eiusq; (usque *B*) peruicatia 5 desideria — ferenda (*utrique* a, *litterae* u *aliquatenus simili, alio atramento superductae sunt lineolae*) 13 ab *B* : ad 16 expraessa 19 itenera 20 accipere 27 centuro 28 uctus *L* : intus (*in marg.* inuictus) 29 tolleraverat

beribus, claudi carcere iubet: nam etiam tum legato a centurionibus et optimo quoque manipularium parebatur. Illi obniti trahentibus, prensare circumstantium genua, ciere modo nomina singulorum, modo centuriam quisque, cuius manipularis erat, cohortem legionem, eadem omnibus imminere clamitantes. Simul probra in legatum cumulant, caelum ac deos obtestantur, nihil reliqui faciunt quo minus invidiam misericordiam, metum et iras permoverent. Adcurritur ab universis, et carcere effracto solvunt vincula desertoresque ac rerum capitalium damnatos sibi iam miscent.
22 Flagrantior inde vis, plures seditioni duces. Et Vibulenus quidam, gregarius miles, ante tribunal Blaesi adlevatus circumstantium umeris, aput turbatos et quid pararet intentos 'vos quidem' inquit 'his innocentibus et miserrimis lucem et spiritum reddidistis: sed quis fratri meo vitam, quis fratrem mihi reddit? quem missum ad vos a Germanico exercitu de communibus commodis nocte proxima iugulavit *legatus* per gladiatores suos, quos in exitium militum habet atque armat. Responde, Blaese, ubi cadaver abieceris: ne hostes quidem sepultura invident. Cum osculis, cum lacrimis dolorem meum implevero, me quoque trucidari iube, dum interfectos nullum ob scelus, sed quia utilitati legionum
23 consulebamus, hi sepeliant.' Incendebat haec fletu et pectus atque os manibus verberans. Mox disiectis quorum per umeros sustinebatur, praeceps et singulorum pedibus advolutus tantum consternationis invidiaeque concivit, ut pars militum gladiatores qui e servitio Blaesi erant, pars ceteram eiusdem familiam vincirent, alii ad quaerendum corpus effunderentur. Ac ni propere neque corpus ullum reperiri, et servos adhibitis cruciatibus abnuere caedem, neque illi fuisse umquam fratrem pernotuisset, haut multum ab exitio legati aberant. Tribunos tamen ac praefectum castrorum extrusere, sarcinae fugientium direptae, et centurio Lucilius inter-

3 opniti *pr* 4 cuius quisque *Bezzenberger* 14 misserrimis (*sic*) 15 redidistis 17 *iugulauit legatus : iugulauit 18 abet 19 abieceris *B* : ablegeris 23 hi *Muretus* : ii incendebat *B* : incendebat 27 F seruitio 28 uincerent *pr* 29 repperiri 31 umquã.

ficitur, cui militaribus facetiis vocabulum 'cedo alteram' indiderant, quia fracta vite in tergo militis alteram clara voce ac rursus aliam poscebat. Ceteros latebrae texere, uno retento Clemente Iulio, qui perferendis militum mandatis habebatur idoneus ob promptum ingenium. Quin ipsae inter se legiones octava et quinta decima ferrum parabant, dum centurionem cognomento Sirpicum illa morti deposcit, quintadecumani tuentur, ni miles nonanus preces et adversum aspernantis minas interiecisset.

Haec audita quamquam abstrusum et tristissima quaeque maxime occultantem Tiberium perpulere, ut Drusum filium cum primoribus civitatis duabusque praetoriis cohortibus mitteret, nullis satis certis mandatis, ex re consulturum. Et cohortes delecto milite supra solitum firmatae. Additur magna pars praetoriani equitis et robora Germanorum, qui tum custodes imperatori aderant; simul praetorii praefectus Aelius Seianus, collega Straboni, patri suo, datus, magna aput Tiberium auctoritate, rector iuveni et ceteris periculorum praemiorumque ostentator. Druso propinquanti quasi per officium obviae fuere legiones, non laetae, ut adsolet, neque insignibus fulgentes, sed inluvie deformi, et vultu, quamquam maestitiam imitarentur, contumaciae propiores. Postquam vallum introiit, portas stationibus firmant, globos armatorum certis castrorum locis opperiri iubent: ceteri tribunal ingenti agmine circumveniunt. Stabat Drusus silentium manu poscens. Illi quotiens oculos ad multitudinem rettulerant, vocibus truculentis strepere, rursum viso Caesare trepidare; murmur incertum, atrox clamor et repente quies; diversis animorum motibus pavebant terrebantque. Tandem interrupto tumultu litteras patris recitat, in quis perscriptum erat, praecipuam ipsi fortissimarum legionum curam, quibuscum plurima bella toleravisset; ubi primum a luctu requiesset animus, acturum aput patres de postulatis eorum; misisse

1 caedo 2 fracta uite *B*: facta uitae 6 quintadecima 8 praeces 12 duabus quę 16 tum *B*: dum 17 seinanus 22 ꝓpiores *e rasura* (*fuit* ꝓpriores) 23 introiit *L*: introit 26 rettulerant *B*: sedtulerant 31 praecipuam *B*: praecipum *pr*

interim filium, ut sine cunctatione concederet quae statim tribui possent; cetera senatui servanda, quem neque gratiae
26 neque severitatis expertem haberi par esset. Responsum est a contione, mandata Clementi centurioni quae perferret. Is orditur de missione a sedecim annis, de praemiis finitae militiae, ut denarius diurnum stipendium foret, ne veterani sub vexillo haberentur. Ad ea Drusus cum arbitrium senatus et patris obtenderet, clamore turbatur. Cur venisset, *si* neque augendis militum stipendiis neque adlevandis laboribus, denique nulla bene faciendi licentia? At Hercule verbera et necem cunctis permitti. Tiberium olim nomine Augusti desideria legionum frustrari solitum: easdem artes Drusum rettulisse. Numquamne nisi [ad se] filios familiarum venturos? Novum id plane quod imperator sola militis commoda ad senatum reiciat. Eundem ergo senatum consulendum, quotiens supplicia aut proelia indicantur: an praemia sub
27 dominis, poenas sine arbitro esse? Postremo deserunt tribunal, ut quis praetorianorum militum amicorumve Caesaris occurreret, manus intentantes, causam discordiae et initium armorum, maxime infensi Cn. Lentulo, quod is ante alios aetate et gloria belli firmare Drusum credebatur et illa militiae flagitia primus aspernari. Nec multo post digredientem eum *cum* Caesare ac provisu periculi hiberna castra repetentem circumsistunt, rogitantes quo pergeret, ad imperatorem an ad patres, ut illic quoque commodis legionum ad-

2 tribue *vetere m. correctum* tribui 4 contione *margo*: contentione (cõcione *B*) 5 de missione *B*: dimisione sedecim *correctum* sexdecim 8 *si neque: neque 12 frustrari *B*: fustrari 13 retulisse *pr* *numquamne nisi [ad se]: numquam nenisi ad se (numquamne ad se nisi *L*) 15 reciat 16 praelia (*prior M habet* praelio 1 49, praelia 1 62, praelium 1 63, 6 50, praeliorum 2 5, *idem* proelium 2 9 *et* 10 *et* 16 *et* 21, 3 20 *et* 39, 4 49, 6 40, proelii 2 18, 4 48, 6 41, proelio 1 51 *et* 56 *et* 64, 2 79, 3 21, 4 25, proelia 2 26, 4 63, proeliorum 2 41 *et* 45 *bis*, 4 33, 6 40, proeliis 1 44, 2 88, 4 25, proeliantibus 2 16, proeliatorem 2 73. *alter M locis fere omnibus* praelium, prelium, plium *offert. ex* produellis *fit* produelium, *hinc* proelium; *recte igitur ubique sequemur M priorem*) indicantur *litteris* ca *novo atramento additis* 18 utquis 19 discordie 20 CN· 23 *eum cum: eum (cum *B*)

versaretur: simul ingruunt. saxa iaciunt. Iamque lapidis ictu cruentus et exitii certus adcursu multitudinis quae cum Druso advenerat protectus est. Noctem minacem et in sce- 28
lus erupturam fors lenivit: nam luna claro repente caelo visa languescere. Id miles rationis ignarus omen praesentium accepit. suis laboribus defectionem sideris adsimulans, prospereque cessura quae *impetrare* pergerent, si fulgor et claritudo deae redderetur. Igitur aeris sono, tubarum cornuumque concentu strepere: prout splendidior obscuriorve, laetari aut maerere: et postquam ortae nubes offecere visui creditumque conditam tenebris, ut sunt mobiles ad superstitionem perculsae semel mentes, sibi aeternum laborem portendi, sua facinora aversari deos lamentantur. Vtendum inclinatione ea Caesar et quae casus obtulerat in sapientiam vertenda ratus circumiri tentoria iubet: accitur centurio Clemens et si alii bonis artibus grati in vulgus. Hi vigiliis stationibus, custodiis portarum se inserunt, spem offerunt, metum intendunt. 'Quousque filium imperatoris obsidebimus? Quis certaminum finis? Percennione et Vibuleno sacramentum dicturi sumus? Percennius et Vibulenus stipendia militibus, agros emeritis largientur? denique pro Neronibus et Drusis imperium populi Romani capessent? Quin potius, ut novissimi in culpam, ita primi ad poenitentiam sumus? Tarda sunt quae in commune expostulantur: privatam gratiam statim mereare, statim recipias.' Commotis per haec mentibus et inter se suspectis, tironem a veterano, legionem a legione dissociant. Tum redire paulatim amor obsequii: omittunt portas, signa unum in locum principio seditionis congregata suas in sedes referunt. Drusus orto die et vocata contione, quamquam rudis 29
dicendi, nobilitate ingenita incusat priora, probat praesentia; negat se terrore et minis vinci: flexos ad modestiam si vide-

4 claro repente *L*: clamore pena 6 suis *Freinsheim*: asuis (*in mg.* ac) 7 *impetrare pergerent: pergerent (quo pergerent *Heinsius*) 9 splendidior *B*: spelndidor 12 loborem 13 portendi *B*: potandi auersari *R*: aduersari 16 hi *Weikert*: in (ii *L*) 19 Percennione *B*: per CENNIONI 22 quiin *pr* 23 poenitentiam *B*: paenitentiam 24 que 26 auerterano 29 contentione (*in marg.* cõtione)

at, si supplices audiat, scripturum patri ut placatus legionum preces exciperet. Orantibus rursum idem Blaesus et L. Apronius, eques Romanus e cohorte Drusi, Iustusque Catonius, primi ordinis centurio, ad Tiberium mittuntur. Certatum inde sententiis, cum alii opperiendos legatos atque interim comitate permulcendum militem censerent, alii fortioribus remediis agendum: nihil in vulgo modicum; terrere, ni paveant; ubi pertimuerint, inpune contemni: dum superstitio urgeat, adiciendos ex duce metus sublatis seditionis auctoribus. Promptum ad asperiora ingenium Druso erat: vocatos Vibulenum et Percennium interfici iubet. Tradunt plerique intra tabernaculum ducis obrutos, alii corpora extra vallum abiecta ostentui. Tum ut quisque praecipuus turbator, conquisiti, et pars, extra castra palantes, a centurionibus aut praetoriarum cohortium militibus caesi; quosdam ipsi manipuli documentum fidei tradidere. Auxerat militum curas praematura hiemps imbribus continuis adeoque saevis, ut non egredi tentoria, *non* congregari inter se, vix tutari signa possent, quae turbine atque unda raptabantur. Durabat et formido caelestis irae, nec frustra adversus impios hebescere sidera, ruere tempestates: non aliud malorum levamentum quam si linquerent castra infausta temerataque et soluti piaculo suis quisque hibernis redderentur. Primum octava, dein quinta decuma legio rediere: nonanus opperiendas Tiberii epistulas clamitaverat, mox desolatus aliorum discessione imminentem necessitatem sponte praevenit. Et Drusus non expectato legatorum regressu, quia praesentia satis considerant, in urbem rediit.

31 Isdem ferme diebus isdem causis Germanicae legiones turbatae, quanto plures, tanto violentius, et magna spe fore ut Germanicus Caesar imperium alterius pati nequiret daret-

2 aponius 3 aeques 5 opperiendos *Frobeniana a.* 1519: operiendos 6 pmulcendum *B*: primulcendum 10 ingenium *B*: ingnum 17 adeo que 18 *non congregari: congregari 19 reptabantur 21 aliut 23 quintadecuma 26 praeuenit *B*: peruenit 27 ligatorum 29 istem *priore loco*, isdem *posteriore* (*illud amplecti debebunt qui scribunt* aliquit *et* aliut), isdem de causis *Spengel*

que se legionibus vi sua cuncta tracturis. Duo aput ripam Rheni exercitus erant: cui nomen superiori, sub C. Silio legato, inferiorem A. Caecina curabat. Regimen summae rei penes Germanicum, agendo Galliarum censui tum intentum. Sed quibus Silius moderabatur, mente ambigua fortunam seditionis alienae speculabantur: inferioris exercitus miles in rabiem prolapsus est, orto ab unaetvicesimanis quintanisque initio, et tractis prima quoque ac vicesima legionibus: nam isdem aestivis in finibus Vbiorum habebantur per otium aut levia munia. Igitur audito fine Augusti vernacula multitudo nuper acto in urbe dilectu, lasciviae sueta, laborum intolerans, impellere ceterorum rudes animos: venisse tempus quo veterani maturam missionem, iuvenes largiora stipendia, cuncti modum miseriarum exposcerent saevitiamque centurionum ulciscerentur. Non unus haec, ut Pannonicas inter legiones Percennius, nec aput trepidas militum aures, alios validiores exercitus respicientium, sed multa seditionis ora vocesque: sua in manu sitam rem Romanam, suis victoriis augeri rem publicam, in suum cognomentum adscisci imperatores. Nec legatus obviam ibat: quippe plurium vecordia 32
constantiam exemerat. Repente lymphati destrictis gladiis in centuriones invadunt: ea vetustissima militaribus odiis materies et saeviendi principium. Prostratos verberibus mulcant, sexageni singulos, ut numerum centurionum adaequarent: tum convulsos laniatosque et partim exanimos ante vallum aut in amnem Rhenum proiciunt. Septimius cum perfugisset ad tribunal pedibusque Caecinae advolveretur, eo usque fla-

1 tracturis *Freinsheim*: tracturus 2 C. Silio *B*: C̃· filio 3 ligato ·Ã· caecina 7 *unaetuicesimanis: unet uice simanis 8 quoque auicessima 11 suaeta 12 impellere *Acidalius*: implere uenisset 13 ueterand 20 uaecordia, *item* uaecordiae 3 50, uaecordem 1 59, 2 46, uaecordes 1 39, 2 30, *sed* uecordiam 4 22, uecors 4 29, *in altero Mediceo est* uecordia 11 26, 14 62, 16 3, uecors 13 44, uecordes *H.* 2 23, uaecordi *H.* 4 68 (*in hac inconstantia scribemus* uecors *et* uecordia, *quia* uecors *conflatum est* ex uehecors, *ut* uemens *ex* uehemens; *quapropter* uaecors *non minus vitiosum est quam* uaemens *et* uaementia) 21 destrictis 22 uetussima (tis *m. rc.*) 23 seuiendi mulcant

gitatus est, donec ad exitium dederetur. Cassius Chaerea, mox caede C. Caesaris memoriam apud posteros adeptus, tum adulescens et animi ferox, inter obstantes et armatos ferro viam patefecit. Non tribunus ultra, non castrorum praefectus ius obtinuit: vigilias stationes, et siqua alia praesens usus indixerat, ipsi partiebantur. Id militares animos altius coniectantibus praecipuum indicium magni atque inplacabilis motus, quod *neque* .. neque disiecti, nil paucorum instinctu, set pariter ardescerent, pariter silerent, tanta
33 aequalitate et constantia, ut regi crederes. Interea Germanico per Gallias, ut diximus, census accipienti excessise Augustum adfertur. Neptem eius Agrippinam in matrimonio pluresque ex ea liberos habebat, ipse Druso, fratre Tiberii, genitus, Augustae nepos, set anxius occultis in se patrui aviaeque odiis, quorum causae acriores, quia iniquae. Quippe Drusi magna apud populum Romanum memoria, credebaturque, si rerum potitus foret, libertatem redditurus; unde in Germanicum favor et spes eadem. Nam iuveni civile ingenium, mira comitas et diversa ab Tiberii sermone vultu, adrogantibus et obscuris. Accedebant muliebres offensiones novercalibus Liviae in Agrippinam stimulis, atque ipsa Agrippina paulo commotior, nisi quod castitate et mariti
34 amore quamvis indomitum animum in bonum vertebat. Sed Germanicus quanto summae spei propior, tanto impensius pro Tiberio niti, seque proximos et Belgarum civitates in verba eius adigit. Dehinc audito legionum tumultu raptim profectus obvias extra castra habuit, deiectis in terram oculis velut poenitentia. Postquam vallum iniit, dissoni questus audiri coepere. Et quidam prensa manu eius per speciem exosculandi inseruerunt digitos, ut vacua dentibus ora contingeret; alii curvata senio membra ostendebant.

4 patifecit 8 *neque .. neque : neque (*fortasse excidit* neque cunctantes) nil] nec *Grotius* 9 instinctu, sed *B*: instinctus et (*sic*) 16 credebaturque *B* : credebatur. Qui 17 potitus *B* : potius 19 ab Tiberii *Weissenborn* : adtiberii (a Tib. *B*) 20 accedebant *B* : accebant 24 proprior 25 seque⌝ (⌝ *est a manu rc.;* seque et *Haase*, Sequanos *B*, Sequanos. proximas *Nipperdey*) 28 poenitentia *B*: paenitentia 30 spetiem

Adsistentem contionem, quia permixta videbatur, discedere in manipulos iubet: sic melius audituros responsum; vexilla praeferri, ut id saltem discerneret cohortes: tarde obtemperavere. Tunc a veneratione Augusti orsus flexit ad victorias triumphosque Tiberii, praecipuis laudibus celebrans quae aput Germanias illis cum legionibus pulcherrima fecisset. Italiae inde consensum, Galliarum fidem extollit; nil usquam turbidum aut discors. Silentio haec vel murmure modico audita sunt. Vt seditionem attigit, ubi modestia militaris, ubi veteris disciplinae decus, quonam tribunos, quo centuriones exegissent, rogitans, nudant universi corpora, cicatrices ex vulneribus, verberum notas exprobrant; mox indiscretis vocibus pretia vacationum, angustias stipendii, duritiam operum ac propriis nominibus incusant vallum fossas, pabuli materiae lignorum adgestus, et si qua alia ex necessitate aut adversus otium castrorum quaeruntur. Atrocissimus veteranorum clamor oriebatur, qui tricena aut supra stipendia numerantes, mederetur fessis, neu mortem in isdem laboribus . ., sed finem tam exercitae militiae neque inopem requiem orabant. Fuere etiam qui legatam a divo Augusto pecuniam reposcerent, faustis in Germanicum ominibus; et si vellet imperium, promptas res ostentavere. Tum vero, quasi scelere contaminaretur, praeceps tribunali desiluit. Opposuerunt abeunti arma, minitantes, ni regrederetur. At ille moriturum potius quam fidem exueret clamitans, ferrum a latere diripuit elatumque deferebat in pectus, ni proximi prensam dextram vi attinuissent. Extrema et conglobata inter se pars contionis ac, vix credibile dictu, quidam singuli propius incedentes, feriret hortabantur; et miles nomine

4 auereratione (*prius* r *in rasura*) flexit *B*: elexit 5 triumphosque Tib. *B*: triumphos quitiberii 7 nil usquam] *Nilusquam* 8 murmurem 11 uniuersi *L*: uniuersa 12 exprobant 13 praetia uocationum 15 papuli 18 istẽ 19 * laboribus . . : laboribus (*expleas* sineret) 21 omnibus 22 promptas res *Walther*: promtas (promptos *R*, promptos se *Iac. Gronovius; cf.* 12 12) ostendauere 24 opposuerant *Haase* 25 exsueret 26 deripuit *B; cf. Horat. Carm.* 3 5 21, 4 15 8 impectus 27 atinuissent 29 proprius accedentes *Muretus*

Calusidius strictum obtulit gladium, addito acutiorem esse. Saevum id malique moris etiam furentibus visum, ac spatium
36 fuit quo Caesar ab amicis in tabernaculum raperetur. Consultatum ibi de remedio: etenim nuntiabatur parari legatos qui superiorem exercitum ad causam eandem traherent: destinatum excidio Vbiorum oppidum, imbutasque praeda manus in direptionem Galliarum erupturas. Augebat metum gnarus Romanae seditionis et, si omitteretur ripa, invasurus hostis: at si auxilia et socii adversum abscedentis legiones armarentur, civile bellum suscipi. Periculosa severitas, flagitiosa largitio: seu nihil militi sive omnia concederentur, in ancipiti res publica. Igitur volutatis inter se rationibus placitum ut epistulae nomine principis scriberentur: missionem dari vicena stipendia meritis, exauctorari qui sena dena fecissent, ac retineri sub vexillo ceterorum inmunes nisi propulsandi hostis, legata quae petiverant exsolvi duplicari-
37 que. Sensit miles in tempus conficta statimque flagitavit. Missio per tribunos maturatur, largitio differebatur in hiberna cuiusque. Non abscessere quintani unaetvicesimanique, donec isdem in aestivis contracta ex viatico amicorum ipsiusque Caesaris pecunia persolveretur. Primam ac vicesimam legiones Caecina legatus in civitatem Vbiorum reduxit, turpi agmine, cum fisci de imperatore rapti inter signa interque aquilas veherentur. Germanicus superiorem ad exercitum profectus secundam et tertiam decumam et sextam decumani legiones nihil cunctatas sacramento adigit. Quartadecimani paulum dubitaverant: pecunia et missio quamvis non flagitantibus oblata est.

38 At in Chaucis coeptavere seditionem praesidium agitantes vexillarii discordium legionum et praesenti duorum militum supplicio paulum repressi sunt. Iusserat id M'. Ennius, castrorum praefectus, bono magis exemplo quam concesso iure. Deinde intumescente motu profugus repertusque, post-

1 structum 11 siue *Iac. Gronovius*: sibi concederentur *R*: concedentur 19 * quintani unaetuicesimanique; quintamunt etuicessimanique (*vulgo* q unetvicesimanique) 20 istem 21 uicessimã 26 quarta decimani 29 Ad 31 M'. Ennius *Ruperti et Nipperdey*: mennius (M. Ennius *Heinsius; v. Dionis* 55 33)

quam intutae latebrae, praesidium ab audacia mutuatur: non praefectum ab iis, sed Germanicum ducem, sed Tiberium imperatorem violari. Simul exterritis qui obstiterant, raptum vexillum ad ripam vertit, et si quis agmine decessisset, pro desertore fore clamitans, reduxit in hiberna turbidos et nihil ausos.

Interea legati ab senatu regressum iam aput aram Vbio- 39
rum Germanicum adeunt. Duae ibi legiones, prima atque vicensima, veteranique nuper missi sub vexillo hiemabant. Pavidos et conscientia vecordes intrat metus, venisse patrum iussu qui inrita facerent quae per seditionem expresserant. Vtque mos vulgo quamvis falsis reum subdere, Munatium Plancum, consulatu functum, principem legationis, auctorem senatus consulti incusant; et nocte concubia vexillum in domo Germanici situm flagitare occipiunt, concursuque ad ianuam facto moliuntur fores, extractum cubili Caesarem tradere vexillum intento mortis metu subigunt. Mox vagi per vias obvios habuere legatos, audita consternatione ad Germanicum tendentes. Ingerunt contumelias, caedem parant, Planco maxime, quem dignitas fuga impediverat; neque aliud periclitanti subsidium quam castra primae legionis. Illic signa et aquilam amplexus religione sese tutabatur, ac ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset, [rarum etiam inter hostes,] legatus populi Romani Romanis in castris sanguine suo altaria deum commaculavisset. Luce demum, postquam dux et miles et facta noscebantur, ingressus castra Germanicus perduci ad se Plancum imperat, recepitque in tribunal. Tum fatalem increpans rabiem, neque militum sed deum ira resurgere, cur venerint legati aperit; ius legationis atque ipsius Planci gravem et immeritum casum, simul quantum dedecoris adierit legio, facunde miseratur, attonitaque magis quam quieta contione legatos praesidio auxiliarium equitum dimittit. Eo in metu arguere Germanicum omnes, 40
quod non ad superiorem exercitum pergeret, ubi obsequia

1 audatia 3 obstiterant *B*: obsisterant 5 turpidos 9 uicensima
12 utquem os 22 relegione 23 quilifer *[rarum-hostes] (*glossa vel loco suo se prodit*)

et contra rebellis auxilium: satis superque missione et pecunia et mollibus consultis peccatum. Vel si vilis ipsi salus, cur filium parvulum, cur gravidam coniugem inter furentes et omnis humani iuris violatores haberet? Illos saltem avo et rei publicae redderet. Diu cunctatus aspernantem uxorem, cum se divo Augusto ortam neque degenerem ad pericula testaretur, postremo uterum eius et communem filium multo cum fletu complexus, ut abiret perpulit. Incedebat muliebre et miserabile agmen, profuga ducis uxor, parvulum sinu filium gerens, lamentantes circum amicorum coniuges, quae
41 simul trahebantur, nec minus tristes qui manebant. Non florentis Caesaris neque *ut* suis in castris, set velut in urbe victa facies, gemitusque ac planctus etiam militum aures oraque advertere: progrediuntur contuberniis. Quis ille flebilis sonus? quid tam triste? Feminas inlustres, non centurionem ad tutelam, non militem, nihil imperatoriae uxori honoris aut comitatus soliti: pergere ad Treviros et externae fidei ... Pudor inde et miseratio et patris Agrippae, Augusti avi memoria; socer Drusus, ipsa insigni fecunditate, praeclara pudicitia; iam infans in castris genitus, in contubernio legionum eductus, quem militari vocabulo Caligulam appellabant, quia plerumque ad concilianda vulgi studia eo tegmine pedum induebatur. Sed nihil aeque flexit quam invidia in Treviros: orant obsistunt, rediret maneret, pars Agrippinae occursantes, plurimi ad Germanicum regressi. Isque ut erat recens dolore et ira, aput circumfusos ita coe-
42 pit. 'Non mihi uxor aut filius patre et re publica cariores sunt, set illum quidem sua maiestas, imperium Romanum ceteri exercitus defendent. Coniugem et liberos meos, quos pro gloria vestra libens ad exitium offerrem, nunc procul a furentibus summoveo, ut quidquid istud sceleris imminet, meo tantum sanguine pietur, neve occisus Augusti pronepos,

4 oñs 6 degenere^{m} 8 confletu *pr* 12 *neque ut: neque (neque quae *Pluygers*) 14 conturberniis 15 quid *Heinsius*: quod 17 uxori honoris *Wurm*: uxoris 17 et 24 *est* treuiros 18 *fidei ..: fidei (*videtur abesse* petere opem 19 Augustaui memoria 23 elexit^{f} 24 obsistunt *B*: absistunt 31 quid quid istut 32 pronepus^{o}

interfecta Tiberii nurus nocentiores vos faciant. Quid enim per hos dies inausum intemeratumve vobis? Quod nomen huic coetui dabo? militesne appellem, qui filium imperatoris vestri vallo et armis circumsedistis? an cives, quibus tam proiecta senatus auctoritas? Hostium quoque ius et sacra legationis et fas gentium rupistis. Divus Iulius seditionem exercitus verbo uno compescuit, Quirites vocando qui sacramentum eius detractabant: divus Augustus vultu et aspectu Actiacas legiones exterruit: nos ut nondum eosdem, ita ex illis ortos si Hispaniae Syriaeve miles aspernaretur, tamen mirum et indignum erat. Primane et vicesima legiones, illa signis a Tiberio acceptis, tu tot proeliorum socia, tot praemiis aucta, egregiam duci vestro gratiam refertis? hunc ego nuntium patri, laeta omnia aliis e provinciis audienti, feram? Ipsius tirones, ipsius veteranos non missione, non pecunia satiatos; hic tantum interfici centuriones, eici tribunos, includi legatos, infecta sanguine castra flumina, meque precariam animam inter infensos trahere. Cur enim primo con- 43
tionis die ferrum illud, quod pectori meo infigere parabam, detraxistis, o inprovidi amici? Melius et amantius ille qui gladium offerebat. Cecidissem certe nondum tot flagitiorum exercitui meo conscius; legissetis ducem, qui meam quidem mortem inpunitam sineret, Vari tamen et trium legionum ulcisceretur. Neque enim di sinant ut Belgarum quamquam offerentium decus istud et claritudo sit, subvenisse Romano nomini, compressisse Germaniae populos. Tua, dive Auguste, caelo recepta mens, tua, pater Druse, imago, tui memoria isdem istis cum militibus, quos iam pudor et gloria intrat, eluant hanc maculam irasque civiles in exitium hostibus vertant. Vosque, quorum alia nunc ora, alia pectora contueor, si legatos senatui, obsequium imperatori, si mihi coniugem et filium redditis, discedite a contactu ac dividite turbidos:

1 *faciant : faciat (*cf.* 3 6 *et* 9 *cet.*) 2 per hos] pos h 8 detractabant (c. 45 detrectetur) 11 uicessima 16 saciatos 17 praecariã 23 siniret e 24 quaquã 25 istut 28 istem 29 eluant *B* : Fluant 30 uosque *Nipperdey* : uos quoque 32 turpidos b

44 id stabile ad poenitentiam, id fidei vinculum erit.' Supplices ad haec, et vera exprobrari fatentes, orabant puniret noxios, ignosceret lapsis et duceret in hostem: revocaretur coniux, rediret legionum alumnus neve opses Gallis traderetur. Reditum Agrippinae excusavit ob imminentem partum et hiemem; venturum filium: cetera ipsi exsequerentur. Discurrunt mutati et seditiosissimum quemque vinctos trahunt ad legatum legionis primae C. Caetronium, qui iudicium et poenas de singulis in hunc modum exercuit. Stabant pro contione legiones destrictis gladiis; reus in suggestu per tribunum ostendebatur. Si nocentem adclamaverant, praeceps datus trucidabatur. Et gaudebat caedibus miles, tamquam semet absolveret; nec Caesar arcebat, quando nullo ipsius iussu penes eosdem saevitia facti et invidia erat. Secuti exemplum veterani haud multo post in Raetiam mittuntur, specie defendendae provinciae ob imminentis Suebos, ceterum ut avellerentur castris trucibus adhuc non minus asperitate remedii quam sceleris memoria. Centurionatum inde egit. Citatus ab imperatore nomen ordinem patriam, numerum stipendiorum, quae strenue in proeliis fecisset, et cui erant dona militaria, edebat. Si tribuni, si legio industriam innocentiamque adprobaverant, retinebat ordines: ubi avaritiam aut crudelitatem consensu obiectavissent, solvebatur militia.

45 Sic compositis praesentibus haut minor moles supererat ob ferociam quintae et unaetvicesimae legionum, sexagesimum aput lapidem (loco Vetera nomen est) hibernantium. Nam primi seditionem coeptaverant: atrocissimum quodque facinus horum manibus patratum; nec poena commilitonum exterriti nec poenitentia conversi iras retinebant. Igitur Caesar arma classem socios demittere Rheno parat, si imperium detrectetur, bello certaturus.

1 poenitentiam *B*: paenitentiam suplices *pr* 5 imminentem, *mox* imminentis, *c.* 47 imminens 10 destrictis 14 poenes 15 spetie 16 suebos 17 adhoc 20 strunue 21 dona *Victorius*: donaria (*cf.* 6 48: ludibria et pericularia) 22 ordinem *Kiessling* 24 haut] aut *corr.* haud molis 25 *unaetuicesimae: un et uicesimae 29 poenitentia *B*: paenitentia

At Romae nondum cognito qui fuisset exitus in Illyrico, 46
et legionum Germanicarum motu audito, trepida civitas incusare Tiberium quod, dum patres et plebem, invalida et inermia, cunctatione ficta ludificetur, dissideat interim miles neque duorum adulescentium nondum adulta auctoritate comprimi queat. Ire ipsum et opponere maiestatem imperatoriam debuisse cessuris, ubi principem longae experientiae eundemque severitatis et munificentiae summum vidissent. An Augustum fessa aetate totiens in Germanias commeare potuisse: Tiberium vigentem annis sedere in senatu, verba patrum cavillantem? Satis prospectum urbanae servituti: militaribus animis adhibenda fomenta, ut ferre pacem velint. Inmotum adversus eos sermones fixumque Tiberio fuit non 47
omittere caput rerum neque se remque publicam in casum dare. Multa quippe et diversa angebant: validior per Germaniam exercitus, propior aput Pannoniam; ille Galliarum opibus subnixus, hic Italiae imminens: quos igitur anteferret? ac ne postpositi contumelia incenderentur. At per filios pariter adiri maiestate salva, cui maior e longinquo reverentia. Simul adulescentibus excusatum quaedam ad patrem reicere, resistentisque Germanico aut Druso posse a se mitigari vel infringi: quod aliud subsidium, si imperatorem sprevissent? Ceterum ut iam iamque iturus legit comites, conquisivit impedimenta, adornavit naves: mox hiemem aut negotia varie causatus primo prudentes, dein vulgus, diutissime provincias fefellit.

At Germanicus, quamquam contracto exercitu et parata 48
in defectores ultione, dandum adhuc spatium ratus, si recenti exemplo sibi ipsi consulerent, praemittit litteras ad Caecinam, venire se valida manu ac, ni supplicium in malos praesumant, usurum promisca caede. Eas Caecina aquiliferis signiferisque et quod maxime castrorum sincerum erat, occulte

1 cognitio fuisset *B*: fuisse 5 tuorum 6 irae *pr* imperator iam 7 * longae experientiae: longe (*sic*) experientia (longa experientia *B*) 9 tociens 11 urbane 13 aduersos 14 in casum *B*: incassum 17 subnixus *B*: subnixius 18 intenderentur 22 alius 25 * uulgus: uulgum diutissimae *pr* 31 promisca eas Caecina *B*: Fas caenia

recitat, utque cunctos infamiae, se ipsi morti eximant hortatur: nam in pace causas et merita spectari: ubi bellum ingruat, innocentes ac noxios iuxta cadere. Illi temptatis quos idoneos rebantur, postquam maiorem legionum partem in officio vident, de sententia legati statuunt tempus, quo foedissimum quemque et seditioni promptum ferro invadant. Tunc signo inter se dato inrumpunt contubernia, trucidant ignaros, nullo nisi consciis noscente quod caedis initium,
49 quis finis. Diversa omnium, quae umquam accidere, civilium armorum facies. Non proelio, non adversis e castris, sed isdem e cubilibus, quos simul vescentis dies, simul quietos nox habuerat, discedunt in partes, ingerunt tela. Clamor vulnera sanguis palam, causa in occulto; cetera fors regit. Et quidam bonorum caesi, postquam intellecto in quos saeviretur, pessimi quoque arma rapuerant. Neque legatus aut tribunus moderator adfuit: permissa vulgo licentia atque ultio et satietas. Mox ingressus castra Germanicus, non medicinam illud plurimis cum lacrimis sed cladem appellans, cremari corpora iubet.

Truces etiam tum animos cupido involat eundi in hostem, piaculum furoris; nec aliter posse placari commilitonum manes quam si pectoribus impiis honesta vulnera accepissent. Sequitur ardorem militum Caesar, iunctoque ponte tramittit duodecim milia e legionibus, sex et viginti socias cohortis, octo equitum alas, quarum ea seditione intemerata modestia
50 fuit. Laeti neque procul Germani agitabant, dum iustitio ob amissum Augustum, post discordiis attinemur. At Romanus agmine propero silvam Caesiam limitemque a Tiberio coeptum scindit, castra in limite locat, frontem ac tergum vallo, latera concaedibus munitus. Inde saltus obscuros permeat consultatque, ex duobus itineribus breve et solitum sequatur an inpeditius et intemptatum eoque hostibus incautum. Delecta longiore via cetera adcelerantur: etenim attulerant exploratores festam eam Germanis noctem ac sol-

1 *se ipsi : seipsos 10 praelio istem 13 inocculto 14 postqua seruiretur 18 illut *pr* 19 cremari] ore mari (*cf. ad* 4 2) 30 ad saltus *Wurm*

lemnibus epulis ludicram. Caecina cum expeditis cohortibus praeire et obstantia silvarum amoliri iubetur: legiones modico intervallo sequuntur. Iuvit nox sideribus inlustris, ventumque ad vicos Marsorum, et circumdatae stationes stratis etiam tum per cubilia propterque mensas, nullo metu, non antepositis vigiliis: adeo cuncta incuria disiecta erant, neque belli timor, ac ne pax quidem nisi languida et soluta inter temulentos. Caesar avidas legiones, quo latior populatio foret, 51
quattuor in cuneos dispertit; quinquaginta milium spatium ferro flammisque pervastat. Non sexus, non aetas miserationem attulit: profana simul et sacra, et celeberrimum illis gentibus templum quod Tanfanae vocabant, solo aequantur. Sine vulnere milites, qui semisomnos, inermos aut palantis ceciderant. Excivit ea caedes Bructeros, Tubantes, Vsipetes; saltusque per quos exercitui regressus insedere. Quod gnarum duci, incessitque itineri et proelio paratus. Pars equitum et auxiliariae cohortes ducebant, mox prima legio, et mediis impedimentis sinistrum latus unaetvicesimani, dextrum quintani clausere, vicesima legio terga firmavit, post ceteri sociorum. Sed hostes, donec agmen per saltus porrigeretur, immoti, dein latera et frontem modice adsultantes, tota vi novissimos incurrere. Turbabanturque densis Germanorum catervis leves cohortes, cum Caesar advectus ad vicesimanos voce magna hoc illud tempus obliterandae seditionis clamitabat: pergerent, properarent culpam in decus vertere. Exarsere animis unoque impetu perruptum hostem redigunt in aperta caeduntque: simul primi agminis copiae evasere silvas castraque communivere. Quietum inde iter, fidensque recentibus ac priorum oblitus miles in hibernis locatur.

Nuntiata ea Tiberium laetitia curaque adfecere: gaude- 52
bat oppressam seditionem, sed quod largiendis pecuniis et missione festinata favorem militum quaesivisset, bellica quo-

6 erant *B*: erat *pr* 12 tãfanę aequantur sine uulnere militis *Freinsheim* 14 caedis bructiros 15 gnarum *B*: gnaram 16 paratus . pars *Otto*: pars (pariter paratus . pars *Pluygers*) 18 * unaetuicesimani: unetuicesimani dexrũ 20 acmen 23 leuis 24 illut saeditionis 27 primi *B*: primis

que Germanici gloria, angebatur. Rettulit tamen ad senatum de rebus gestis multaque de virtute eius memoravit, magis in speciem verbis adornata quam ut penitus sentire crederetur. Paucioribus Drusum et finem Illyrici motus laudavit, sed intentior et fida oratione. Cunctaque quae Germanicus indulserat, servavit etiam aput Pannonicos exercitus.

53 Eodem anno Iulia supremum diem obiit, ob impudicitiam olim a patre Augusto Pandateria insula, mox oppido Reginorum, qui Siculum fretum accolunt, clausa. Fuerat in matrimonio Tiberii florentibus Gaio et Lucio Caesaribus, spreveratque ut imparem; nec alia tam intima Tiberio causa cur Rhodum abscederet. Imperium adeptus extorrem infamem, et post interfectum Postumum Agrippam omnis spei egenam, inopia ac tabe longa peremit, obscuram fore necem longinquitate exilii ratus. Par causa saevitiae in Sempronium Gracchum, qui familia nobili, sollers ingenio et prave facundus, eandem Iuliam in matrimonio Marci Agrippae temeraverat. Nec is libidini finis: traditam Tiberio pervicax adulter contumacia et odiis in maritum accendebat; litteraeque quas Iulia patri Augusto cum insectatione Tiberii scripsit, a Gracho compositae credebantur. Igitur amotus Cercinam, Africi maris insulam, quattuordecim annis exilium toleravit. Tunc milites ad caedem missi invenere in prominenti litoris nihil laetum opperientem. Quorum adventu breve tempus petivit, ut suprema mandata uxori Alliariae per litteras daret, cervicemque percussoribus obtulit, constantia mortis haud indignus Sempronio nomine: vita degeneraverat. Quidam non Roma eos milites, sed ab L. Asprenate, pro consule Africae, missos tradidere auctore Tiberio, qui famam caedis posse in Asprenatem verti frustra speraverat.

54 Idem annus novas caerimonias accepit addito sodalium Augustalium sacerdotio, ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris sodales Titios instituerat. Sorte ducti e primoribus civitatis unus et viginti: Tiberius Drususque et

3 in speciem *B* : inspectem *corr. ex* inspectum 9 Rheginorum *B* 11 ut imparem *B* : utimperarem caus 13 post unum *(in mg. superiore* posthumum, *et sic B)* 19 contumatia littereq; 33 Titios *Vertranius* : tatios

Claudius et Germanicus adiciuntur. Ludos Augustales tunc primum coeptos turbavit discordia ex certamine histrionum. Indulserat ei ludicro Augustus, dum Maecenati obtemperat effuso in amorem Bathylli; neque ipse abhorrebat talibus studiis, et civile rebatur misceri voluptatibus vulgi. Alia Tiberio morum via: sed populum per tot annos molliter habitum nondum audebat ad duriora vertere.

Druso Caesare C. Norbano consulibus decernitur Ger- 55
manico triumphus manente bello; quod quamquam in aesta- P. Ch.
tem summa ope parabat, initio veris et repentino in Chattos 15
excursu praecepit. Nam spes incesserat dissidere hostem inter Arminium ac Segestem, insignem utrumque perfidia in nos aut fide. Arminius turbator Germaniae, Segestes parari rebellionem saepe alias et supremo convivio, post quod in arma itum, aperuit suasitque Varo ut se et Arminium et ceteros proceres vinciret: nihil ausuram plebem principibus amotis, atque ipsi tempus fore quo crimina et innoxios discerneret. Sed Varus fato et vi Arminii cecidit: Segestes, quamquam consensu gentis in bellum tractus, discors manebat, auctis privatim odiis, quod Arminius filiam eius alii pactam rapuerat; gener invisus, inimici soceri, quaeque aput concordes vincula caritatis, incitamenta irarum aput infensos erant. Igitur Germanicus quattuor legiones, quinque auxi- 56
liarium milia et tumultuarias catervas Germanorum cis Rhenum colentium Caecinae tradit; totidem legiones, duplicem sociorum numerum ipse ducit, positoque castello super vestigia paterni praesidii in monte Tauno expeditum exercitum in Chattos rapit, L. Apronio ad munitiones viarum et fluminum relicto. Nam (rarum illi caelo) siccitate et amnibus modicis inoffensum iter properaverat, imbresque et fluminum auctus regredienti metuebantur. Sed Chattis adeo inprovisus advenit, ut quod imbecillum aetate ac sexu statim captum aut trucidatum sit. Iuventus flumen Adranam nando tramiserat, Romanosque pontem coeptantis arcebant: dein tormentis sagittisque pulsi, temptatis frustra conditionibus pacis; cumque

8 cos. 12 *inter : in 16 uinceret 18 armeni (*item* 2 88 armenius, 11 16 armenii) 31 metuebantur *L* : metuebatur 33 tramiserat *Acidalius* : tramiserit 35 *cumque : cum

quidam ad Germanicum perfugissent, reliqui omissis pagis vicisque in silvas disperguntur. Caesar incenso Mattio (id genti caput) aperta populatus vertit ad Rhenum, non auso hoste terga abeuntium lacessere, quod illi moris, quotiens astu magis quam per formidinem cessit. Fuerat animus Cheruscis iuvare Chattos, sed exterruit Caecina huc illuc ferens arma; et Marsos congredi ausos prospero proelio cohibuit.

57 Neque multo post legati a Segeste venerunt auxilium orantes adversus vim popularium, a quis circumsedebatur, validiore aput eos Arminio, quoniam bellum suadebat: nam barbaris, quanto quis audacia promptus, tanto magis fidus rebusque motis potior habetur. Addiderat Segestes legatis filium, nomine Segimundum: sed iuvenis conscientia cunctabatur. Quippe anno quo Germaniae descivere sacerdos aput aram Vbiorum creatus ruperat vittas, profugus ad rebelles. Adductus tamen in spem clementiae Romanae pertulit patris mandata, benigneque exceptus cum praesidio Gallicam in ripam missus est. Germanico pretium fuit convertere agmen, pugnatumque in obsidentis, et ereptus Segestes magna cum propinquorum et clientium manu. Inerant feminae nobiles, inter quas uxor Arminii eademque filia Segestis, mariti magis quam parentis animo, neque victa in lacrimas neque voce supplex, compressis intra sinum manibus gravidum uterum intuens. Ferebantur et spolia Varianae cladis, plerisque eorum qui tum in deditionem veniebant praedae data: simul Segestes ipse, ingens visu et memoria bonae societatis inpa-

58 vidus. Verba eius in hunc modum fuere: 'non hic mihi primus erga populum Romanum fidei et constantiae dies. Ex quo a divo Augusto civitate donatus sum, amicos inimicosque ex vestris utilitatibus delegi, neque odio patriae (quippe proditores etiam iis quos anteponunt invisi sunt), verum quia Romanis Germanisque idem conducere et pacem quam bellum probabam. Ergo raptorem filiae meae, violatorem foederis

1 pacis *pr* 4 quociens 10 quoniam *Iac. Gronovius* : quō (*pro* quōiã) 12 rebusque motis *L* : rebus commotis 16 *romane* 17 presidio 18 acmen 20 eticlientium 21 segestes 22 parentes cuicta *Spengel* 28 ramanū 31 inuisi sunt *B* : Inuisunt

vestri, Arminium aput Varum, qui tum exercitui praesidebat, reum feci. Dilatus segnitia ducis, quia parum praesidii in legibus erat, ut me et Arminium et conscios vinciret flagitavi: testis illa nox, mihi utinam potius novissima! Quae secuta sunt, defleri magis quam defendi possunt: ceterum et inieci catenas Arminio et a factione eius iniectas perpessus sum. Atque ubi primum tui copia, vetera novis et quieta turbidis antehabeo, neque ob praemium, sed ut me perfidia exsolvam, simul genti Germanorum idoneus conciliator, si poenitentiam quam pernutiem maluerit. Pro iuventa et errore filii veniam precor: filiam necessitate huc adductam fateor. Tuum erit consultare, utrum praevaleat, quod ex Arminio concepit an quod ex me genita est.' Caesar clementi responso liberis propinquisque eius incolumitatem, ipsi sedem vetere in provincia pollicetur. Exercitum reduxit nomenque imperatoris auctore Tiberio accepit. Arminii uxor virilis sexus stirpem edidit: educatus Ravennae puer quo mox ludibrio conflictatus sit, in tempore memorabo.

Fama dediti benigneque excepti Segestis vulgata, ut 59
quibusque bellum invitis aut cupientibus erat, spe vel dolore accipitur. Arminium super insitam violentiam rapta uxor, subiectus servitio uxoris uterus vecordem agebant, volitabatque per Cheruscos, arma in Segestem, arma in Caesarem poscens. Neque probris temperabat: egregium patrem, magnum imperatorem, fortem exercitum, quorum tot manus unam mulierculam avexerint. Sibi tres legiones, totidem legatos procubuisse: non enim se proditione neque adversus feminas gravidas, sed palam adversus armatos bellum tractare. Cerni adhuc Germanorum in lucis signa Romana, quae dis patriis suspenderit. Coleret Segestes victam ripam, redderet filio sacerdotium Romanum: Germanos numquam satis

3 uinceret 4 nox mihi, utinam *Haase* 8 turpidis 10 poenitentiam *B* : paenitentiam *pernutiem : permutiem 11 p̃cor, *ut saepe, quod hinc non iam notabitur* 14 incolomitatẽ 15 uetera 17 reuennę 22 uaecordẽ 23 ceruscos inse gestem 31 sacerdotium Romanum : Germanos *F. A. Wolf* : sacerdotiũ : hominum germanos (sacerdotium : hominem Germanos *B.*, sacerdotium hostium : Germanos *Halm.*)

exsecraturos quod inter Albim et Rhenum virgas et secures et togam viderint. Aliis gentibus ignorantia imperii Romani inexperta esse supplicia, nescia tributa; quae quoniam exuerint inritusque discesserit ille inter numina dicatus Augustus, ille delectus Tiberius, ne inperitum adulescentulum, ne seditiosum exercitum pavescerent. Si patriam parentes antiqua mallent quam dominos et colonias novas, Arminium potius gloriae ac libertatis quam Segestem flagitiosae servi-
60 tutis ducem sequerentur. Conciti per haec non modo Cherusci sed conterminae gentes, tractusque in partis Inguiomerus, Arminii patruus, vetere apud Romanos auctoritate; unde maior Caesari metus. Et ne bellum mole una ingrueret, Caecinam cum quadraginta cohortibus Romanis distrahendo hosti per Bructeros ad flumen Amisiam mittit, equitem Pedo praefectus *in* finibus Frisiorum ducit. Ipse inpositas navibus quattuor legiones per lacus vexit; simulque pedes eques classis aput praedictum amnem convenere. Chauci cum auxilia pollicerentur, in commilitium adsciti sunt. Bructeros sua urentis expedita cum manu L. Stertinius missu Germanici fudit; interque caedem et praedam repperit undevicesimae legionis aquilam cum Varo amissam. Ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum, quantumque Amisiam et Lupiam amnes inter, vastatum, haud procul Teutoburgiensi saltu, in
61 quo reliquiae Vari legionumque insepultae dicebantur. Igitur cupido Caesarem invadit solvendi suprema militibus ducique, permoto ad miserationem omni qui aderat exercitu ob propinquos, amicos, denique ob casus bellorum et sortem hominum. Praemisso Caecina, ut occulta saltuum scrutaretur pontesque et aggeres umido paludum et fallacibus campis imponeret, incedunt maestos locos, visuque ac memoria deformes. Prima Vari castra lato ambitu et dimensis principiis trium legionum manus ostentabant; dein semiruto

1 exsecraturos *Wurm* : excusaturos *(vitium ex leviter corrupto* exsecruturos *eoque prave correcto natum videtur)* 2 imperi 3 quoniam] quō *(cf. ad c. 57)* exsuerint 11 uetere *Wesenberg (ad Cic. Sest. p. 8)* : ueteri 15 * in finibus : finibus 16 classis *L* : classes 23 *teuto burgiensi* 24 decebantur 30 incaedunt 31 deformes *B* : deformides

vallo, humili fossa accisae iam reliquiae consedisse intellegebantur: medio campi albentia ossa, ut fugerant, ut restiterant, disiecta vel aggerata. Adiacebant fragmina telorum equorumque artus, simul truncis arborum antefixa ora. Lucis propinquis barbarae arae, aput quas tribunos ac primorum ordinum centuriones mactaverant. Et cladis eius superstites, pugnam aut vincula elapsi, referebant hic cecidisse legatos, illic raptas aquilas; primum ubi vulnus Varo adactum, ubi infelici dextera et suo ictu mortem invenerit; quo tribunali contionatus Arminius; quot patibula captivis, quae scrobes; utque signis et aquilis per superbiam inluserint. Igitur Ro- 62
manus qui aderat exercitus sextum post cladis annum trium legionum ossa, nullo noscente alienas reliquias an suorum humo tegeret, omnes ut coniunctos, ut consanguineos, aucta in hostem ira, maesti simul et infensi condebant. Primum extruendo tumulo caespitem Caesar posuit, gratissimo munere in defunctos et praesentibus doloris socius. Quod Tiberio haut probatum, seu cuncta Germanici in deterius trahenti, sive exercitum imagine caesorum insepultorumque tardatum ad proelia et formidolosiorem hostium credebat; neque imperatorem auguratu et vetustissimis caerimoniis praeditum adtrectare feralia debuisse. Sed Germanicus cedentem in avia 63
Arminium secutus, ubi primum copia fuit, evehi equites campumque, quem hostis insederat, eripi iubet. Arminius colligi suos et propinquare silvis monitos vertit repente: mox signum prorumpendi dedit iis quos per saltus occultaverat. Tunc nova acie turbatus eques, missaeque subsidiariae cohortes et fugientium agmine impulsae auxerant consternationem; trudebanturque in paludem gnaram vincentibus, iniquam nesciis, ni Caesar productas legiones instruxisset: inde hostibus terror, fiducia militi; et manibus aequis abscessum. Mox reducto ad Amisiam exercitu, legiones *Caesar* classe, ut ad-

3 adiacebant *B* : adiaciebant 7 uinculae labsi 8 primum ubi *(non liquet num vetera sint signa transpositionis)* 10 quot *B* : quod 11 utque inluserint *Heraeus* : inluserit 18 haut 20 praelia 24 hostes 28 constenationem 32 *Caesar classe : classe *(cf.* 2 23*)*

vexerat, reportat; pars equitum *in* litore Oceani petere Rhenum iussa. Caecina, qui suum militem ducebat, monitus, quamquam notis itineribus regrederetur, pontes longos quam maturrime superare. Angustus is trames vastas inter paludes, et quondam a L. Domitio aggeratus; cetera limosa, tenacia gravi caeno aut rivis incerta erant; circum silvae paulatim adclives, quas tum Arminius implevit, compendiis viarum et cito agmine onustum sarcinis armisque militem cum antevenisset. Caecinae dubitanti, quonam modo ruptos vetustate pontes reponeret simulque propulsaret hostem, castra metari in loco placuit, ut opus et alii proelium inciperent.
64 Barbari perfringere stationes seque inferre munitoribus nisi lacessunt, circumgrediuntur, occursant: miscetur operantium bellantiumque clamor. Et cuncta pariter Romanis adversa, locus uligine profunda, idem ad gradum instabilis, procedentibus lubricus, corpora gravia loricis; neque librare pila inter undas poterant. Contra Cheruscis sueta aput paludes proelia, procera membra, hastae ingentes ad vulnera facienda quamvis procul. Nox demum inclinantis iam legiones adversae pugnae exemit. Germani ob prospera indefessi, ne tum quidem sumpta quiete, quantum aquarum circum surgentibus iugis oritur, vertere in subiecta; mersaque humo, et obruto quod effectum operis, duplicatus militi labor. Quadragesimum id stipendium Caecina parendi aut imperitandi habebat, secundarum ambiguarumque rerum sciens eoque interritus. Igitur futura volvens non aliud repperit quam ut hostem silvis coerceret, donec saucii quantumque gravioris agminis anteirent: nam medio montium et paludum porrigebatur planities, quae tenuem aciem pateretur. Deliguntur legiones, quinta dextro lateri, unaetvicesima in laevum, primani ducen-
65 dum ad agmen, vicensimanus adversum secuturos. Nox per diversa inquies, cum barbari festis epulis, laeto cantu aut

1 *in litore : litore 2 monitos 8 ante uenisset 11 praelium 12 seque *B* : sequi 16 librare *B* : liberare 18 proelio haste 19 nox *Frobeniana a.* 1519 : Mox tam *(in mg.* iam, *B* tum*)* 23 quo defectum *pr.* 26 aliut 27 coherceret 30 *unaetuicesima : unetuicesima in leum

truci sonore subiecta vallium ac resultantis saltus complerent, aput Romanos invalidi ignes, interruptae voces, atque ipsi passim adiacerent vallo, oberrarent tentoriis, insomnes magis quam pervigiles. Ducemque terruit dira quies: nam Quintilium Varum, sanguine oblitum et paludibus emersum, cernere et audire visus est velut vocantem, non tamen obsecutus et manum intendentis reppulisse. Coepta luce missae in latera legiones, metu an contumacia, locum deseruere, capto propere campo umentia ultra. Neque tamen Arminius, quamquam libero incursu, statim prorupit: sed ut haesere caeno fossisque impedimenta, turbati circum milites, incertus signorum ordo, utque tali in tempore sibi quisque properus et lentae adversum imperia aures, inrumpere Germanos iubet, clamitans 'en Varus et *fuga*, eodemque iterum fato vinctae legiones.' Simul haec, et cum delectis scindit agmen, equisque maxime vulnera ingerit. Illi sanguine suo et lubrico paludum lapsantes excussis rectoribus disicere obvios, proterere iacentes. Plurimus circa aquilas labor, quae neque ferri adversum ingruentia tela neque figi limosa humo poterant. Caecina dum sustentat aciem, suffosso equo delapsus circumveniebatur, ni prima legio sese opposuisset. Iuvit hostium aviditas, omissa caede praedam sectantium; enisaeque legiones vesperascente die in aperta et solida. Neque is miseriarum finis. Struendum vallum, petendus agger; amissa magna ex parte per quae egeritur humus aut exciditur caespes; non tentoria manipulis, non fomenta sauciis; infectos caeno aut cruore cibos dividentes funestas tenebras et tot hominum milibus unum iam reliquum diem lamentabantur. Forte equus abruptis vinculis vagus et clamore territus quosdam occurrentium 66

1 resultantis] *nonne* resultantis sono? 4 quintilium *R* : quintilliũ 7 intendentes (tendentis *Haase*) 8 contumatia 13 *laente* 14 *et fuga, eodemque : et eodemque (eodemque *in priore mea ed.*, et eodem *L; scriba ab* F *ex* FVGA *ad* E *in* EODEMQVE *transiluit; cf. c.* 34 elexit *pro* flexit, *c.* 43 fluant *pro* eluant) uinctae 17 dissicere proterere *B* : ꝓterrere 18 "aduersũ "ferri *(signa transpositionis alia manu alioque atramento)* 22 eniseq; 25 per quae egeritur *R* : perq; geritur

obturbavit. Tanta inde consternatio inrupisse Germanos credentium, ut cuncti ruerent ad portas, quarum decumana maxime petebatur, aversa hosti et fugientibus tutior. Caecina comperto vanam esse formidinem, cum tamen neque auctoritate neque precibus, ne manu quidem obsistere aut retinere militem quiret, proiectus in limine portae miseratione demum, quia per corpus legati eundum erat, clausit viam: simul tribuni et centuriones falsum pavorem esse do-
67 cuerunt. Tunc contractos in principia iussosque dicta cum silentio accipere temporis ac necessitatis monet. Vnam in armis salutem, sed ea consilio temperanda manendumque intra vallum, donec expugnandi hostes spe propius succederent; mox undique erumpendum; illa eruptione ad Rhenum perveniri. Quod si fugerent, pluris silvas, profundas magis paludes, saevitiam hostium superesse: at victoribus decus gloriam. Quae domi cara, quae in castris honesta, memorat; reticuit de adversis. Equos dehinc, orsus a suis, legatorum tribunorumque nulla ambitione, fortissimo cuique bellatori tradit, ut hi, mox pedes in hostem invaderent.
68 Haud minus inquies Germanus spe cupidine, et diversis ducum sententiis agebat, Arminio, sinerent egredi egressosque rursum per umida et impedita circumvenirent, suadente, atrociora Inguiomero et laeta barbaris, ut vallum armis ambirent: promptam expugnationem, plures captivos, incorruptam praedam fore. Igitur orta die proruunt fossas, iniciunt crates, summa valli prensant, raro super milite et quasi ob metum defixo. Postquam haesere munimentis, datur cohortibus signum cornuaque ac tubae concinuere. Exin clamore et impetu tergis Germanorum circumfunduntur, exprobrantes non hic silvas nec paludes, sed aequis locis aequos deos. Hosti facile excidium et paucos ac semermos

1 gredentium 5 praecibus 8 docuerant *Haase* 15 seuitiam 20 gemanus 21 sententiis *B* : sen'tiis 22 humida *(idem* 61 umido, 65 umentia, 2 19 umida, *alter Mediceus* 15 42 *scribit* humidum, *sed* H. 1 79 umido, 3 50 umentibus, 5 14 umentium, *quibus fretus* G. 45 umore *rescripsi pro* humore : *nam ex* uueo *fit* uumeo, *hinc* umeo, umidus. umor) 25 fossos 26 roro 27 inhaesere *Heinsius*

cogitanti sonus tubarum, fulgor armorum, quanto inopina, tanto maiora offunduntur, cadebantque, ut rebus secundis avidi, ita adversis incauti. Arminius integer, Inguiomerus post grave vulnus pugnam deseruere: vulgus trucidatum est, donec ira et dies permansit. Nocte demum reversae legiones, quamvis plus vulnerum, eadem ciborum egestas fatigaret, vim sanitatem copias, cuncta in victoria habuere.

Pervaserat interim circumventi exercitus fama et infesto 69
Germanorum agmine Gallias peti; ac ni Agrippina inposi-
tum Rheno pontem solvi prohibuisset, erant qui id flagitium formidine auderent. Sed femina ingens animi munia ducis per eos dies induit, militibusque, ut quis inops aut saucius, vestem et fomenta dilargita est. Tradit C. Plinius, Germanicorum bellorum scriptor, stetisse *eam* apud principium pontis, laudes et grates reversis legionibus habentem. Id Tiberii animum altius penetravit: non enim simplices eas curas, nec adversus externos *favorem* militum quaeri. Nihil relictum imperatoribus, ubi femina manipulos intervisat, signa adeat, largitionem temptet, tamquam parum ambitiose filium ducis gregali habitu circumferat Caesaremque Caligulam appellari velit. Potiorem iam apud exercitus Agrippinam quam legatos, quam duces; conpressam a muliere seditionem, cui nomen principis obsistere non quiverit. Accendebat haec onerabatque Seianus, peritia morum Tiberii odia in longum iaciens, quae reconderet auctaque promeret.

At Germanicus legionum, quas navibus vexerat, secun- 70
dam et quartam decimam itinere terrestri P. Vitellio ducendas tradit, quo levior classis vadoso mari innaret vel reciproco sideret. Vitellius primum iter sicca humo aut modice adlabente aestu quietum habuit: mox inpulsu aquilonis, simul sidere aequinoctii, quo maxime tumescit Oceanus, rapi

2 offunduntur *R* : offenduntur *(in mg.* offeruntur) 3 Inguiomerus *B* : ingoiomerus 12 inopsa 13 C.] .g. 14 *eam : *om* pontis *B in annot.:* poti 15 laudis gratis *Heraeus in progr. a.* 1859 17 *fauorem militum : militū (militem *B*, militum studia *Doederlein*, studia militum *Heraeus*, militum gratiam *Haase)* 20 caliculam 28 clasis

agique agmen. Et opplebantur terrae: eadem freto litori campis facies, neque discerni poterant incerta ab solidis, brevia a profundis. Sternuntur fluctibus, hauriuntur gurgitibus iumenta, sarcinae; corpora exanima interfluunt occursant. Permiscentur inter se manipuli, modo pectore modo ore tenus extantes, aliquando subtracto solo disiecti aut obruti. Non vox et mutui hortatus iuvabant adversante unda; nihil strenuus ab ignavo, sapiens ab inprudenti, consilia a casu differre: cuncta pari violentia involvebantur. Tandem Vitellius in editiora enisus eodem agmen subduxit. Pernoctavere sine utensilibus, sine igni, magna pars nudo aut mulcato corpore, haud minus miserabiles quam quos hostis circumsidet: quippe illic etiam honestae mortis usus, his inglorium exitium. Lux reddidit terram, penetratumque ad amnem [Visurgin], quo Caesar classe contenderat. Inpositae dein legiones, vagante fama submersas; nec fides salutis, antequam
71 Caesarem exercitumque reducem videre. Iam Stertinius, ad accipiendum in deditionem Segimerum, fratrem Segestis, praemissus, ipsum et filium eius in civitatem Vbiorum perduxerat. Data utrique venia, facile Segimero, cunctantius filio, quia Quintilii Vari corpus inlusisse dicebatur. Ceterum ad supplenda exercitus damna certavere Galliae Hispaniae Italia, quod cuique promptum, arma equos aurum offerentes. Quorum laudato studio Germanicus, armis modo et equis ad bellum sumptis, propria pecunia militem iuvit. Vtque cladis memoriam etiam comitate leniret, circumire saucios, facta singulorum extollere; vulnera intuens alium spe, alium gloria, cunctos adloquio et cura sibique et proelio firmabat.

72 Decreta eo anno triumphalia insignia A. Caecinae, L. Apronio, C. Silio ob res cum Germanico gestas. Nomen patris patriae Tiberius, a populo saepius ingestum, repudiavit; neque in acta sua iurari quamquam censente senatu permi-

5 interse 6 subtractos solo] *postrema littera est e correctione* 7 non *L* : nox *(R* nec*)* 8 ab imprudenti *L* : aprudenti *(cf.* 4 70*)* 10 editiorae nisus 13 illic 15 [Visurgin] *L et Mercerus* : uisurgin classem legeones 21 quinctilii *(sic semel)* inlusisse *B* : inlussis caeterum 23 equo saurum 25 utquae 31 rupudiauit

sit, cuncta mortalium incerta, quantoque plus adeptus foret, tanto se magis in lubrico dictitans. Non tamen ideo faciebat fidem civilis animi: nam legem maiestatis reduxerat, cui nomen aput veteres idem, sed alia in iudicium veniebant, siquis proditione exercitum aut plebem seditionibus, denique male gesta re publica maiestatem populi Romani minuisset; facta arguebantur, dicta inpune erant. Primus Augustus cognitionem de famosis libellis specie legis eius tractavit, commotus Cassii Severi libidine, qua viros feminasque inlustres procacibus scriptis diffamaverat; mox Tiberius, consultante Pompeio Macro praetore, an iudicia maiestatis redderentur, exercendas leges esse respondit. Hunc quoque asperavere carmina incertis auctoribus vulgata in saevitiam superbiamque eius et discordem cum matre animum. Haud pigebit 73
referre in Falanio et Rubrio, modicis equitibus Romanis, praetemptata crimina, ut quibus initiis, quanta Tiberii arte gravissimum exitium inrepserit, dein repressum sit, postremo arserit cunctaque corripuerit, noscatur. Falanio obiciebat accusator, quod inter cultores Augusti, qui per omnes domos in modum collegiorum habebantur, Cassium quendam, mimum corpore infamem, adscivisset, quodque venditis hortis statuam Augusti simul mancipasset. Rubrio crimini dabatur violatum periurio numen Augusti. Quae ubi Tiberio notuere, scripsit consulibus non ideo decretum patri suo caelum, ut in pernutiem civium is honor verteretur. Cassium histrionem solitum inter alios eiusdem artis interesse ludis, quos mater sua in memoriam Augusti sacrasset; nec contra religiones fieri, quod effigies eius, ut alia numinum simulacra, venditionibus hortorum et domuum accedant. Ius iurandum perinde aestimandum quam si Iovem fefellisset: deorum iniurias dis curae. Nec multo post Granium Marcellum, praetorem Bithy- 74

2 lubico dictitans *Muretus* : dictan 4 iudicum ueniebat (n. *retere m.)* 5 aut *B* : ut 8 spetie 10 procatibus 12 legis 18 Falanio 21 hostis *pr.* 23 periturio numen *Freinshem* : nomen 24 *pernutiem : pernitiem 26 alios ei eiusdem 28 effigies numinus 31 praetorem] proconsulem *Mercerus* bithiniae

niae, quaestor ipsius Caepio Crispinus maiestatis postulavit, subscribente Romano Hispone, qui formam vitae iniit, quam postea celebrem miseriae temporum et audaciae hominum fecerunt. Nam egens ignotus inquies, dum occultis libellis saevitiae principis adrepit, mox clarissimo cuique periculum facessit, potentiam aput unum, odium apud omnis adeptus dedit exemplum, quod secuti ex pauperibus divites, ex contemptis metuendi pernutiem aliis ac postremum sibi invenere. Sed Marcellum *Caepio* insimulabat sinistros de Tiberio sermones habuisse, inevitabile crimen, cum ex moribus principis foedissima quaeque deligeret accusator obiectaretque reo. Nam quia vera erant, etiam dicta credebantur. Addidit Hispo statuam Marcelli altius quam Caesarum sitam, et alia in statua amputato capite Augusti effigiem Tiberii inditam. Ad quod exarsit adeo, ut rupta taciturnitate proclamaret se quoque in ea causa laturum sententiam palam et iuratum [quo ceteris eadem necessitas fieret]. Manebant etiam tum vestigia morientis libertatis. Igitur Cn. Piso 'quo' inquit 'loco censebis, Caesar? si primus, habebo quod sequar: si post omnes, vereor ne inprudens dissentiam.' Permotus his, quantoque incautius efferverat, poenitentia patiens tulit absolvi reum criminibus maiestatis: de pecuniis repetundis ad reciperatores itum est.

75 Nec patrum cognitionibus satiatus iudiciis adsidebat in cornu tribunalis, ne praetorem curuli depelleret; multaque eo coram adversus ambitum et potentium preces constituta. Set dum veritati consulitur, libertas corrumpebatur. Inter quae Pius Aurelius senator, questus mole publicae viae ductuque aquarum labefactas aedis suas, auxilium patrum invocabat. Resistentibus aerarii praetoribus subvenit Caesar pretiumque aedium Aurelio tribuit, erogandae per honesta

3 audatiae 7 excomtemptis 8 *pernutiem : pernitiem 9 *Caepio insimulabat : insimulabat (insimulabant *Nipperdey*) 11 accussator 14 In Inditam 15 Atquot 17 *[quo — fieret] 18 C· N· 20 oñs 21 efferuerat poenitentia *B* : paenitentia (paenitentiae *Heinsius*) 22 peccuniis reciperatore situm 26 praeces constituta. sed *B* : constitutas et 28 quaestus 31 praetiumque

pecuniae cupiens, quam virtutem diu retinuit, cum ceteras exueret. Propertio Celeri praetorio, veniam ordinis ob paupertatem petenti, decies sestertium largitus est, satis conperto paternas ei angustias esse. Temptantis eadem alios probare causam senatui iussit, cupidine severitatis in iis etiam quae ritu faceret acerbus. Vnde ceteri silentium et paupertatem confessioni et beneficio praeposuere.

Eodem anno continuis imbribus auctus Tiberis *per* plana 76
urbis stagnaverat; relabentem secuta est aedificiorum et hominum strages. Igitur censuit Asinius Gallus ut libri Sibyllini adirentur. Rennuit Tiberius, perinde divina humanaque obtegens: sed remedium coercendi fluminis Ateio Capitoni et L. Arruntio mandatum. Achaiam ac Macedoniam onera deprecantis levari in praesens proconsulari imperio tradique Caesari placuit. Edendis gladiatoribus, quos Germanici fratris ac suo nomine obtulerat, Drusus praesedit, quamquam vili sanguine nimis gaudens; quod in vulgus formidolosum, et pater arguisse dicebatur. Cur abstinuerit spectaculo ipse, varie trahebant; alii taedio coetus, quidam tristitia ingenii et metu conparationis, quia Augustus comiter interfuisset. Non crediderim ad ostentandam saevitiam movendasque populi offensiones concessam filio materiem, quamquam id quoque dictum est. At theatri licentia, proximo [priore] anno coepta, 77
gravius tum erupit, occisis non modo e plebe set militibus et centurione, vulnerato tribuno praetoriae cohortis, dum probra in magistratus et dissensionem vulgi prohibent. Actum de ea seditione apud patres, dicebanturque sententiae, ut praetoribus ius virgarum in histriones esset. Intercessit Haterius Agrippa, tribunus plebei, increpitusque est Asinii Galli oratione, silente Tiberio, qui ea simulacra libertatis senatui praebebat. Valuit tamen intercessio, quia divus Augustus immunes verberum histriones quondam responderat, neque fas

2 exsueret 5 causam *B* : causa cupidioe 8 *per plana : plana 10 Sibyllini *B* : sybillini 11 rennuit *(cf.* 15 58*)* 13 acchaiam 16 praesedit *B* : praesidit 17 in uulgus *margo (ascriptum est* in *ad marg. dextrum)* : uulgus 21 ostentandam *B* : hos tentandam *(sic)* 22 quoque *L* : ꝗ 23 [*priore] *(cf. c.* 78 proximae seditionis*)* 24 tum *B* : dum sed *L* : et *(*sed *etiam margo)* 32 uerborum

Tiberio infringere dicta eius. De modo lucaris et adversus lasciviam fautorum multa decernuntur; ex quis maxime insignia, ne domos pantomimorum senator introiret, ne egredientes in publicum equites Romani cingerent, aut alibi quam in theatro spectarentur, et spectantium immodestiam exilio
78 multandi potestas praetoribus fieret. Templum ut in colonia Tarraconensi strueretur Augusto, petentibus Hispanis permissum, datumque in omnes provincias exemplum. Centesimam rerum venalium, post bella civilia institutam, deprecante populo, edixit Tiberius militare aerarium eo subsidio niti; simul imparem oneri rem publicam, nisi vicesimo militiae anno veterani dimitterentur. Ita proximae seditionis male consulta, quibus sedecim stipendiorum finem expresserant, abolita in posterum.

79 Actum deinde in senatu ab Arruntio et Ateio, an ob moderandas Tiberis exundationes verterentur flumina et lacus, per quos augescit; auditaeque municipiorum et coloniarum legationes, orantibus Florentinis, ne Clanis solito alveo demotus in amnem Arnum transferretur idque ipsis pernutiem afferret. Congruentia his Interamnates disseruere: pessum ituros fecundissimos Italiae campos, si amnis Nar (id enim parabatur) in rivos diductus superstagnavisset. Nec Reatini silebant, Velinum lacum, qua in Narem effunditur, obstrui recusantes, quippe in adiacentia erupturum; optume rebus mortalium consuluisse naturam, quae sua ora fluminibus, suos cursus, utque originem, ita fines dederit; spectandas etiam religiones eorum, qui sacra et lucos et aras patriis amnibus dicaverint; quin ipsum Tiberim nolle prorsus accolis fluviis orbatum minore gloria fluere. Seu preces coloniarum seu difficultas operum sive superstitio valuit, ut in sententiam Pisonis concederetur, qui nil mutandum censuerat.

1 edicta *Wurm* 5 exilio *B* : exitio 6 fieret *B* : fieret 7 Tarraconensi *B* : terra conensi *(sic)* 8 centesimam *R* : Centissimam (centessimam *Rhenano priores)* 11 pubplicam 19 *pernutiem : permitiem 20 Interamnates *B* : ante manates 22 diductus *B* : deductus 24 adiacentiae rupturum *pr.* optume 27 *eorum : sociorum *(maiorum Nipperdey)* 29 praeces 31 Cn. Pisonis *Nipperdey, sed cf. c.* 74 concederetur *L* : concederet

Prorogatur Poppaeo Sabino provincia Moesia, additis 80
Achaia ac Macedonia. Id quoque morum Tiberii fuit, continuare imperia ac plerosque ad finem vitae in isdem exercitibus aut iurisdictionibus habere. Causae variae traduntur: alii taedio novae curae semel placita pro aeternis servavisse, quidam invidia, ne plures fruerentur; sunt qui existiment, ut callidum eius ingenium, ita anxium iudicium: neque enim eminentis virtutes sectabatur, et rursum vitia oderat; ex optimis periculum sibi, a pessimis dedecus publicum metuebat. Qua haesitatione postremo eo provectus est, ut mandaverit quibusdam provincias, quos egredi urbe non erat passurus.

De comitiis consularibus, quae tum primum illo principe 81
ac deinceps fuere, vix quicquam firmare ausim: adeo diversa non modo aput auctores sed in ipsius orationibus reperiuntur. Modo subtractis candidatorum nominibus originem cuiusque et vitam et stipendia descripsit, ut qui forent intellegeretur: aliquando ea quoque significatione subtracta candidatos hortatus, ne ambitu comitia turbarent, suam ad id curam pollicitus est. Plerumque eos tantum aput se professos disseruit, quorum nomina consulibus edidisset; posse et alios profiteri, si gratiae aut meritis confiderent; ea speciosa verbis, re inania aut subdola, quantoque maiore libertatis imagine tegebantur, tanto eruptura ad infensius servitium.

1 prouintia 3 istem 4 uarie *Haase* 6 fruerentur *B* : fuerentur 8 uirtutis 9 sibi : sibi *(interpunctio fortasse ab alt. m.)* 11 quibustdam 13 delnceps 14 autores repperiuntur 21 *ea speciosa : in spetiosa *(idem Med.* 2 49 in *dedit pro* a*)* 23 seruitium.

FINIT P CORNELI ·LIB̄ ·I· INCIPIT LIBER ·II·

LIBER II.

BREVIARIUM. C. 1—41. Annus a. Ch. n. 16, imperatoris Tiberii 3. De rebus Orientis repetita nonnulla (1—4). Eius provinciis imponendus Germanicus. At ille celerandae de Germanis victoriae intentior bellum mari classeque inferendum praeparat (5—6). Ante expeditio in Chattos suscepta a Silio, ab ipso alia ad Alisonem castellum (7). Parata classe Germanicus fossam Drusianam ingreditur, inde lacus et Oceanum secunda navigatione pervectus terrestri itinere ab Amisiae ore ad Visurgim et terram Cheruscorum tendit; Angrivariorum a tergo deficientium perfidiam immisso Stertinio ulciscitur (8). Romanus ubi ad Visurgim penetravit, in diversa ripa Germanos et Arminium obvios habet; Arminii cum Flavo fratre colloquium (9—10). Visurgis transitus ab equite Romano, non sine clade (11). Caesar cum legionibus amnem transgressus, propinquo summae rei discrimine, militum animos ipse explorat tempore nocturno (11—13), eadem nocte auctus omine. Postero die exercitum adhortatur, item Arminius suum militem (14—15). Cherusci ingenti proelio victi ac caesi (16—18). Iidem tamen viso aggere, quem Romani in modum tropaeorum struxerant, fugam sistunt, agmen Romanum incursant, postremo alterum proelium (inter Visurgim Albimque) ausi rursus sternuntur; Angrivarii, in quos Stertinius iturus erat, deditionem properaverunt (19—22). At in regressu dispar fortuna; saevitia Oceani magna pars navium haustae, plures longius eiectae sunt (23—24). Quae clades ne Germanos ad spem belli erigeret, Silius in Chattos, Germanicus in Marsos irrumpunt, ubi aquila Varianae legionis recepta et hostium spes repressa (25). Sed Tiberius Germanicum suetis legionibus abstraxit, in urbem ad triumphum et consulatum revocavit (26). Ibi Libo Drusus defertur moliri res novas. Principem infensum expertus gladio domi incumbit (27—32). De luxu coercendo decreta patrum et consultationes, L. Pisonis liberi doloris documenta (33—34). De rebus eo anno proferendis diversae Cn. Pisonis et Asinii Galli sententiae; certamen Gallo adversus principem de comitiis magistratuum (35—36). Census quorundam senatorum adiuti a Tiberio, sed preces M. Hortali superbius acceptae (37—38). Fraus clementis (is Postumi Agrippae servus fuerat) punita (39—40). Fine anni nova opera in urbe dicata (41).

C. 41—52. Annus a Ch. n. 17, principis Tiberii 4. Germanicus triumphum ducit de Cheruscis et sociis.. Res Orientis ad componendum ei permissae, sed Syriae praepositus est a Caesare Cn. Piso, qui Germanico adversaretur (41—43). Drusus, Tiberii filius, in Illyricum missus ad discordias Suevorum et Cheruscorum componendas. Certamina Marobodui et Arminii (44—46). Asiae duodecim urbes nocturno terrae motu collapsae refoventur patrum et principis largitione. Tiberii in privatos liberalitas, in hereditatibus adeundis providentia (47—48). Deorum aedes Romae dedicatae (49), tum de adolescente lege maiestatis (50), de praetore subrogando (51). In Africa Tacfarinas turbator a Camillo proconsule repressus (52).

C. 53—58. Annus a Ch. n. 18, Tiberii principis 5. Conventus Germanici et Drusi in urbe Nicopoli (53), iter Germanici per Athenas, Euboeam Lesbumque ad extrema Asiae, regressus eiusdem, ubi Colophona oraculumque Apollinis adiit (54). Interim Piso Athenis civitatem oratione saeva increpat, perstringens oblique Germanicum, abs quo apud Rhodum nihilo minus tempestatibus eripitur; hinc in Syriam celeriter profectus seditiose ibi agit (55). Germanicus ad Armenios praevertit, his regem imponit, Cappadocibus legatum dat, item Commagenis (56). Pisonis in eum officia omissa

et contumeliae (57). Artabani Parthorum regis legati ad Germanicum, Vonones amotus in Ciliciam (58).

C. 59—88. Annus a Ch. n. 19, imperatoris Tiberii 6, cuius res partim externae sunt (59—81), partim in urbe senatuque peraguntur (82—88). Germanicus in Aegyptum proficiscitur, Tiberio improbante (59), Nilo subvehitur, terrae miraculis animum attendens, quorum praecipua describuntur (60—61). Eadem aestate Drusus Germanos ad discordias illicit, ut fracto iam Maroboduo usque ad exitium insisteretur; qui Danuvium transgressus qua Noricum praeterfluit ad Pannoniae legiones e regno confugit. Ipse Ravennae habitus est, barbari eum comitati quique cum Catualda item pulso venerunt, ultra Danuvium locati (62—63), rege Vannio. Laetusque Tiberius ob res Orientis et Germaniae arte magis quam armis compositas eadem via aggreditur Rhescuporim, Thraciae regem, insigni perfidia usum in Cotyn, fratris sui filium (64—66), et evertit (67). Vonones fugam e Cilicia temptans retrahitur atque interficitur (68). Germanicus ex Aegypto remeans a Pisone in irritum versa repperit quae ordinaverat, mox aeger animi extinguitur, non sine suspitione accepti a Pisone veneni (69—73). Syriae Sentius praepositus (74), Agrippina cum cineribus mariti classem ascendit in urbem properando (75). Piso ob excessum Germanici intemperanter laetus provinciam repetit, Sentii opera et cura depulsus (76—81). At in urbe magnis animorum motibus Germanici mors accepta est (82—84). Eodem anno libido feminarum a patribus coercita (85), virgo capta (86), Arminius regnum affectans dolo propinquorum cadit; viri laudes (87—88).

Sisenna Statilio [Tauro] L. Libone consulibus mota 1
Orientis regna provinciaeque Romanae, initio apud Parthos p. Ch. 16.
orto, qui petitum Roma acceptumque regem, quamvis gentis
Arsacidarum, ut externum aspernabantur. Is fuit Vonones,
obses Augusto datus a Phrahate. Nam Phrahates quamquam
depulisset exercitus ducesque Romanos, cuncta venerantium
officia ad Augustum verterat, partemque prolis firmandae
amicitiae miserat, haud perinde nostri metu quam fidei po-
pularium diffisus. Post finem Phrahatis et sequentium regum 2
ob internas caedes venere in urbem legati a primoribus
Parthis, qui Vononen, vetustissimum liberorum eius, accirent.
Magnificum id sibi credidit Caesar *Augustus*, auxitque opibus.
Et accepere barbari laetantes, ut ferme ad nova imperia.
Mox subiit pudor degeneravisse Parthos: petitum alio ex
orbe regem, hostium artibus infectum; iam inter provincias
Romanas solium Arsacidarum haberi darique. Vbi illam

Ab excessu diui Augusti. Sisenna 1 *[Tauro] cōs 5 a phrahate. Nam phrahates *corr*: aprahate. Nam prahates *(idem Mediceus mox* prahatis, *sed* 6 31 *et* 32 *scribit* phraaten, phraatis, phraates, *item* 6 37 *et* 42 *et* 43 phraatis, phraates, *alter Mediceus* 11 10 prahatis, 12 10 praatis) 11 uononem *(cf. c.* 4, *ubi habet* uononen) 12 *Caesar Augustus: caesar *(cf. G.* 37*)* 13 accipere 14 exorbe
c

gloriam trucidantium Crassum, exturbantium Antonium, si mancipium Caesaris, tot per annos servitutem perpessum, Parthis imperitet? Accendebat dedignantes et ipse, diversus a maiorum institutis, raro venatu, segni equorum cura; quotiens per urbes incederet, lecticae gestamine fastuque erga patrias epulas. Inridebantur et Graeci comites ac vilissima utensilium anulo clausa. Sed prompti aditus, obvia comitas, ignotae Parthis virtutes, nova vitia; et quia ipsorum moribus
3 aliena, perinde odium pravis et honestis. Igitur Artabanus, Arsacidarum e sanguine, aput Dahas adultus, excitur, primoque congressu fusus reparat vires regnoque potitur. Victo Vononi perfugium Armenia fuit, vacua tunc interque Parthorum et Romanas opes infida ob scelus Antonii, qui Artavasden, regem Armeniorum, specie amicitiae inlectum, dein catenis oneratum, postremo interfecerat. Eius filius Artaxias, memoria patris nobis infensus, Arsacidarum vi seque regnumque tutatus est. Occiso Artaxia per dolum propinquorum, datus a Caesare Armeniis Tigranes deductusque in regnum a Tiberio Nerone. Nec Tigrani diuturnum imperium fuit neque liberis eius, quamquam sociatis more externo in ma-
4 trimonium regnumque. Dein iussu Augusti inpositus Artavasdes et non sine clade nostra deiectus. Tum C. Caesar componendae Armeniae deligitur. Is Ariobarzanen, origine Medum, ob insignem corporis formam et praeclarum animum volentibus Armeniis praefecit. Ariobarzane morte fortuita absumpto stirpem eius haud toleravere; temptatoque feminae imperio, cui nomen Erato, eaque brevi pulsa, incerti solutique, et magis sine domino quam in libertate, profugum Vononen in regnum accipiunt. Sed ubi minitari Artabanus et parum subsidii in Armeniis, vel, si nostra vi defenderetur, bellum adversus Parthos sumendum erat, rector Syriae Creticus Silanus excitum custodia circumdat, manente luxu et

4 uenatu uenatu 8 moribus *Muretus* : maiorib; 10 esanguine 12 pathorum 14 spetiae 18 acaesare 19 atiberio 26 adsumpto 30 nostra ui *B* : nos aui 31 Syriae *Medicens per hunc librum septies* y *et totidem locis* u *offert, in ceteris* (6 5, 6 33 *et* 37 *et* 43) y, *et* 4 5 u)

regio nomine. Quod ludibrium ut effugere agitaverit Vonones, in loco reddemus.

Ceterum Tiberio haud ingratum accidit turbari res 5
Orientis, ut ea specie Germanicum suetis legionibus abstraheret novisque provinciis impositum dolo simul et casibus obiectaret. At ille, quanto acriora in eum studia militum et aversa patrui voluntas, celerandae victoriae intentior, tractare proeliorum vias et quae sibi tertium iam annum belligeranti saeva vel prospera evenissent. Fundi Germanos acie et iustis locis, iuvari silvis paludibus, brevi aestate et praematura hieme; suum militem haud perinde vulneribus quam spatiis itinerum, damno armorum adfici; fessas Gallias ministrandis equis; longum impedimentorum agmen opportunum ad insidias, defensantibus iniquum. At si mare intretur, promptam ipsis possessionem et hostibus ignotam, simul bellum maturius incipi legionesque et commeatus pariter vehi; integrum equitem equosque per ora et alveos fluminum media in Germania fore. Igitur huc intendit, missis ad census 6
Galliarum P. Vitellio et C. Antio. Silius et . . Anteius et Caecina fabricandae classi praeponuntur. Mille naves sufficere visae properataeque, aliae breves, angusta puppi proraque et lato utero, quo facilius fluctus tolerarent; quaedam planae carinis, ut sine noxa siderent; plures adpositis utrimque gubernaculis, converso ut repente remigio hinc vel illinc adpellerent; multae pontibus stratae, super quas tormenta veherentur, simul aptae ferendis equis aut commeatui; velis habiles, citae remis augebantur alacritate militum in speciem ac terrorem. Insula Batavorum in quam convenirent praedicta, ob faciles adpulsus accipiendisque copiis et transmittendum ad bellum opportuna. Nam Rhenus uno alveo continuus aut modicas insulas circumveniens aput principium agri Batavi velut in duos amnes dividitur, servatque nomen et vio-

4 spetię 7 caelerandae 8 praeliorum 9 prosperae 13 oportunum 19 C. Antio *Vrsinus*: cantio . . * Anteius: anteius (*fuit* A. *vel* T.; *Nipperdey* Apronius; *pater, opinor, fuit* P. Antei 13 22, 16 14) 21 breues *B* : breuis 24 repente *B* : repetente 25 adbellerent 27 spetiem 28 Batauorum *B*: batuorum 30 oportuna

lentiam cursus, qua Germaniam praevehitur, donec Oceano misceatur: ad Gallicam ripam latior et placidior adfluens, verso cognomento Vahalem accolae dicunt, mox id quoque vocabulum mutat Mosa flumine eiusque inmenso ore eundem
7 in Oceanum effunditur. Sed Caesar, dum adiguntur naves, Silium legatum cum expedita manu inruptionem in Chattos facere iubet: ipse, audito castellum Lupiae flumini adpositum obsideri, sex legiones eo duxit. Neque Silio ob subitos imbres aliud actum quam ut modicam praedam et Arpi, principis Chattorum, coniugem filiamque raperet, neque Caesari copiam pugnae opsessores fecere, ad famam adventus eius dilapsi: tumulum tamen nuper Varianis legionibus structum et veterem aram Druso sitam disiecerant. Restituit aram honorique patris princeps ipse cum legionibus decucurrit; tumulum iterare haud visum. Et cuncta inter castellum Alisonem ac Rhenum novis limitibus aggeribusque permunita.
8 Iamque classis advenerat, cum praemisso commeatu et distributis in legiones ac socios navibus, fossam cui Drusianae nomen ingressus, precatusque Drusum patrem ut se eadem ausum libens placatusque exemplo ac memoria consiliorum atque operum iuvaret, lacus inde et Oceanum usque ad Amisiam flumen secunda navigatione pervehitur. Classis Amisiae *in lacu* relicta, laevo amne, erratumque in eo quod non subvexit aut transposuit militem dextras in terras iturum; ita plures dies efficiendis pontibus absumpti. Et eques quidem ac legiones prima aestuaria, nondum adcrescente unda, intrepidi transiere: postremum auxiliorum agmen, Batavique in parte ea, dum insultant aquis artemque nandi ostentant, turbati et quidam hausti sunt. Metanti castra Caesari Angrivariorum defectio a tergo nuntiatur: missus ilico Stertinius cum equite et armatura levi igne et caedibus perfidiam ultus

2 placidor 3 Vahalem *B* : uahalaem 6 chatos, *mox* chatorum 7 flumine *pr* (i *correctum vetere m.*) 8 obsideris exlegiones 9 aliut predam 11 facere 21 amissiam *Amisiae in lacu : amisie 23 subuexit aut transposuit *Wurm* : subuexit transposuit 29 Angriuariorum *B* : angriuoriorum *(cf. Müllenhoff in Diarnis antiq. Germ. VIIII p. 226 sqq)*

est. Flumen Visurgis Romanos Cheruscosque interfluebat. 9
Eius in ripa cum ceteris primoribus Arminius adstitit, quaesitoque an Caesar venisset, postquam adesse responsum est, ut liceret cum fratre conloqui oravit. Erat is in exercitu cognomento Flavus, insignis fide et amisso per vulnus oculo paucis ante annis duce Tiberio. Tum permissu *Caesaris deducitur*, progressusque salutatur ab Arminio; qui amotis stipatoribus, ut sagittarii nostra pro ripa dispositi abscederent postulat, et postquam digressi, unde ea deformitas oris interrogat fratrem. Illo locum et proelium referente, quodnam praemium recepisset exquirit. Flavus aucta stipendia, torquem et coronam aliaque militaria dona memorat, inridente Arminio vilia servitii pretia. Exin diversi ordiuntur, hic 10
magnitudinem Romanam, opes Caesaris et victis graves poenas, in deditionem venienti paratam clementiam; neque coniugem et filium eius hostiliter haberi: ille fas patriae libertatem avitam, penetralis Germaniae deos, matrem precum sociam; ne propinquorum et adfinium, denique gentis suae desertor et proditor quam imperator esse mallet. Paulatim inde ad iurgia prolapsi quo minus pugnam consererent ne flumine quidem interiecto cohibebantur, ni Stertinius adcurrens plenum irae armaque et equum poscentem Flavum attinuisset. Cernebatur contra minitabundus Arminius proeliumque denuntians: nam pleraque Latino sermone interiaciebat, ut qui Romanis in castris ductor popularium meruisset. Postero die Germanorum acies trans Visurgim stetit. 11
Caesar nisi pontibus praesidiisque inpositis dare in discrimen legiones haud imperatorium ratus, equitem vado tramittit. Praefuere Stertinius et e numero primipilarium Aemilius, distantibus locis invecti, ut hostem deducerent. Qua celerri-

1 Flum̃ (*'littera initialis proximi vocabuli'* (uisurgis) *'est in rasura'. Baiter. immo litterae vanescentes novo atramento et hic et saepius alibi adiutae sunt, quod notare plerumque superfluum est* 6 diberio *permissu Caesaris deducitur: permissu (permissum *B*, permissu imperatoris deducitur a Stertinio *Nipperdey)* 10 fratrum *pr* 13 praetia 20 gurgia 24 interiacebat 29 primipilarium *B in annot.*: primilliarium 30 diducerent *R* cellerrimus

mus amnis, Chariovalda, dux Batavorum, erupit. Eum Cherusci fugam simulantes in planitiem saltibus circumiectam traxere: dein coorti et undique effusi trudunt adversos, instant cedentibus collectosque in orbem pars congressi, quidam eminus proturbant. Chariovalda diu sustentata hostium saevitia, hortatus suos ut ingruentes catervas globo perfringerent, atque ipsos in densissimos inrumpens, congestis telis et suffosso equo labitur, ac multi nobilium circa: ceteros vis sua aut equites cum Stertinio Aemilioque subvenientes peri-
12 culo exemere. Caesar transgressus Visurgim indicio perfugae cognoscit delectum ab Arminio locum pugnae; convenisse et alias nationes in silvam Herculi sacram, ausurosque nocturnam castrorum oppugnationem. Habita indici fides, et cernebantur ignes, suggressique propius speculatores audiri fremitum equorum inmensique et inconditi agminis murmur attulere. Igitur propinquo summae rei discrimine explorandos militum animos ratus, quonam id modo incorruptum foret, secum agitabat. Tribunos et centuriones laeta saepius quam comperta nuntiare, libertorum servilia ingenia, amicis inesse adulationem; si contio vocetur, illic quoque, quae pauci in-
cipiant, reliquos adstrepere. Penitus noscendas mentes, cum secreti et incustoditi inter militaris cibos spem aut metum
13 proferrent. Nocte coepta egressus augurali per occulta et vigilibus ignara, comite uno, contectus umeros ferina pelle, adit castrorum vias, adsistit tabernaculis fruiturque fama sui, cum hic nobilitatem ducis, decorem alius, plurimi patientiam comitatem, per seria per iocos eundem animum laudibus ferrent, reddendamque gratiam in acie faterentur, simul perfidos et ruptores pacis ultioni et gloriae mactandos. Inter quae unus hostium, Latinae linguae sciens, acto ad vallum equo voce magna coniuges et agros et stipendii in dies, donec bellaretur, sestertios centenos, siquis transfugisset, Arminii nomine pollicetur. Incendit ea contumelia legionum

2 circumiectam *B* : circumlectã 6 perfringerent *Bezzenberger* : fringerent (frangerent *L)* 7 *ipsos in : ipsis (ipse in *B* : ipse *Weissenborn;* ipsis densissimis inruens *Haase)* inrumpens *Frobeniana a.* 1519 : inrupens 16 propinquos 18 sepius 19 seruilla 21 cum secreti *B* : con secreti *(sic)*

iras: veniret dies, daretur pugna; sumpturum militem Germanorum agros, tracturum coniuges; accipere omen et matrimonia ac pecunias hostium praedae destinare. Tertia ferme vigilia adsultatum est castris, sine coniectu teli, postquam crebras pro munimentis cohortes et nihil remissum sensere. Nox eadem laetam Germanico quietem tulit, viditque se \\14 operatum, et sanguine sacro respersa praetexta pulchriorem aliam manibus aviae Augustae accepisse. Auctus omine, addicentibus auspiciis, vocat contionem, et quae sapientia provisa aptaque imminenti pugnae disserit. Non campos modo militi Romano ad proelium bonos, sed si ratio adsit, silvas et saltus: nec enim inmensa barbarorum scuta, enormis hastas inter truncos arborum et enata humo virgulta perinde haberi quam pila et gladios et haerentia corpori tegmina. Denserent ictus, ora mucronibus quaererent: non loricam Germano, non galeam, ne scuta quidem ferro nervove firmata, sed viminum textus vel tenuis et fucatas colore tabulas; primam utcumque aciem hastatam, ceteris praeusta aut brevia tela. Iam corpus ut visu torvum et ad brevem impetum validum, sic nulla vulnerum patientia: sine pudore flagitii, sine cura ducum abire fugere, pavidos adversis, inter secunda non divini, non humani iuris memores. Si taedio viarum ac maris finem cupiant, hac acie parari: propiorem iam Albim quam Rhenum neque bellum ultra, modo se, patris patruique vestigia prementem, isdem in terris victorem sisterent. Orationem ducis secutus militum ardor, signumque 15 pugnae datum. Nec Arminius aut ceteri Germanorum proceres omittebant suos quisque testari, hos esse Romanos Variani exercitus fugacissimos, qui ne bellum tolerarent, seditionem induerint; quorum pars onusta vulneribus terga, pars fluctibus et procellis fractos artus infensis rursum hostibus, adversis dis obiciant, nulla boni spe. Classem quippe et avia

3 peccunias 4 coniectu *B* : conlectu 6 *se . . : se *(expleo* aug̃., *h. e.* Augusto; *cf.* 1 43, 2 22) 7 sacro respersa *B* : sacri res tersa 9 prouisa : praeuisa 12 scutae normis 15 denserent 19 utuisu 22 memoris 25 prẹmentem 26 sisterrent 30 terga *Muretus* : tergũ 31 fractus

Oceani quaesita, nequis venientibus occurreret, ne pulsos premeret: sed ubi miscuerint manus, inane victis ventorum remorumve subsidium. Meminissent modo avaritiae crudelitatis superbiae: aliud sibi reliquum quam tenere libertatem
16 aut mori ante servitium? Sic accensos et proelium poscentes in campum, cui Idistaviso nomen, deducunt. Is medius inter Visurgim et colles, ut ripae fluminis cedunt aut prominentia montium resistunt, inaequaliter sinuatur. Pone tergum insurgebat silva, editis in altum ramis et pura humo inter arborum truncos. Campum et prima silvarum barbara acies tenuit: soli Cherusci iuga insedere, ut proeliantibus Romanis desuper incurrerent. Noster exercitus sic incessit: auxiliares Galli Germanique in fronte, post quos pedites sagittarii; dein quattuor legiones et cum duabus praetoriis cohortibus ac delecto equite Caesar; exim totidem aliae legiones et levis armatura cum equite sagittario ceteraeque sociorum cohortes. Intentus paratusque miles, ut ordo agminis in aciem adsi-
17 steret. Visis Cheruscorum catervis, quae per ferociam proruperant, validissimos equitum incurrere latus, Stertinium cum ceteris turmis circumgredi tergaque invadere iubet, ipse in tempore adfuturus. Interea pulcherrimum augurium, octo aquilae petere silvas et intrare visae imperatorem advertere. Exclamat irent, sequerentur Romanas aves, propria legionum numina. Simul pedestris acies infertur et praemissus eques postremos ac latera impulit. Mirumque dictu, duo hostium agmina diversa fuga, qui silvam tenuerant, in aperta, qui in campis adstiterant, in silvam ruebant. Medii inter hos Cherusci collibus detrudebantur, inter quos insignis Arminius manu voce vulnere sustentabat pugnam. Incubueratque sagittariis *auxiliorum*, illa rupturus, ni Raetorum Vindelicorum-

1 nequis] *uterque Mediceus modo* nequis, nequa *cet. scribit, modo* ne quis, ne qua, *quam varietatem minime miram inde servavi* 4 aliut 6 idista uiso (Idisiauiso *Iac. Grimm*, Idisiouisa *Müllenhoff in diurnis antiq. Germ.* VIIII *p.* 248) 7 ripe caedunt 15 exim *pr (uterque Mediceus modo* exin *modo* exim *scriptum habet)* 20 tergaque *L* : terga|ue 21 intempore 24 numina *B* : nuina pedestri *B* : pedestres 26 qui in *Nipperdey* : qui 27 interhos 29 *sagittariis auxiliorum : sagittariis

que et Gallicae cohortes signa obiecissent. Nisu tamen corporis et impetu equi pervasit, oblitus faciem suo cruore, ne nosceretur. Quidam adgnitum a Chaucis inter auxilia Romana agentibus emissumque tradiderunt. Virtus seu fraus eadem Inguiomero effugium dedit: ceteri passim trucidati. Et plerosque tranare Visurgim conantes iniecta tela aut vis fluminis, postremo moles ruentium et incidentes ripae operuere. Quidam turpi fuga in summa arborum nisi ramisque se occultantes admotis sagittariis per ludibrium figebantur, alios prorutae arbores adflixere. Magna ea victoria neque cruenta 18
nobis fuit. Quinta ab hora diei ad noctem caesi hostes decem milia passuum cadaveribus atque armis opplevere, repertis inter spolia eorum catenis, quas in Romanos ut non dubio eventu portaverant. Miles in loco proelii Tiberium imperatorem salutavit struxitque aggerem et in modum tropaeorum arma subscriptis victarum gentium nominibus imposuit. Haud 19
perinde Germanos vulnera, luctus, excidia quam ea species dolore et ira adfecit. Qui modo abire sedibus, trans Albim concedere parabant, pugnam volunt, arma rapiunt; plebes primores, iuventus senes agmen Romanum repente incursant turbant. Postremo deligunt locum flumine et silvis clausum, arta intus planitie et umida; silvas quoque profunda palus ambibat, nisi quod latus unum Angrivarii lato aggere extulerant, quo a Cheruscis dirimerentur. Hic pedes adstitit: equitem propinquis lucis texere, ut ingressis silvam legionibus a tergo foret. Nihil ex iis Caesari incognitum: consilia locos, 20
prompta occulta noverat, astusque hostium in pernutiem ipsis vertebat. Seio Tuberoni legato tradit equitem campumque; peditum aciem ita instruxit, ut pars aequo in silvam aditu incederet, pars obiectum aggerem eniteretur; quod arduum sibi, cetera legatis permisit. Quibus plana evenerant, facile inrupere: quis inpugnandus agger, ut si murum succederent,

1 c̃allicae 7 obruere *fortasse* 8 *malim* enisi *(cf. c.* 80: in aequum eniterentur) 11 h̃ora 15 tropaeorum *Gronovius*: tropheorū 17 speties 22 planitię 24 ad .. stitit *(erasae videntur litterae duae)* 26 his *Oberlin* 27 *pernutiem : permitiem 31 plana euenerant *B*: planę uenerant

gravibus superne ictibus conflictabantur. Sensit dux inparem comminus pugnam remotisque paulum legionibus funditores libratoresque excutere tela et proturbare hostem iubet. Missae e tormentis hastae, quantoque conspicui magis propugnatores, tanto pluribus vulneribus deiecti. Primus Caesar cum praetoriis cohortibus capto vallo dedit impetum in silvas; conlato illic gradu certatum. Hostem a tergo palus, Romanos flumen aut montes claudebant: utrisque necessitas
21 in loco, spes in virtute, salus ex victoria. Nec minor Germanis animus, sed genere pugnae et armorum superabantur, cum ingens multitudo artis locis praelongas hastas non protenderet, non colligeret, neque adsultibus et velocitate corporum uteretur, coacta stabile ad proelium: contra miles, cui scutum pectori adpressum et insidens capulo manus, latos barbarorum artus, nuda ora foderet viamque strage hostium aperiret, inprompto iam Arminio ob continua pericula, sive illum recens acceptum vulnus tardaverat. Quin et Inguiomerum, tota volitantem acie, fortuna magis quam virtus deserebat. Et Germanicus quo magis adgnosceretur, detraxerat tegimen capiti orabatque insisterent caedibus: nil opus captivis, solam internicionem gentis finem bello fore. Iamque sero diei subducit ex acie legionem faciendis castris: ceterae ad noctem cruore hostium satiatae sunt. Equites ambigue
22 certavere. Laudatis pro contione victoribus, Caesar congeriem armorum struxit, superbo cum titulo: debellatis inter Rhenum Albimque nationibus exercitum Tiberii Caesaris ea monimenta Marti et Iovi et Augusto sacravisse. De se nihil addidit, metu invidiae an ratus conscientiam facti satis esse. Mox bellum in Angrivarios Stertinio mandat, ni deditionem properavissent. Atque illi supplices nihil abnuendo veniam omnium accepere.

3 libratoresque *B* : libritoresque 16 iam Arminio *B in annot.* : iam ('deest ut arbitror Arminio' *B in margine codicis)* 17 tardauarat 18 fortunã agis 21 internicionem *Halm* : internitionenem (internitionem *B*, internecionem *alii)* 24 congerie marmorum *pr* 25 cumtitulo 26 monimenta *L* : munimenta 27 marti *B* : marii 28 facti *Aldus* : factis 29 agriuarios 31 accipere *pr*

Sed aestate iam adulta legionum aliae itinere terrestri 23
in hibernacula remissae; plures Caesar classi impositas per flumen Amisiam Oceano invexit. Ac primo placidum aequor mille navium remis strepere aut velis inpelli: mox atro nubium globo effusa grando, simul variis undique procellis incerti fluctus prospectum adimere, regimen inpedire; milesque pavidus et casuum maris ignarus dum turbat nautas vel intempestive iuvat, officia prudentium corrumpebat. Omne dehinc caelum et mare omne in austrum cessit, qui tumidis Germaniae terris, profundis amnibus, immenso nubium tractu validus, et rigore vicini septentrionis horridior, rapuit disiecitque naves in aperta Oceani aut insulas saxis abruptis vel per occulta vada infestas. Quibus paulum aegreque vitatis, postquam mutabat aestus eodemque quo ventus ferebat, non adhaerere anchoris, non exhaurire inrumpentis undas poterant: equi iumenta sarcinae, etiam arma praecipitantur, quo levarentur alvei, manantes per latera et fluctu superurgente. Quanto violentior cetero mari Oceanus et truculentia caeli 24
praestat Germania, tantum illa clades novitate et magnitudine excessit, hostilibus circum litoribus aut *mari* ita vasto et profundo, ut credatur novissimum ac sine terris [mare]. Pars navium haustae sunt, plures aput insulas longius sitas eiectae; milesque nullo illic hominum cultu fame absumptus, nisi quos corpora equorum eodem elisa toleraverant. Sola Germanici triremis Chaucorum terram adpulit; quem per omnes illos dies noctesque aput scopulos et prominentis oras, cum se tanti exitii reum clamitaret, vix cohibuere amici quo minus eodem mari oppeteret. Tandem relabente aestu et secundante vento claudae naves raro remigio aut intentis vestibus, et quaedam a validioribus tractae, revertere; quas raptim refectas misit ut scrutarentur insulas. Collecti ea cura plerique: multos Angrivarii nuper in fidem accepti redemptos ab interioribus reddidere; quidam in Bri-

1 aestate *B* : aegestate 3 primo 7 cassuum 9 humidis *R* 15 ancoris *edd. recentiores* 18 truculentia *Frobeniana a.* 1519 : truculentia 20 *mari ita : ita 21 * [mare] (mari *Gronovius*) 25 germanice 30 tracte

tanniam rapti et remissi a regulis. Vt quis ex longinquo revenerat, miracula narrabant, vim turbinum et inauditas volucres, monstra maris, ambiguas hominum et beluarum formas, visa sive ex metu credita.

25 Sed fama classis amissae ut Germanos ad spem belli, ita Caesarem ad coercendum erexit. C. Silio cum triginta peditum, tribus equitum milibus ire in Chattos imperat; ipse maioribus copiis Marsos inrumpit, quorum dux Mallovendus, nuper in deditionem acceptus, propinquo luco defossam Varianae legionis aquilam modico praesidio servari indicat. Missa extemplo manus quae hostem a fronte eliceret, alii qui terga circumgressi recluderent humum; et utrisque adfuit fortuna. Eo promptior Caesar pergit introrsus, populatur, excindit non ausum congredi hostem aut, sicubi restiterat, statim pulsum nec umquam magis, ut ex captivis cognitum est, paventem. Quippe invictos et nullis casibus superabiles Romanos praedicabant, qui perdita classe, amissis armis, post constrata equorum virorumque corporibus litora eadem vir-

26 tute, pari ferocia et velut aucti numero inrupissent. Reductus inde in hiberna miles, laetus animi quod adversa maris expeditione prospera pensavisset. Addidit munificentiam Caesar, quantum quis damni professus erat, exsolvendo. Nec dubium habebatur labare hostes petendaeque pacis consilia sumere et, si proxima aestas adiceretur, posse bellum patrari. Sed crebris epistulis Tiberius monebat, rediret ad decretum triumphum; satis iam eventuum, satis casuum. Prospera illi et magna proelia: eorum quoque meminisset quae venti et fluctus, nulla ducis culpa, gravia tamen et saeva damna intulissent. Se novies a divo Augusto in Germaniam missum plura consilio quam vi perfecisse. Sic Sugambros in deditionem acceptos, sic Suebos regemque Maroboduum pace obstrictum. Posse et Cheruscos ceterasque rebellium gentes, quoniam Romanae ultioni consultum sit, internis discordiis

1 remissi a regulis *B* : remissa regulis Vtquis exlonginquo 8 mallo uendus 9 luco *L* : loco 11 extemplo *B* : exemplo eliceret *B* : eligeret 16 cassibus 20 hiberna *B in annot.* : hiona 29 adiuo 30 consilia 31 suebos regem quẽ aroboduum 33 quõ (quando *B)* sit *Otto* : est (esset *Muretus)*

relinqui. Precante Germanico annum efficiendis coeptis, acrius modestiam eius adgreditur alterum consulatum offerendo, cuius munia praesens obiret. Simul adnectebat, si foret adhuc bellandum, relinqueret materiem Drusi fratris gloriae, qui nullo tum alio hoste non nisi aput Germanias adsequi nomen imperatorium et deportare lauream posset. Haud cunctatus est ultra Germanicus, quamquam fingi ea seque per invidiam parto iam decori abstrahi intellegeret.

Sub idem tempus e familia Scriboniorum Libo Drusus 27 defertur moliri res novas. Eius negotii initium ordinem finem curatius disseram, quia tum primum reperta sunt quae per tot annos rem publicam exedere. Firmius Catus senator, ex intima Libonis amicitia, iuvenem inprovidum et facilem inanibus ad Chaldaeorum promissa, magorum sacra, somniorum etiam interpretes impulit, dum proavum Pompeium, amitam Scriboniam, quae quondam Augusti coniunx fuerat, consobrinum Caesaris, plenam imaginibus domum ostentat, hortaturque ad luxum et aes alienum, socius libidinum et necessitatum, quo pluribus indiciis inligaret. Vt satis testium et qui servi 28 eadem noscerent repperit, aditum ad principem postulat, demonstrato crimine et reo per Flaccum Vesculariun, equitem Romanum, cui propior cum Tiberio usus erat. Caesar indicium haud aspernatus congressus abnuit: posse enim eodem Flacco internuntio sermonem commeare. Atque interim Libonem ornat praetura, convictibus adhibet, non vultu alienatus, non verbis commotior (adeo iram condiderat); cunctaque eius dicta factaque, cum prohibere posset, scire malebat, donec Iunius quidam, temptatus ut infernas umbras carminibus eliceret, ad Fulcinium Trionem indicium detulit. Celebre inter accusatores Trionis ingenium erat avidumque famae malae. Statim corripit reum, adit consules, cognitionem senatus poscit. Et vocantur patres, addito consultandum super re magna

1 praecante germanicos 7 seq; *B* : sequi *pr* 11 tum *B* : dum 16 *consobrinum Caesaris : consobrinus caesaris (consobrinos Caesares *R)* 21 crimine *B* : crimini 22 proprior 24 *sermonem : sermone (sermones *R, non B, ut narrat Baiter)* 26 commocior 27 mallebat 30 accussatores triones fame 32 rem agna

29 et atroci. Libo interim veste mutata cum primoribus feminis circumire domos, orare adfines, vocem adversum pericula poscere, abnuentibus cunctis, cum diversa praetenderent, eadem formidine. Die senatus metu et aegritudine fessus, sive, ut tradidere quidam, simulato morbo, lectica delatus ad fores curiae innisusque fratri et manus ac supplices voces ad Tiberium tendens immoto eius vultu excipitur. Mox libellos et auctores recitat Caesar, ita moderans ne lenire neve
30 asperare crimina videretur. Accesserant praeter Trionem et Catum accusatores Fonteius Agrippa et C. Vibius, certabantque cui ius perorandi in reum daretur, donec Vibius, quia nec ipsi inter se concederent et Libo sine patrono introisset, singillatim se crimina obiecturum professus, protulit libellos vecordes adeo, ut consultaverit Libo, an habiturus foret opes quis viam Appiam Brundisium usque pecunia operiret. Inerant et alia huiuscemodi, stolida vana, si mollius acciperes, miseranda. Vni tamen libello manu Libonis nominibus Caesarum aut senatorum additas atroces vel occultas notas accusator arguebat. Negante reo, non adgnoscentes servos per tormenta interrogari placuit. Et quia vetere senatus consulto quaestio in caput domini prohibebatur, callidus et novi iuris repertor Tiberius mancipari singulos actori publico iubet, scilicet ut in Libonem ex servis salvo senatus consulto quaereretur. Ob quae posterum diem reus petivit domumque digressus extremas preces P. Quirinio, propinquo suo, ad
31 principem mandavit. Responsum est ut senatum rogaret. Cingebatur interim milite domus, strepebant etiam in vestibulo, ut audiri, ut aspici possent, cum Libo ipsis, quas in novissimam voluptatem adhibuerat, epulis excruciatus vocare percussorem, prensare servorum dextras, inserere gladium. Atque illis, dum trepidant, dum refugiunt, evertentibus adposita in mensa lumen, feralibus iam sibi tenebris duos ictus

6 suplices 9 **asperare** *R*: asperari 10 Vibius *Gruter ex* 4 28 *et* 29: liuius 12 ipsi *B*: ipse 14 uecordes *(cf. ad* 1 32) 19 *non adgnoscentes: adgnonoscentes (adgnoscentes *vulgo)* 20 interrogari *L*: interrogare 21 questio prohibebantur 24 obq̄; *(linea a rc. m.)* 25 Quirino *B* 28 possent *R*: possint 32 *adposita in: adpositũ (**adpositum** in *Groslotius*, adpositum cum *ego in ed. Cantabr.)*

in viscera derexit. Ad gemitum conlabentis adcurrere liberti, et caede visa miles abstitit. Accusatio tamen aput patres adseveratione eadem peracta, iuravitque Tiberius petiturum se vitam quamvis nocenti, nisi voluntariam mortem properavisset. Bona inter accusatores dividuntur, et praeturae extra 32
ordinem datae iis qui senatorii ordinis erant. Tunc Cotta Messalinus, ne imago Libonis exsequias posterorum comitaretur, censuit, Cn. Lentulus, nequis Scribonius cognomentum Drusi adsumeret. Supplicationum dies Pomponii Flacci sententia constituti: at dona Iovi Marti Concordiae, utque iduum Septembrium dies, quo se Libo interfecerat, dies festus haberetur, L. Piso et Gallus Asinius et Papius Mutilus et L. Apronius decrevere; quorum auctoritates adulationesque rettuli, ut sciretur vetus id in re publica malum. Facta et de mathematicis magisque Italia pellendis senatus consulta; quorum e numero L. Pituanius saxo deiectus est, in P. Marcium consules extra portam Esquilinam, cum classicum canere iussissent, more prisco advertere.

Proximo senatus die multa in luxum civitatis dicta a 33
Q. Haterio consulari, Octavio Frontone praetura functo; decretumque ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent, ne vestis Serica viros foedaret. Excessit Fronto ac postulavit modum argento, supellectili, familiae: erat quippe adhuc frequens senatoribus, siquid e re publica crederent, loco sententiae promere. Contra Gallus Asinius disseruit: auctu imperii adolevisse etiam privatas opes, idque non novum, sed e vetustissimis moribus: aliam apud Fabricios, aliam aput Scipiones pecuniam; et cuncta ad rem publicam referri, qua tenui angustas civium domos, postquam eo magnificentiae venerit, gliscere singulos. Neque in familia et ar-

1 derexit 2 cede abstitit *L* : adstitit 5 accussatores praeture 6 iis *Bekker* : his 8 ·C· N· 10 *at dona : ut dona (dona *Freinsheim*) Concordiae *B* : cordię 11 septrium 12 L. Piso *Gronovius* : ·L· *P*· Gallus *B* : galius 16 deiectus *B* : delectus 21 neu estis 22 Serica *R* : sirica 24 siquid, *mox* si quit 26 adoleuisse *B* : adoleuisset 28 scipionis 29 manificentiae

gento, quaeque *alia* ad usum parentur, nimium aliquid aut modicum nisi ex fortuna possidentis. Distinctos senatus et equitum census, non quia diversi natura, sed ut, sicut locis ordinibus dignationibus antistent, ita iis quae ad requiem animi aut salubritatem corporum parentur, nisi forte clarissimo cuique plures curas, maiora pericula subeunda, delenimentis curarum et periculorum carendum esse. Facilem adsensum Gallo sub nominibus honestis confessio vitiorum et similitudo audientium dedit. Adiecerat et Tiberius non id tempus censurae nec, si quid in moribus labaret, defutu-
34 rum corrigendi auctorem. Inter quae L. Piso ambitum fori, corrupta iudicia, saevitiam oratorum accusationes minitantium increpans, abire se et cedere urbe, victurum in aliquo abdito et longinquo rure testabatur; simul curiam relinquebat. Commotus est Tiberius, et quamquam mitibus verbis Pisonem permulsisset, propinquos quoque eius impulit ut abeuntem auctoritate vel precibus tenerent. Haud minus liberi doloris documentum idem Piso mox dedit vocata in ius Vrgulania, quam supra leges amicitia Augustae extulerat. Nec aut Vrgulania obtemperavit, in domum Caesaris spreto Pisone vecta, aut ille abscessit, quamquam Augusta se violari et imminui quereretur. Tiberius hactenus indulgere matri civile ratus, ut se iturum ad praetoris tribunal, adfuturum Vrgulaniae diceret, processit Palatio, procul sequi iussis militibus. Spectabatur occursante populo compositus ore, et sermonibus variis tempus atque iter ducens, donec propinquis Pisonem frustra coercentibus deferri Augusta pecuniam, quae petebatur, iuberet. Isque finis rei, ex qua neque Piso inglorius et Caesar maiore fama fuit. Ceterum Vrgulaniae potentia adeo nimia civitati erat, ut testis in causa quadam, quae aput senatum tractabatur, venire dedignaretur; missus est praetor qui domi interrogaret, cum virgines Vestales in.

1 *alia ad usum : adusum aliquit 3 ut, sicut *Vrlichs* : ut (ut qui *Nipperdey)* 4 ita iis *Alex. Ruperti* : . Talis (ita aliis *Pichena*, et aliis *Grotius)* 11 Piso *B* : ipso fori *R* : fore 12 seuitiam 21 ille *B* : illi abscessit *Iac. Gronovius* : abscissit (abstitit *Aldus)* 23 praetoriis *pr* 25 occursane *(sic) pr* 29 caeterum

foro et iudicio audiri, quotiens testimonium dicerent, vetus mos fuerit.

Res eo anno prolatas haud referrem, ni pretium foret 35
Cn. Pisonis et Asinii Galli super eo negotio diversas sententias noscere. Piso, quamquam afuturum se dixerat Caesar, ob id magis agendas censebat, ut absente principe senatum et equites posse sua munia sustinere decorum rei publicae foret. Gallus, quia speciem libertatis Piso praeceperat, nihil satis inlustre aut ex dignitate populi Romani nisi coram et sub oculis Caesaris, eoque conventum Italiae et adfluentis provincias praesentiae eius servanda dicebat. Audiente haec Tiberio ac silente magnis utrimque contentionibus acta, sed res dilatae.

Et certamen Gallo adversus Caesarem exortum est. Nam 36
censuit in quinquennium magistratuum comitia habenda, utque legionum legati, qui ante praeturam ea militia fungebantur, iam tum praetores destinarentur, princeps duodecim candidatos in annos singulos nominaret. Hau dubium erat eam sententiam altius penetrare et arcana imperii temptari. Tiberius tamen, quasi augeretur potestas eius, disseruit: grave moderationi suae tot eligere, tot differre. Vix per singulos annos offensiones vitari, quamvis repulsam propinqua spes soletur: quantum odii fore ab iis qui ultra quinquennium proiciantur? Vnde prospici posse quae cuique tam longo temporis spatio mens domus fortuna? superbire homines etiam annua designatione: quid si honorum .. per quinquennium agitent? quinquiplicari prorsus magistratus, subverti leges, quae sua spatia exercendae candidatorum industriae quaerendisque aut potiundis honoribus statuerint. Favorabili in speciem oratione vim imperii tenuit.

Censusque quorundam senatorum iuvit. Quo magis mi- 37
rum fuit, quod preces Marci Hortali, nobilis iuvenis, in paupertate manifesta superbius accepisset. Nepos erat oratoris

1 iudicii^{o} 4 ·C· N· 6 ut—foret] et—fore *Iac. Gronovius* 8 spetiem 9 tignitate ·R· 10 Italiae et *B* : italia et ei 17 dum^{t} 18 haudubium 19 pẹnetrare 20 augeretur *B in annot.* : auretur 26 *honorum .. : honorum (honorem *L*, *expleo* honorum speciem) 28 spacia 31 quo *R* : quod

Hortensii, inlectus a divo Augusto liberalitate decies sestertii ducere uxorem, suscipere liberos, ne clarissima familia extingueretur. Igitur quattuor filiis ante limen curiae adstantibus, loco sententiae, cum in Palatio senatus haberetur, modo Hortensii inter oratores sitam imaginem, modo Augusti intuens, ad hunc modum coepit: 'patres conscripti, hos, quorum numerum et pueritiam videtis, non sponte sustuli, sed quia princeps monebat; simul maiores mei meruerant ut posteros haberent. Nam ego, qui non pecuniam, non studia populi neque eloquentiam, gentile domus nostrae bonum, varietate temporum accipere vel parare potui, sed satis habebam, si tenues res meae nec mihi pudori nec cuiquam oneri forent, iussus ab imperatore uxorem duxi. En stirps et progenies tot consulum, tot dictatorum. Nec ad invidiam ista, sed conciliandae misericordiae refero. Adsequentur florente te, Caesar, quos dederis honores: interim Q. Hortensii pronepotes,
38 divi Augusti alumnos ab inopia defende.' Inclinatio senatus incitamentum Tiberio fuit quo promptius adversaretur, his ferme verbis usus: 'si quantum pauperum est venire huc et liberis suis petere pecunias coeperint, singuli numquam exsatiabuntur, res publica deficiet. Nec sane ideo a maioribus concessum est egredi aliquando relationem et quod in commune conducat loco sententiae proferre, ut privata negotia et res familiares nostras hic augeamus, cum invidia senatus et principum, sive indulserint largitionem sive abnuerint. Non enim preces sunt istud, sed efflagitatio, intempestiva quidem et inprovisa, cum aliis de rebus convenerint patres, consurgere et numero atque aetate liberum suorum urgere modestiam senatus, eandem vim in me transmittere ac velut perfringere aerarium, quod si ambitione exhauserimus, per scelera supplendum erit. Dedit tibi, Hortale, divus Augustus

5 imagine^{m} 7 nemerũ et pu ritiam 11 *potui, sed : potuissem 12 forent, iussus] forent . iussus *vulgo* 15 ab^{d}sequentur 16 interim Q. Hortensii *B* : interimq; hortensq; 18 tiberio q fuit *pr* promcius^{pt} 20 peccunias exsaciabuntur 22 egrendi 25 abnuerint *B* : abnuerunt *(u alterum in rasura)* 26 istut (istuc *B)* 29 transmittere *margo* : transme|rei 30 ambitione *B* : ambitionem *pr*

pecuniam, sed non conpellatus nec ea lege ut semper daretur. Languescet alioqui industria, intendetur socordia, si nullus ex se metus aut spes, et securi omnes aliena subsidia expectabunt, sibi ignavi, nobis graves.' Haec atque talia, quamquam cum adsensu audita ab iis, quibus omnia principum, honesta atque inhonesta, laudare mos est, plures per silentium aut occultum murmur excepere. Sensitque Tiberius; et cum paulum reticuisset, Hortalo se respondisse ait: ceterum si patribus videretur, daturum liberis eius ducena sestertia singulis, qui sexus virilis essent. Egere alii grates: siluit Hortalus, pavore an avitae nobilitatis etiam inter angustias fortunae retinens. Neque miseratus est posthac Tiberius, quamvis domus Hortensii pudendam ad inopiam delaberetur.

Eodem anno mancipii unius audacia, ni mature subven- 39
tum foret, discordiis armisque civilibus rem publicam perculisset. Postumi Agrippae servus, nomine Clemens, conperto fine Augusti pergere in insulam Planasiam et fraude aut vi raptum Agrippam ferre ad exercitus Germanicos non servili animo concepit. Ausa eius inpedivit tarditas onerariae navis; atque interim patrata caede ad maiora et magis praecipitia conversus furatur cineres, vectusque Cosam, Etruriae promuntorium, ignotis locis sese abdit, donec crinem barbamque promitteret: nam aetate et forma haut dissimili in dominum erat. Tum per idoneos et secreti eius socios crebrescit vivere Agrippam, occultis primum sermonibus, ut vetita solent, mox vago rumore aput inperitissimi cuiusque promptas aures aut rursum aput turbidos eoque nova cupientes. Atque ipse adire municipia obscuro diei, neque propalam aspici neque diutius isdem locis, sed quia veritas visu et mora, falsa festinatione

2 alio qui 6 honesta *B*: ad nesta 7 excipere 11 Hortalus] *postr. syllaba est in rasura* pauare 12 post hac 13 delaberetur *Ernesti*: dilabaretur 14 audatia nematurę 18 frude autuir aptum 21 patrata *R*: parata caedę precipitia 22 Cosam *L*: coram promunturium (*idem* 4 67 promuntirii, 6 56 promunturium, *alter* 14 4 promuntorium, 15 46 promunturium) 26 sermonibus *B*: sermonilius 27 uagorum ore promtas 30 festimatione

et incertis valescunt, relinquebat famam aut praeveniebat. Vulgabatur interim per Italiam servatum munere deum Agrippam, credebatur Romae; iamque Ostiam invectum multitudo ingens, iam in urbe clandestini coetus celebrabant, cum Tiberium anceps cura distrahere, vine militum servum suum coerceret an inanem credulitatem tempore ipso vanescere sineret: modo nihil spernendum, modo non omnia metuenda ambiguus pudoris ac metus reputabat. Postremo dat negotium Sallustio Crispo. Ille e clientibus duos (quidam milites fuisse tradunt) deligit atque hortatur, simulata conscientia adeant, offerant pecuniam, fidem atque pericula polliceantur. Exsequuntur ut iussum erat. Dein speculati noctem incustoditam, accepta idonea manu, vinctum, clauso ore, in Palatium traxere. Percunctanti Tiberio, quo modo Agrippa factus esset, respondisse fertur 'quo modo tu Caesar.' Vt ederet socios subigi non potuit. Nec Tiberius poenam eius palam ausus in secreta Palatii parte interfici iussit corpusque clam auferri. Et quamquam multi e domo principis equitesque ac senatores sustentasse opibus iuvisse consiliis dicerentur, haud quaesitum.

41 Fine anni arcus propter aedem Saturni ob recepta signa cum Varo amissa ductu Germanici, auspiciis Tiberii, et aedes Fortis Fortunae Tiberim iuxta in hortis, quos Caesar dictator populo Romano legaverat, sacrarium genti Iuliae effigiesque divo Augusto aput Bovillas dicantur.

C. Caelio L. Pomponio consulibus Germanicus Caesar a. d. VII. Kal. Iunias triumphavit de Cheruscis Chattisque et Angrivariis, quaeque aliae nationes usque ad Albim colunt. Vecta spolia, captivi, simulacra montium fluminum proeliorum; bellumque, quia conficere prohibitus erat, pro confecto accipiebatur. Augebat intuentium visus eximia ipsius species currusque quinque liberis onustus. Sed suberat occulta for-

4 coetus *B* : catus 6 uanescere *B* : uanesceret 7 spernemdum 9 cilentibus 10 diligit 11 adeant *B* : aderant 13 finctum 16 penam 21 aedem Saturni ob rec. *B* : edem saturnio praecepta 23 fortes 26 Caecilio *Vertranius* cōs 27 a. d. *L* : ad K (= *kalendas*) cattisq;

mido reputantibus haud prosperum in Druso, patre eius, favorem vulgi, avunculum eiusdem Marcellum flagrantibus plebis studiis intra iuventam ereptum, breves et infaustos populi Romani amores.

Ceterum Tiberius nomine Germanici trecenos plebi 42
sestertios viritim dedit seque collegam consulatui eius destinavit. Nec ideo sincerae caritatis fidem adsecutus amoliri iuvenem specie honoris statuit, struxitque causas aut forte oblatas arripuit. Rex Archelaus quinquagesimum annum Cappadocia potiebatur, invisus Tiberio, quod eum Rhodi agentem nullo officio coluisset. Nec id Archelaus per superbiam omiserat, sed ab intimis Augusti monitus, quia florente C. Caesare missoque ad res Orientis intuta Tiberii amicitia credebatur. Vt versa Caesarum subole imperium adeptus est, elicit Archelaum matris litteris, quae non dissimulatis filii offensionibus clementiam offerebat, si ad precandum veniret. Ille ignarus doli vel, si intellegere crederetur, vim metuens in urbem properat; exceptusque immiti a principe et mox accusatus in senatu, non ob crimina quae fingebantur, set angore, simul fessus senio et quia regibus aequa, nedum infima insolita sunt, finem vitae, sponte an fato, implevit. Regnum in provinciam redactum est, fructibusque eius levari posse centesimae vectigal professus Caesar ducentesimam in posterum statuit. Per idem tempus Antiocho Commagenorum, Philopatore Cilicum regibus defunctis turbabantur nationes, plerisque Romanum, aliis regium imperium cupientibus; et provinciae Syria atque Iudaea, fessae oneribus, deminutionem tributi orabant. Igitur haec, et de Armenia 43
quae supra memoravi, aput patres disseruit, nec posse motum Orientem nisi Germanici sapientia conponi: nam suam aetatem vergere, Drusi nondum satis adolevisse. Tunc decreto patrum permissae Germanico provinciae quae mari dividuntur, maiusque imperium, quoquo adisset, quam iis qui sorte aut missu principis obtinerent. Sed Tiberius demoverat Syria Creticum Silanum, per adfinitatem conexum

10 pociebatur 17 ignarus *R*: gnarus 20 nedum *B*: nudum 23 ducentisimam 27 deminutionem

Germanico, quia Silani filia Neroni, vetustissimo liberorum eius, pacta erat, praefeceratque Cn. Pisonem, ingenio violentum et obsequii ignarum, insita ferocia a patre Pisone, qui civili bello resurgentes in Africa partes acerrimo ministerio adversus Caesarem iuvit, mox Brutum et Cassium secutus, concesso reditu, petitione honorum abstinuit, donec ultro ambiretur delatum ab Augusto consulatum accipere. Sed praeter paternos spiritus uxoris quoque Plancinae nobilitate et opibus accendebatur; vix Tiberio concedere, liberos eius ut multum infra despectare. Nec dubium habebat se delectum, qui Syriae imponeretur ad spes Germanici coercendas. Credidere quidam data et a Tiberio occulta mandata; et Plancinam haud dubie Augusta monuit, aemulatione muliebri Agrippinam insectando. Divisa namque et discors aula erat tacitis in Drusum aut Germanicum studiis. Tiberius ut proprium et sui sanguinis Drusum fovebat: Germanico alienatio patrui amorem aput ceteros auxerat, et quia claritudine materni generis anteibat, avum M. Antonium, avunculum Augustum ferens. Contra Druso proavus eques Romanus Pomponius Atticus dedecere Claudiorum imagines videbatur: et coniunx Germanici Agrippina fecunditate ac fama Liviam, uxorem Drusi, praecellebat. Sed fratres egregie concordes et proximorum certaminibus inconcussi.

44 Nec multo post Drusus in Illyricum missus est, ut suesceret militiae studiaque exercitus pararet; simul iuvenem urbano luxu lascivientem melius in castris haberi Tiberius seque tutiorem rebatur utroque filio legiones obtinente. Sed Suebi praetendebantur auxilium adversus Cheruscos orantes; nam discessu Romanorum ac vacui externo metu, gentis adsuetudine et tum aemulatione gloriae, arma in se verterant. Vis nationum, virtus ducum in aequo; set Maroboduum regis nomen invisum aput populares, Arminium pro libertate
45 bellantem favor habebat. Igitur non modo Cherusci sociique

2 C· N· 4 affrica 11 cohercendas 14 *insectando : insectandi (insectans *Madvig ep. crit ad Or. p.* 80*)* 18 materni *R* : mater 21 famã 22 precellebat 29 orantes *B* : orantentes 31 aequo : sed *R* : aequos et 33 pellantem Cherusci *Frobeniana a.* 1519 : cheruscis

eorum, vetus Arminii miles, sumpsere bellum, sed e regno etiam Marobodui Suebae gentes, Semnones ac Langobardi, defecere ad eum. Quibus additis praepollebat, ni Inguiomerus cum manu clientium ad Maroboduum perfugisset, non aliam ob causam quam quia fratris filio iuveni patruus senex parere dedignabatur. Deriguntur acies, pari utrimque spe, nec, ut olim apud Germanos, vagis incursibus aut disiectas per catervas: quippe longa adversum nos militia insueverant sequi signa, subsidiis firmari, dicta imperatorum accipere. Ac tunc Arminius equo conlustrans cuncta, ut quosque advectus erat, reciperatam libertatem, trucidatas legiones, spolia adhuc et tela Romanis derepta in manibus multorum ostentabat; contra fugacem Maroboduum appellans, proeliorum expertem, Hercyniae latebris defensum; ac mox per dona et legationes petivisse foedus; proditorem patriae, satellitem Caesaris, haud minus infensis animis exturbandum quam Varum Quintilium interfecerint. Meminissent modo tot proeliorum, quorum eventu et ad postremum eiectis Romanis satis probatum, penes utros summa belli fuerit. Ne- 46
que Maroboduus iactantia sui aut probris in hostem abstinebat, sed Inguiomerum tenens illo in corpore decus omne Cheruscorum, illius consiliis gesta quae prospere ceciderint testabatur: vecordem Arminium et rerum nescium alienam gloriam in se trahere, quoniam tres vacuas legiones et ducem fraudis ignarum perfidia deceperit, magna cum clade Germaniae et ignominia sua, cum coniunx, cum filius eius servitium adhuc tolerent. At se duodecim legionibus petitum duce Tiberio inlibatam Germanorum gloriam servavisse, mox conditionibus aequis discessum; neque poenitere quod ipsorum in manu sit, integrum adversum Romanos bellum an pacem incruentam malint. His vocibus instinctos exercitus propriae quoque causae stimulabant, cum a Cheruscis Langobardisque pro antiquo decore aut recenti libertate et

2 *fortasse* Suebicae, *ut G.* 45 6 diriguntur *B* 8 per cateruas *B*: pec teruas 18 eiectis *B*: electis 21 omne *B*: oms (omne esse *Halm)* 22 caeciderint 23 vae cordem *(cf. ad* 1 32) 26 ignomina filius *B*: filios 27 At se *B*: Atsi 29 condicionibus penitere 32 cause 33 recenti *L*: recente

contra augendae dominationi certaretur. Non alias maiore mole concursum neque ambiguo magis eventu, fusis utrimque dextris cornibus; sperabaturque rursum pugna, ni Maroboduus castra in colles subduxisset. Id signum perculsi fuit; et transfugiis paulatim nudatus in Marcomanos concessit, misitque legatos ad Tiberium oraturos auxilia. Responsum est non iure eum adversus Cheruscos arma Romana invocare, qui pugnantis in eundem hostem Romanos nulla ope iuvisset. Missus tamen Drusus, ut rettulimus, paci firmator.

47 Eodem anno duodecim celebres Asiae urbes conlapsae nocturno motu terrae, quo inprovisior graviorque pestis fuit. Neque solitum in tali casu effugium subveniebat, in aperta prorumpendi, quia diductis terris hauriebantur. Sedisse immensos montes, visa in arduo quae plana fuerint, effulsisse inter ruinam ignes memorant. Asperrima in Sardianos lues plurimum in eosdem misericordiae traxit: nam centies sestertium pollicitus Caesar, et quantum aerario aut fisco pendebant, in quinquennium remisit. Magnetes a Sipylo proximi damno ac remedio habiti. Temnios, Philadelphenos, Aegeatas, Apollonidenses, quique Mosteni aut Macedones Hyrcani vocantur, et Hierocaesariam, Myrinam, Cymen, Tmolum levari idem in tempus tributis, mittique ex senatu placuit qui praesentia spectaret refoveretque. Delectus est M. Aletius e praetoriis, ne consulari obtinente Asiam aemulatio inter pares et ex eo impedimentum oreretur.

48 Magnificam in publicum largitionem auxit Caesar haud minus grata liberalitate, quod bona Aemiliae Musae, locupletis intestatae, petita in fiscum Aemilio Lepido, cuius e domo videbatur, et .. Pantulei, divitis equitis Romani, hereditatem, quamquam ipse heres in parte legeretur, tradidit M. Servilio, quem prioribus neque suspectis tabulis scriptum com-

3 ni Marob. *B* : nemaroboduus 5 marcomannos *(cf.* 2 62, *G.* 42) 7 aduersus *B* : aduerus 9 pacis *B* 12 effigiũ 13 diductis *B* : deductis . 14 enisa in arduom *Heinsius* 18 a Sipylo *B* : asypilo 19 habiti *B* : habit 20 Apollonidenses *sive* Apollonidienses *Ernesti* : apollonienses qui quem osteni 21 hiero caesariã cyment molũ 23 Aletius *Orelli et Borghesi* : aletus 24 e] ·E· 25 oreretur 28 intestate 29 ..*Pantulei : pãtulei (P. Pantulei *vel* T. Pantulei)

pererat, nobilitatem utriusque pecunia iuvandam praefatus. Neque hereditatem cuiusquam adiit nisi cum amicitia meruisset: ignotos et aliis infensos eoque principem nuncupantes procul arcebat. Ceterum ut honestam innocentium paupertatem levavit, ita prodigos et ob flagitia egentes, Vibidium Varronem, Marium Nepotem, Appium Appianum, Cornelium Sullam, Q. Vitellium movit senatu aut sponte cedere passus est.

Isdem temporibus deum aedes vetustate aut igni abo- 49
litas coeptasque ab Augusto dedicavit, Libero Liberaeque et Cereri iuxta Circum maximum, quam A. Postumius dictator voverat, eodemque in loco aedem Florae ab Lucio et Marco Publiciis aedilibus constitutam, et Iano templum, quod aput forum holitorium C. Duilius struxerat, qui primus rem Romanam prospere mari gessit triumphumque navalem de Poenis meruit. Spei aedes a Germanico sacratur: hanc A. Atilius voverat eodem bello.

Adolescebat interea lex maiestatis. Et Appuleiam Va- 50
rillam, sororis Augusti neptem, quia probrosis sermonibus divum Augustum ac Tiberium et matrem eius inlusisset Caesarique conexa adulterio teneretur, maiestatis delator arcessebat. De adulterio satis caveri lege Iulia visum: maiestatis crimen distingui Caesar postulavit damnarique, si qua de Augusto inreligiose dixisset: in se iacta nolle ad cognitionem vocari. Interrogatus a consule, quid de iis censeret quae de matre eius locuta secus argueretur, reticuit; dein proximo senatus die illius quoque nomine oravit, ne cui verba in eam quoquo modo habita crimini forent. Liberavitque Appuleiam lege maiestatis: adulterii graviorem poenam deprecatus, ut exemplo maiorum propinquis suis ultra ducentesimum lapidem removeretur suasit. Adultero .. Manlio Italia atque Africa interdictum est.

1 nobilitatem utriusque *B*: nobilitate utrisque peccunia 7 Sullam, Q. Vitellium *B*: sullamque uitellum 11 quam *L*: quas apostumius (Aulus Posthumius *B*) 12 aedem *B*: aead 14 dullius (*h. e.* Duilius) 16 a *B*: in A. Atilius *Nipperdey*: iatillius 18 Apuleiam *B*, *non Mediceus* Varillam *Furlanetto ap. Forcellinum*: uariliam 29 puleiam (Apuleiam *B*) 31 ..*Manlio : manlio (*fortasse* A. Manlio) 32 affrica, *item c.* 52

51 De praetore in locum Vipstani Galli, quem mors abstulerat, subrogando certamen incessit. Germanicus atque Drusus (nam etiam tum Romae erant) Haterium Agrippam, propinquum Germanici, fovebant: contra plerique nitebantur, ut numerus liberorum in candidatis praepolleret, quod lex iubebat. Laetabatur Tiberius, cum inter filios eius et leges senatus disceptaret. Victa est sine dubio lex, sed neque statim et paucis suffragiis, quomodo etiam cum valerent leges vincebantur.

52 Eodem anno coeptum in Africa bellum, duce hostium Tacfarinate. Is natione Numida, in castris Romanis auxiliaria stipendia meritus, mox desertor, vagos primum et latrociniis suetos ad praedam et raptus congregare, dein more militiae per vexilla et turmas componere, postremo non inconditae turbae sed Musulamiorum dux haberi. Valida ea gens et solitudinibus Africae propinqua, nullo etiam tum urbium cultu, cepit arma Maurosque accolas in bellum traxit: dux et his Mazippa. Divisusque exercitus, ut Tacfarinas lectos viros et Romanum in modum armatos castris attineret, disciplinae et imperiis suesceret, Mazippa levi cum copia incendia et caedes et terrorem circumferret. Conpulerantque Cinithios, haud spernendam nationem, in eadem, cum Furius Camillus, pro consule Africae, legionem et quod sub signis sociorum in unum conductos ad hostem duxit, modicam manum, si multitudinem Numidarum atque Maurorum spectares; sed nihil aeque cavebatur quam ne bellum metu eluderent: spe victoriae inducti sunt ut vincerentur. Igitur legio medio, leves cohortes duaeque alae in cornibus locantur. Nec Tacfarinas pugnam detrectavit. Fusi Numidae, multosque post annos Furio nomini partum decus militiae. Nam post illum recuperatorem urbis filiumque eius Camillum penes alias familias imperatoria laus fuerat; atque hic quem memoramus bellorum expers habebatur. Eo pronior Tiberius res gestas aput

11 auxiliaris *L* 15 Musulamiorum *Bekker*: musula maiorum (Musulamorum *B*) ualida ea gens *B*: ualide agens 18 tac farinas, *item paulo post* 19 disciplinae *Pichena*: disciplina 21 Cinithios *B*: cnitios 22 proconsul *B* 24 *fortasse* conlectos si multitudinem *Frobeniana a.* 1519: si militudinem *(sic;* similitudinem *B)*

senatum celebravit; et decrevere patres triumphalia insignia, quod Camillo ob modestiam vitae impune fuit.

Sequens annus Tiberium tertio, Germanicum iterum 53
consules habuit. Sed eum honorem Germanicus iniit apud p. Ch. 18
urbem Achaiae Nicopolim, quo venerat per Illyricam oram, viso fratre Druso in Delmatia agente, Hadriatici ac mox Ionii maris adversam navigationem perpessus. Igitur paucos dies insumpsit reficiendae classi; simul sinus Actiaca victoria inclutos et sacratas ab Augusto manubias castraque Antonii cum recordatione maiorum suorum adiit. Namque ei, ut memoravi, avunculus Augustus, avus Antonius erant, magnaque illic imago tristium laetorumque. Hinc ventum Athenas, foederique sociae et vetustae urbis datum ut uno lictore uteretur. Excepere Graeci quaesitissimis honoribus, vetera suorum facta dictaque praeferentes, quo plus dignationis adulatio haberet. Petita inde Euboea tramisit Lesbum, ubi 54
Agrippina novissimo partu Iuliam edidit. Tum extrema Asiae Perinthumque ac Byzantium, Thracias urbes, mox Propontidis angustias et os Ponticum intrat, cupidine veteres locos et fama celebratos noscendi; pariterque provincias internis certaminibus aut magistratuum iniuriis fessas refovebat. Atque illum in regressu sacra Samothracum visere nitentem obvii aquilones depulere. Igitur adito Ilio quaeque ibi varietate fortunae et nostri origine veneranda, relegit Asiam adpellitque Colophona, ut Clarii Apollinis oraculo uteretur. Non femina illic, ut aput Delphos, sed certis e familiis et ferme Mileto accitus sacerdos numerum modo consultantium et nomina audit; tum in specum degressus, hausta fontis arcani aqua, ignarus plerumque litterarum et carminum edit responsa versibus conpositis super rebus quas quis mente concepit. Et ferebatur Germanico per ambages, ut mos oraculis, maturum exitium cecinisse. At Cn. Piso, 55
quo properantius destinata inciperet, civitatem Atheniensium

1 insigna 2 camilla impunae 3 tertium *Nipperdey* 5 Nicopolim *B*: nicopolem 9 sacratos 14 excipere (excępere *B)* 18 Byzantium *B*: byiantium 22 samothacum 23 adito Ilio *Sev. Vater (Animadvers. in locos quosd. ex Mid. Demosth. Ien.* 1796): alio 4 uarietatate 25 ad bellitque 26 e] ·E· 32 at Cn.] ·A·T·C·N·

turbido incessu exterritam oratione saeva increpat, oblique Germanicum perstringens, quod contra decus Romani nominis non Athenienses tot cladibus extinctos, sed conluviem illam nationum comitate nimia coluisset: hos enim esse Mithridatis adversus Sullam, Antonii adversus divum Augustum socios. Etiam vetera obiectabat, quae in Macedones inprospere, violenter in suos fecissent, offensus urbi propria quoque ira, quia Theophilum quendam, Areo iudicio falsi damnatum, precibus suis non concederent. Exim navigatione celeri per Cycladas et compendia maris adsequitur Germanicum aput insulam Rhodum, haud nescium quibus insectationibus petitus foret: sed tanta mansuetudine agebat, ut, cum orta tempestas raperet in abrupta possetque interitus inimici ad casum referri, miserit triremis quarum subsidio discrimini eximeretur. Neque tamen mitigatus Piso, et vix diei moram perpessus linquit Germanicum praevenitque. Et postquam Syriam ac legiones attigit, largitione ambitu, infimos manipularium iuvando, cum veteres centuriones, severos tribunos demoveret locaque eorum clientibus suis vel deterrimo cuique attribueret, desidiam in castris, licentiam in urbibus, vagum ac lascivientem per agros militem sineret, eo usque corruptionis provectus est, ut sermone vulgi parens legionum haberetur. Nec Plancina se intra decora feminis tenebat, sed exercitio equitum, decursibus cohortium interesse, in Agrippinam, in Germanicum contumelias iacere, quibusdam etiam bonorum militum ad mala obsequia promptis, quod haud invito imperatore ea fieri occultus rumor incedebat. Nota haec Germanico, sed praeverti ad Armenios instantior cura fuit.

56 Ambigua gens ea antiquitus hominum ingeniis et situ terrarum, quoniam nostris provinciis late praetenta penitus ad Medos porrigitur; maximisque imperiis interiecti et saepius discordes sunt, adversus Romanos odio et in Parthum invidia. Regem illa tempestate non habebant, amoto Vonone: sed favor nationis inclinabat in Zenonem, Polĕmonis regis

3 conluuiem illam *B*: conluuie miliam 7 suos *B*: suo 9 praecibus 27 inperatore 28 incedebat *L*: incidebat 30 et *Pichena*: sed *(sic)* 31 quō laete

Pontici filium, quod is prima ab infantia instituta et cultum Armeniorum aemulatus, venatu epulis, et quae alia barbari celebrant, proceres plebemque iuxta devinxerat. Igitur Germanicus in urbe Artaxata, adprobantibus nobilibus, circumfusa multitudine, insigne regium capiti eius imposuit. Ceteri venerantes regem Artaxiam consalutavere, quod illi vocabulum indiderant ex nomine urbis. At Cappadoces in formam provinciae redacti Q. Veranium legatum accepere; et quaedam ex regiis tributis deminuta, quo mitius Romanum imperium sperarentur. Commagenis Q. Servaeus praeponitur, tum primum ad ius praetoris translatis. Cunctaque socialia 57
prospere composita non ideo laetum Germanicum habebant ob superbiam Pisonis, qui iussus partem legionum ipse aut per filium in Armeniam ducere utrumque neglexerat. Cyrri demum aput hiberna decumae legionis convenere, firmato vultu, Piso adversus metum, Germanicus, ne minari crederetur; et erat, ut rettuli, clementior. Sed amici accendendis offensionibus callidi intendere vera, adgerere falsa, ipsumque et Plancinam et filium variis modis criminari. Postremo paucis familiarium adhibitis sermo coeptus a Caesare, qualem ira et dissimulatio gignit, responsum a Pisone precibus contumacibus: discesseruntque apertis odiis. Post quae rarus in tribunali Caesaris Piso, et si quando adsideret, atrox ac dissentire manifestus. Vox quoque eius audita est in convivio, cum aput regem Nabataeorum coronae aureae magno pondere Caesari et Agrippinae, leves Pisoni et ceteris offerrentur, principis Romani, non Parthi regis filio eas epulas dari; abiecitque simul coronam et multa in luxum addidit, quae Germanico, quamquam acerba, tolerabantur tamen. Inter quae ab rege Parthorum Artabano legati venere. 58
Miserat amicitiam ac foedus memoraturos, et cupere renovari dextras, daturumque honori Germanici ut ripam Euphra-

3 germanicos (u) 5 insigne *B*: In segne 10 Seruaeus *L ex* 3 13, 6 13 : seruaeius 14 Cyrrhi *Brotier* 15 conuenere *R* : conuenire 14 filium *L* : filios *(est vitium assimilando natum)* 21 praecibus 22 discesseruntque *Pichena* : discesserantque apertis *L* : opertis post ·ae *Muretus* : postque 23 siquando 26 offerentur 30 uenire (c) ·t cuperere nouari (cupere nouari *Nipperdey)*

tis accederet: petere interim ne Vonones in Syria haberetur, neu proceres gentium propinquis nuntiis ad discordias traheret. Ad ea Germanicus de societate Romanorum Parthorumque magnifice, de adventu regis et cultu sui cum decore ac modestia respondit. Vonones Pompeiopolim, Ciliciae maritimam urbem, amotus est. Datum id non modo precibus Artabani sed contumeliae Pisonis, cui gratissimus erat ob plurima officia et dona, quibus Plancinam devinxerat.

59 M. Silano L. Norbano consulibus Germanicus Aegyptum proficiscitur cognoscendae antiquitatis. Sed cura provinciae praetendebatur, levavitque apertis horreis pretia frugum, multaque in vulgus grata usurpavit: sine milite incedere, pedibus intectis et pari cum Graecis amictu, P. Scipionis aemulatione, quem eadem factitavisse aput Siciliam, quamvis flagrante adhuc Poenorum bello, accepimus. Tiberius cultu habituque eius lenibus verbis perstricto, acerrime increpuit quod contra instituta Augusti non sponte principis Alexandriam introisset. Nam Augustus inter alia dominations arcana, vetitis nisi permissu ingredi senatoribus aut equitibus Romanis inlustribus, seposuit Aegyptum, ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam claustraque terrae ac maris quamvis levi praesidio adversum ingentes exercitus
60 insedisset. Sed Germanicus, nondum comperto profectionem eam incusari, Nilo subvehebatur, orsus oppido a Canopo. Condidere id Spartani ob sepultum illic rectorem navis Canopum, qua tempestate Menelaus Graeciam repetens diversum ad mare terramque Libyam deiectus est. Inde proximum amnis os dicatum Herculi, quem indigenae ortum aput se et antiquissimum perhibent, eosque qui postea pari virtute fuerint in cognomentum eius adscitos; mox visit veterum Thebarum magna vestigia. Et manebant structis molibus litterae Aegyptiae, priorem opulentiam complexae; iussusque e senioribus sacerdotum patrium sermonem interpretari refere-

1 uononis 2 discordas 3 desocietate, *mox* deaduentu 9 cõs. 13 amictu P. Scip. *B*: amictus pscipionis 18 elexandriã alio 19 permissu suo *Wurm* 22 aduersum *correctum in* aduersus 26 greciam 27 Libycam *fortasse* deiectus *Iac. Gronovius*: delectus est *add. Pichena* 32 esenioribus

bat habitasse quondam septingenta milia aetate militari, atque eo cum exercitu regem Rhamsen Libya Aethiopia, Medisque et Persis et Bactriano ac Scytha potitum, quasque terras Suri Armeniique et contigui Cappadoces colunt, inde Bithynum, hinc Lycium ad mare imperio tenuisse. Legebantur et indicta gentibus tributa, pondus argenti et auri, numerus armorum equorumque et dona templis ebur atque odores, quasque copias frumenti et omnium utensilium quaeque natio penderet, haud minus magnifica quam nunc vi Parthorum aut potentia Romana iubentur. Ceterum Germanicus 61
aliis quoque miraculis intendit animum, quorum praecipua fuere Memnonis saxea effigies, ubi radiis solis icta est, vocalem sonum reddens, disiectasque inter et vix pervias arenas instar montium eductae pyramides certamine et opibus regum, lacusque effossa humo, superfluentis Nili receptacula; atque alibi angustiae et profunda altitudo, nullis inquirentium spatiis penetrabilis. Exin ventum Elephantinen ac Syenen, claustra olim Romani imperii, quod nunc rubrum ad mare patescit.

Dum ea aestas Germanico plures per provincias transi- 62
gitur, haud leve decus Drusus quaesivit inliciens Germanos ad discordias utque fracto iam Maroboduo usque in exitium insisteretur. Erat inter Gotones nobilis iuvenis nomine Catualda, profugus olim vi Marobodui et tunc dubiis rebus eius ultionem ausus. Is valida manu fines Marcomanorum ingreditur corruptisque primoribus ad societatem inrumpit regiam castellumque iuxta situm. Veteres illic Sueborum praedae et nostris e provinciis lixae ac negotiatores reperti, quos ius commercii, dein cupido augendi pecuniam, postremum oblivio patriae suis quemque ab sedibus hostilem in agrum transtulerat. Maroboduo undique deserto non aliud 63
subsidium quam misericordia Caesaris fuit. Transgressus Danuvium, qua Noricam provinciam praefluit, scripsit Tibe-

3 pactriano Scytha *B*: scitha 5 Bithynum *B*: bythinum Lycium *L*: lycum 7 epur 9 *potius* quam quae 17 penetrabilis *L*: penetrabiles Ex inuentum 24 marobodui. Ettunc 26 societatatem 30 ab *B*: ad 31 transtulerat *Ernesti*: transtulat Morobuduo *pr*, Moroboduo *corr* aliut. *item mox*

rio, non ut profugus aut supplex, sed ex memoria prioris fortunae: nam multis nationibus clarissimum quondam regem ad se vocantibus Romanam amicitiam praetulisse. Responsum a Caesare tutam ei honoratamque sedem in Italia fore, si maneret: sin rebus eius aliud conduceret, abiturum fide qua venisset. Ceterum aput senatum disseruit non Philippum Atheniensibus, non Pyrrhum aut Antiochum populo Romano perinde metuendos fuisse. Extat oratio, qua magnitudinem viri, violentiam subiectarum ei gentium et quam propinquus Italiae hostis, suaque in destruendo eo consilia extulit. Et Maroboduus quidem Ravennae habitus; unde, si quando insolescerent Suebi, quasi rediturus in regnum ostentabatur: sed non excessit Italia per duodeviginti annos, consenuitque multum imminuta claritate ob nimiam vivendi cupidinem. Idem Catualdae casus, neque aliud perfugium. Pulsus haud multo post Hermundurorum opibus et Vibilio duce, receptusque Forum Iulium, Narbonensis Galliae coloniam, mittitur. Barbari utrumque comitati ne quietas provincias immixti turbarent, Danuvium ultra inter flumina Marum et Cusum locantur, dato rege Vannio gentis Quadorum.

64 Simul nuntiato regem Artaxian Armeniis a Germanico datum, decrevere patres ut Germanicus atque Drusus ovantes urbem introirent. Structi et arcus circum latera templi Martis Vltoris cum effigie Caesarum, laetiore Tiberio, quia pacem sapientia firmaverat, quam si bellum per acies confecisset. Igitur Rhescuporim quoque, Thraeciae regem, astu adgreditur. Omnem eam nationem Rhoemetalces tenuerat; quo defuncto Augustus partem Thraecum Rhescuporidi, fratri eius, partem filio Cotyi permisit. In ea divisione arva et urbes et vicina Graecis Cotyi, quod incultum ferox, adnexum hostibus, Rhescuporidi cessit: ipsorumque regum ingenia, illi mite et amoenum, huic atrox avidum, et societatis inpatiens erat. Sed primo subdola concordia egere: mox

4 acaesare 9 ei *Frobeniana a.* 1519 : et 11 *unde, si : Nesi (si *R*)
12 rediturus *R* : reditus *(fortasse* reditus eius) 16 uibilio, *alter*
12 29 uibillius 17 duce *R* : daice 18 nequetas 26 thęacię regem regem 27 omnem eam *B* : Omne mea *(sic)* 33 inpaciens

Rhescuporis egredi fines, vertere in se Cotyi data et resistenti vim facere, cunctanter sub Augusto, quem auctorem utriusque regni, si sperneretur, vindicem metuebat. Enimvero audita mutatione principis, inmittere latronum globos, excin- 5 dere castella, causas bello. Nihil aeque Tiberium anxium 65 habebat quam ne conposita turbarentur. Deligit centurionem, qui nuntiaret regibus ne armis disceptarent; statimque a Cotye dimissa sunt quae paraverat auxilia. Rhescuporis ficta modestia postulat eundem in locum coiretur: posse de 10 controversiis conloquio transigi. Nec diu dubitatum de tempore loco, dein conditionibus, cum alter facilitate, alter fraude cuncta inter se concederent acciperentque. Rhescuporis sanciendo, ut dictitabat, foederi convivium adicit, tractaque in multam noctem laetitia per epulas ac vinolentiam incau- 15 tum Cotyn et, postquam dolum intellexerat, sacra regni, eiusdem familiae deos et hospitalis mensas obtestantem catenis onerat. Thraeciaque omni potitus scripsit ad Tiberium, structas sibi insidias, praeventum insidiatorem; simul bellum adversus Bastarnas Scythasque praetendens novis peditum 20 et equitum copiis sese firmabat. Molliter rescriptum, si fraus abesset, posse eum innocentiae fidere; ceterum neque se neque senatum nisi cognita causa ius et iniuriam discreturos: proinde tradito Cotye veniret transferretque invidiam criminis. Eas litteras Latinius Pandusa, pro praetore Moesiae, 66 25 cum militibus, quis Cotys traderetur, in Thraciam misit. Rhescuporis inter metum et iram cunctatus maluit patrati quam incepti facinoris reus esse: occidi Cotyn iubet, mortemque sponte sumptam ementitur. Nec tamen Caesar placitas semel artes mutavit, sed defuncto Pandusa, quem sibi infen- 30 sum Rhescuporis arguebat, Pomponium Flaccum, veterem stipendiis et arta cum rege amicitia eoque accommodatiorem ad fallendum, ob id maxime Moesiae praefecit. Flaccus in 67 Thraciam transgressus per ingentia promissa quamvis ambiguum et scelera sua reputantem perpulit ut praesidia Ro-

1 resistenti uim *R* : resistentiũ 3 Enim uero 5 anixium *pr* 11 condicionibus 12 rhescupores 17 scribsit 19 Bastarnas *R* : basternas 24 Pandusa *Nipperdey* : pandus 25 cotyis thraciam, *mox* thraciam, *tum* thraecia, *quam inconstantiam toleravi* 27 cotỹ 29 padusa

mana intraret. Circumdata hinc regi specie honoris valida manus, tribunique et centuriones monendo suadendo, et quanto longius abscedebatur, apertiore custodia, postremo gnarum necessitatis in urbem traxere. Accusatus in senatu ab uxore Cotyis damnatur, ut procul regno teneretur. Thraecia in Rhoemetalcen filium, quem paternis consiliis adversatum constabat, inque liberos Cotyis dividitur; iisque nondum adultis Trebellienus Rufus, praetura functus, datur, qui regnum interim tractaret, exemplo quo maiores M. Lepidum Ptolemaei liberis tutorem in Aegyptum miserant. Rhescuporis Alexandriam devectus atque illic fugam temptans, an ficto crimine, interficitur.

68 Per idem tempus Vonones, quem amotum in Ciliciam memoravi, corruptis custodibus effugere ad Armenios, inde in*licere* Albanos Heniochosque et consanguineum sibi regem Scytharum conatus est. Specie venandi omissis maritimis locis avia saltuum petivit, mox pernicitate equi ad amnem Pyramum contendit, cuius pontes accolae ruperant audita regis fuga; neque vado penetrari poterat. Igitur in ripa fluminis a Vibio Frontone, praefecto equitum, vincitur; mox Remmius evocatus, priori custodiae regis adpositus, quasi per iram gladio eum transigit. Vnde maior fides conscientia sceleris et metu indicii mortem Vononi inlatam.

69 At Germanicus Aegypto remeans cuncta, quae aput legiones aut urbes iusserat, abolita vel in contrarium versa cognoscit. Hinc graves in Pisonem contumeliae, nec minus acerba quae ab illo in Caesarem temptabantur. Dein Piso abire Suria statuit. Mox adversa Germanici valitudine detentus, ubi recreatum accepit votaque pro incolumitate solvebantur, admotas hostias, sacrificalem apparatum, festam Antiochensium plebem per lictores proturbat. Tum Seleuciam digreditur, opperiens aegritudinem, quae rursum Germanico acciderat. Saevam vim morbi augebat persuasio veneni a

1 hinc regi *B* : in gregi specie 4 accussatus 5 *et* 7 cotys 7 inque *B* : inqui 8 trebellenus *(cf.* 3 38, 6 45=39) 10 ptolemei 14 *inde inlicere : inde in (inde *Wopkens*, dein *Haase)* 17 *petiuit : petiit ad amnem *B* : edamnem 20 auibio 31 digreditur *L* : degreditur 32 opperiens *B* : operiens

Pisone accepti; et reperiebantur solo ac parietibus erutae humanorum corporum reliquiae, carmina et devotiones et nomen Germanici plumbeis tabulis insculptum, semusti cineres ac tabo obliti aliaque malefica, quis creditur anima numinibus infernis sacrari. Simul missi a Pisone incusabantur ut valitudinis adversa rimantes. Ea Germanico haud minus ira 70
quam per metum accepta. Si limen obsideretur, si effundendus spiritus sub oculis inimicorum foret, quid deinde miserrimae coniugi, quid infantibus liberis eventurum? Lenta videri veneficia: festinare et urgere, ut provinciam, ut legiones solus habeat. Sed non usque eo defectum Germanicum, neque praemia caedis aput interfectorem mansura. Componit epistulas quis amicitiam ei renuntiabat: addunt plerique iussum provincia decedere. Nec Piso moratus ultra navis solvit, moderabaturque cursui, quo propius regrederetur, si mors Germanici Suriam aperuisset. Caesar paulisper ad spem 71
erectus, dein fesso corpore, ubi finis aderat, adsistentes amicos in hunc modum adloquitur: 'si fato concederem, iustus mihi dolor etiam adversus deos esset, quod me parentibus liberis patriae intra iuventam praematuro exitu raperent: nunc scelere Pisonis et Plancinae interceptus ultimas preces pectoribus vestris relinquo: referatis patri ac fratri, quibus acerbitatibus dilaceratus, quibus insidiis circumventus miserrimam vitam pessima morte finierim. Si quos spes meae, siquos propinquus sanguis, etiam quos invidia erga viventem movebat, inlacrimabunt quondam florentem et tot bellorum superstitem muliebri fraude cecidisse. Erit vobis locus querendi aput senatum, invocandi leges. Non hoc praecipuum amicorum munus est, prosequi defunctum ignavo questu, sed quae voluerit meminisse, quae mandaverit exsequi. Flebunt Germanicum etiam ignoti: vindicabitis vos, si me potius quam fortunam meam fovebatis. Ostendite populo Romano divi Augusti neptem eandemque coniugem meam, numerate sex liberos. Misericordia cum accusantibus erit, fingentibus-

1 repperiebantur 4 tabo *L* : tabe maleficia *B* *anima : animas 14 Piso moratus *B* : ipso maratus 15 quo *L* : qui ('qui, id est quo' *R*) promptius *Wurm* 22 ac fatri 23 accerbitatibus 25 propinquus *B* : propinquos 27 superstiten. *(sic)* quęrendi 29 quaestu

que scelesta mandata aut non credent homines aut non ignoscent.' Iuravere amici, dextram morientis contingentes,
72 spiritum ante quam ultionem amissuros. Tum ad uxorem versus per memoriam sui, per communes liberos oravit, exueret ferociam, saevienti fortunae summitteret animum, neu regressa in urbem aemulatione potentiae validiores inritaret. Haec palam et alia secreto, per quae ostendere credebatur metum ex Tiberio. Neque multo post extinguitur, ingenti luctu provinciae et circumiacentium populorum. Indoluere exterae nationes regesque: tanta illi comitas in socios, mansuetudo in hostes; visuque et auditu iuxta venerabilis, cum magnitudinem et gravitatem summae fortunae
73 retineret, invidiam et adrogantiam effugerat. Funus sine imaginibus et pompa per laudes ac memoriam virtutum eius celebre fuit. Et erant qui formam aetatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorum, in quibus interiit, magni Alexandri fatis adaequarent. Nam utrumque corpore decoro, genere insigni, haud multum triginta annos egressum, suorum insidiis externas inter gentes occidisse: sed hunc mitem erga amicos, modicum voluptatum, uno matrimonio, certis liberis egisse, neque minus proeliatorem, etiam si temeritas afuerit praepeditusque sit perculsas tot victoriis Germanias servitio premere. Quod si solus arbiter rerum, si iure et nomine regio fuisset, tanto promptius adsecuturum gloriam militiae, quantum clementia, temperantia, ceteris bonis artibus praestitisset. Corpus antequam cremaretur nudatum in foro Antiochensium, qui locus sepulturae destinabatur, praetuleritne veneficii signa, parum constitit: nam ut quis misericordia in Germanicum et praesumpta suspitione aut favore in Pisonem pronior, diversi interpretabantur.

2 contingentis *pr* 3 *fortasse* se spiritum 5 exsueret saeulenti summitteret *B*: summitterit 7 ostender 9 circumiacentium *R*: cũiacentium (cricumiacentium *Frobeniana*) 11 uenerabilis *B*: uenerabiles 21 etiamsi—praepeditusque *B*: etiam sitemeritas afuerit. praepuditusq; 23 seru uitio (*corr* seriuitio) praemere 29 suspitione] *perinde est* suspitiones *c.* 76 (*sic*), suspitionis 3 9 (*sic*), suspitionem 4 10, 6 47=53, suspitionum 4 67, *quibus exemplis fretus hanc scribendi rationem, et origine nominis commendatam et vetustissimis libris traditam, in Tacito ubique asciri, quamvis prior Mediceus aliis locis etiam* suspicionem *scripserit, et alter* c *semper exhibuerit* 30 interpretabantur *B*: inter praetantur

Consultatum inde inter legatos quique alii senatorum 74
aderant, quisnam Suriae praeficeretur. Et ceteris modice
nisis, inter Vibium Marsum et Cn. Sentium diu quaesitum:
dein Marsus seniori et acrius tendenti Sentio concessit.
Isque infamem veneficiis ea in provincia et Plancinae per-
caram, nomine Martinam, in urbem misit, postulantibus Vitel-
lio ac Veranio ceterisque qui crimina et accusationem tam-
quam adversus receptos iam reos instruebant. At Agrippina, 75
quamquam defessa luctu et corpore aegro, omnium tamen
quae ultionem morarentur intolerans, ascendit classem cum
cineribus Germanici et liberis, miserantibus cunctis, quod
femina nobilitate princeps, pulcherrimo modo matrimonio
inter venerantes gratantisque aspici solita, tunc feralis reli-
quias sinu ferret, incerta ultionis, anxia sui et infelici fecun-
ditate fortunae totiens obnoxia. Pisonem interim aput Coum
insulam nuntius adsequitur excessisse Germanicum. Quo
intemperanter accepto caedit victimas, adit templa, neque
ipse gaudium moderans et magis insolescente Plancina, quae
luctum amissae sororis tum primum laeto cultu mutavit.
Adfluebant centuriones monebantque prompta illi legionum 76
studia: repeteret provinciam non iure ablatam et vacuam.
Igitur quid agendum consultanti M. Piso filius properandum
in urbem censebat: nihil adhuc inexpiabile admissum, neque
suspitiones inbecillas aut inania famae pertimescenda. Dis-
cordiam erga Germanicum odio fortasse dignam, non poena;
et ademptione provinciae satis factum inimicis. Quod si
regrederetur, obsistente Sentio civile bellum incipi; nec du-
raturos in partibus centuriones militesque, aput quos recens
imperatoris sui memoria et penitus infixus in Caesares amor
praevaleret. Contra Domitius Celer, ex intima eius amicitia, 77
disseruit utendum eventu: Pisonem, non Sentium Suriae prae-
positum; huic fasces et ius praetoris, huic legiones datas.
Siquid hostile ingruat, quem iustius arma oppositurum quam
qui legati auctoritatem et propria mandata acceperit? Relin-
quendum etiam rumoribus tempus quo senescant: plerumque
innocentes recenti invidiae impares. At si teneat exercitum,

2 modice nisis *B*: modicensis 3 CN· 7 accussationẽ 21 non *B*: con 33 quam *add. L a.* 1600 34 man mandata

augeat vires, multa quae provideri non possint, fortuito in melius casura. 'An festinamus cum Germanici cineribus adpellere, ut te inauditum et indefensum planctus Agrippinae ac vulgus imperitum primo rumore rapiant? Est tibi Augustae conscientia, est Caesaris favor, sed in occulto; et perisse Germanicum nulli iactantius maerent quam qui maxime lae-
78 tantur.' Haud magna mole Piso, promptus ferocibus, in sententiam trahitur, missisque ad Tiberium epistulis incusat Germanicum luxus et superbiae; seque pulsum, ut locus rebus novis patefieret, curam exercitus eadem fide qua tenuerit repetivisse. Simul Domitium inpositum triremi vitare litorum oram praeterque insulas lato mari pergere in Suriam iubet. Concurrentes desertores per manipulos conponit, armat lixas traiectisque in continentem navibus vexillum tironum in Suriam euntium intercipit, regulis Cilicum ut se auxiliis iuvarent scribit, haud ignavo ad ministeria belli iuvene Pisone,
79 quamquam suscipiendum bellum abnuisset. Igitur oram Lyciae ac Pamphyliae praelegentes, obviis navibus quae Agrippinam vehebant, utrimque infensi arma primo expediere: dein mutua formidine non ultra iurgium processum est, Marsusque [Vibius] nuntiavit Pisoni, Romam ad dicendam causam veniret. Ille eludens respondit adfuturum, ubi praetor, qui de veneficiis quaereret, reo atque accusatoribus diem prodixisset. Interim Domitius Laodiciam, urbem Syriae, adpulsus, cum hiberna sextae legionis peteret, quod eam maxime novis consiliis idoneam rebatur, a ..Pacuvio legato praevenitur. Id Sentius Pisoni per litteras aperit, monetque ne castra corruptoribus, ne provinciam bello temptet. Quosque Germanici memores aut inimicis eius adversos cognoverat, contrahit, magnitudinem imperatoris identidem ingerens et rem publicam armis peti; ducitque validam manum et proe-
80 lio paratam. Nec Piso, quamquam coepta secus cadebant, omisit tutissima e praesentibus, sed castellum Ciliciae mu-

4 primo rumore *R*: primorũ ore 16 ignauo *B*: ignouo minesteria 21 *[Vibius]: uibimus (Vibinus *B*, Vibius *R*) 24 ꝑdixisset (praedixisset *B*) adpulsus *B*: apulsus 25 legiones 26 *a..Pacuuio: apacuuio (*fortasse* a P. Pacuuio) 32 secus *B*: fecus 33 tutissisima

nitum admodum, cui nomen Celenderis, occupat: nam admixtis desertoribus et tirone nuper intercepto suisque et Plancinae servitiis auxilia Cilicum, quae reguli miserant, in numerum legionis composuerat. Caesarisque se legatum testabatur provincia, quam is dedisset, arceri non a legionibus (earum quippe accitu venire), sed a Sentio privatum odium falsis criminibus tegente. Consisterent in acie, non pugnaturis militibus, ubi Pisonem ab ipsis parentem quondam appellatum, si iure ageretur, potiorem, si armis, non invalidum vidissent. Tum pro munimentis castelli manipulos explicat, colle arduo et derupto: nam cetera mari cinguntur. Contra veterani ordinibus ac subsidiis instructi: hinc *virtus* militum, inde locorum asperitas, sed non animus, non spes, ne tela quidem nisi agrestia aut subitum in usum properata. Vt venere in manus, non ultra dubitatum, quam dum Romanae cohortes in aequum eniterentur: vertunt terga Cilices seque castello claudunt. Interim Piso classem haud procul 81
opperientem adpugnare frustra temptavit; regressusque et pro muris, modo semet adflictando, modo singulos nomine ciens, praemiis vocans, seditionem coeptabat, adeoque commoverat, ut signifer legionis sextae signum ad eum transtulerit. Tum Sentius occanere cornua tubasque et peti aggerem, erigi scalas iussit, ac promptissimum quemque succedere, alios tormentis hastas saxaque et faces ingerere. Tandem victa pertinacia Piso oravit ut traditis armis maneret in castello, dum Caesar, cui Syriam permitteret, consulitur. Non receptae conditiones, nec aliud quam naves et tutum in urbem iter concessum est.

At Romae, postquam Germanici valetudo percrebuit, 82

1 Celenderis *B* : celendris 5 prouincia *R (non B)* : prouinciam 7 inaciae 12 *uirtus militum : militum (militum uis *Muretus)* 14 subitum in *Doederlein* : subitum (subitum ad *Weissenborn*, at subitum *pro* aut s. *Nipperdey)* 15 uenere *R* : uenire 16 eniterentur *B* : enim terentur scilices 18 opper. *B* : operientem 21 legionis sextae *B* : legionis uocans sextae 24 *saxaque et : saxa et (hastas saxa faces *vel* hastas et saxa et f. *Wesenberg ad Cic Tusc. III. p.* 19) 25 pertinatia ut trad. *Nipperdey* : utiraditis (uti trad. *B)* 27 *et c.* 82 aliut 29 percrebuit (percrebruit *B)*

cunctaque ut ex longinquo aucta in deterius adferebantur, dolor ira, et erumpebant questus. Ideo nimirum in extremas terras relegatum, ideo Pisoni permissam provinciam; hoc egisse secretos Augustae cum Plancina sermones. Vera prorsus de Druso seniores locutos: displicere regnantibus civilia filiorum ingenia, neque ob aliud interceptos, quam quia populum Romanum aequo iure complecti reddita libertate agitaverint. Hos vulgi sermones audita mors adeo incendit, ut ante edictum magistratuum, ante senatus consultum sumpto iustitio desererentur fora, clauderentur domus. Passim silentia et gemitus, nihil compositum in ostentationem: et quamquam neque insignibus lugentium abstinerent, altius animis maerebant. Forte negotiatores, vivente adhuc Germanico Suria egressi, laetiora de valitudine eius attulere. Statim credita, statim vulgata sunt. Vt quisque obvius, quamvis leviter audita in alios atque illi in plures cumulata gaudio transferunt. Cursant per urbem, moliuntur templorum fores; iuvat credulitatem nox et promptior inter tenebras adfirmatio. Nec obstitit falsis Tiberius, donec tempore ac spatio vanescerent: et populus quasi rursum ereptum acrius doluit.

83 Honores, ut quis amore in Germanicum aut ingenio validus, reperti decretique: ut nomen eius Saliari carmine caneretur; sedes curules sacerdotum Augustalium locis superque eas querceae coronae statuerentur; ludos circenses eburna effigies praeiret, neve quis flamen aut augur in locum Germanici nisi gentis Iuliae crearetur. Arcus additi Romae et aput ripam Rheni et in monte Suriae Amano, cum inscriptione rerum gestarum ac mortem ob rem publicam obisse; sepulcrum Antiochiae, ubi crematus, tribunal Epidaphnae, quo in loco vitam finierat. Statuarum locorumve in quis colerentur haud facile quis numerum inierit. Cum censeretur clipeus auro et magnitudine insignis inter auctores eloquen-

1 cunctaque *B*: cunctique adferaebantur 2 quaestus 13 merebant 14 eius *B*: ius 15 utquisque, *c.* 83 utquis 17 templorum *B*: templores iuuit *L* 19 falsis *B*: falsi 22 saltari 23 Augustalium *B*: austalium 26 adiditi *pr* 27 Amano *B*: amono 29 se pulchrum Epidaphnae *L*: epidaphene (Epidaphne *B*) 30 loco *B*: locum coleretur *B* 32 clipeos (clypeus *B*)

tiae, adseveravit Tiberius solitum paremque ceteris dicaturum: neque enim eloquentiam fortuna discerni, et satis inlustre, si veteres inter scriptores haberetur. Equester ordo cuneum Germanici appellavit qui iuniorum dicebatur, instituitque uti turmae idibus Iuliis imaginem eius sequerentur. Pleraque manent: quaedam statim omissa sunt aut vetustas obliteravit.

Ceterum recenti adhuc maestitia soror Germanici Livia, 84
nupta Druso, duos virilis sexus simul enixa est. Quod, rarum laetumque etiam *in* modicis penatibus, tanto gaudio principem adfecit, ut non temperaverit quin iactaret aput patres, nulli ante Romanorum eiusdem fastigii viro geminam stirpem editam: nam cuncta, etiam fortuita, ad gloriam vertebat. Sed populo tali in tempore id quoque dolorem tulit, tamquam auctus liberis Drusus domum Germanici magis urgeret.

Eodem anno gravibus senatus decretis libido femina- 85
rum coercita cautumque, ne quaestum corpore faceret cui avus aut pater aut maritus eques Romanus fuisset. Nam Vistilia, praetoria familia genita, licentiam stupri aput aediles vulgaverat, more inter veteres recepto, qui satis poenarum adversum inpudicas in ipsa professione flagitii credebant. Exacta et a Titidio Labeone, Vistiliae marito, *causa* cur in uxore delicti manifesta ultionem legis omisisset. Atque illo praetendente sexaginta dies ad consultandum datos necdum praeterisse, satis visum de Vistilia statuere; eaque in insulam Seriphon abdita est. Actum et de sacris Aegyptiis Iudaicisque pellendis, factumque patrum consultum, ut quattuor milia libertini generis ea superstitione infecta, quis idonea aetas, in insulam Sardiniam veherentur, coercendis illic latrociniis et, si ob gravitatem caeli interissent, vile damnum; ceteri cederent Italia, nisi certam ante diem profanos ritus exuissent.

Post quae rettulit Caesar capiendam virginem in locum 86

1 adseuerauit *Iac. Gronovius*: adserauit (adseruit *B)* ceteris se *potius* 4 cuneum *B*: cumeum 9 uiriles 10 *etiam in: etiam 17 questum 22 exactum *Vertranius* uistilie *causa cur: cur (ratio cur *Muretus)* 23 omississet 25 satis *B*: sitis eaque 32 exsuissent

Occiae, quae septem et quinquaginta per annos summa sanctimonia Vestalibus sacris praesederat; egitque grates Fonteio Agrippae et Domitio Pollioni, quod offerendo filias de officio in rem publicam certarent. Praelata est Pollionis filia, non ob aliud quam quod mater eius in eodem coniugio manebat: nam Agrippa discidio domum imminuerat. Et Caesar quamvis posthabitam decies sestertii dote solatus est.

87 Saevitiam annonae incusante plebe statuit frumento pretium, quod emptor penderet, binosque nummos se additurum negotiatoribus in singulos modios. Neque tamen ob ea parentis patriae delatum et antea vocabulum adsumpsit, acerbeque increpuit eos, qui divinas occupationes *eius* ipsumque dominum dixerant. Vnde angusta et lubrica oratio sub principe, qui libertatem metuebat, adulationem oderat.

88 Reperio aput scriptores senatoresque eorundem temporum Adgandestrii, principis Chattorum, lectas in senatu litteras, quibus mortem Arminii promittebat, si patrandae neci venenum mitteretur; responsumque esse non fraude neque occultis, sed palam et armatum populum Romanum hostes suos ulcisci. Qua gloria aequabat se Tiberius priscis imperatoribus, qui venenum in Pyrrhum regem vetuerant prodiderantque. Ceterum Arminius, abscedentibus Romanis et pulso Maroboduo regnum adfectans, libertatem popularium adversam habuit, petitusque armis cum varia fortuna certaret, dolo propinquorum cecidit, liberator hau dubie Germaniae et qui non primordia populi Romani, sicut alii reges ducesque, sed florentissimum imperium lacessierit, proeliis ambiguus, bello non victus. Septem et triginta annos vitae, duodecim potentiae explevit, caniturque adhuc barbaras aput gentes, Graecorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur, Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus, recentium incuriosi.

3 Domitio *L*: comicio pollioni, *mox* poli onis; *(cf. ad* 1 12) 5 aliut 9 praetium 11 patrie adsumsit 12 *occupationes eius: occupationes 16 Adgandestrii] *cf. Müllenhoff in Diurnis antiq. Germ. VIIII p.* 224 *sqq.* 17 armenii, *mox* armenius 21 pyrrum 25 haudubie 32 incuriosi. FINIT LIBER ·II· P· CORNELY *(pro* Y *videtur fuisse* I) INCIPIT LIBER ·III· FELICITER.

LIBER III.

BREVIARIUM. C. 1—30. Anni novi (20 p. Ch.) principio cum Germanici reliquiis Agrippina coeptum iter perficit, Brundisium, dein Romam venit. Germanico iusta persolvuntur, cineres Augusti tumulo inferuntur (1—6). Cn. Piso cum in urbem redisset, veneni accusatus est, et causa apud patres quaesita cum infesta et infensa offenderet omnia, sua manu iudicium praevenit. Vxor eius absoluta, liberi ignominiae exempti sunt (7—19). Bellum in Africa renovatum a Tacfarinate, quem L. Apronius reppulit (20—21). Romae Lepida defertur, Silanus Iuniae familiae redditur (21—24). Lex Papia Poppaea asperius exercita mollitur, qua occasione de legibus et legum latoribus in universum (25—28). De Neronis, Germanici filii, primis honoribus et favore apud plebem. Fine anni viri nobiles vita concedunt, L. Volusius et Crispus Sallustius (29—30).

C. 31—51. Annus a Ch. n. 21, imperatoris Tiberii 8. Actum in senatu de irreverentia iuventutis, de itineribus Italiae interruptis et imperviis, de proconsule in Africam et Asiam mittendo, de sententia Caecinae, ut uxores eorum qui praeessent provinciis, intra Italiam cohiberentur (31—34). Proximo senatus die licentia coercita est, qua probra et invidia in bonos impune excitabantur obiecta principis effigie, et delatores duo puniti, quibus rebus Drusus favorem adipiscitur: eo enim coram et patre absente haec decreta erant (35—37). Tiberius legem maiestatis severe exercet; Antistius Vetus in exilium pulsus, qua occasione de Thraciae post caedem Rhescuporidis statu (38—39). Tumultus a Treviris excitati et Aeduis: utrique mox oppressi, et finem Gallici belli Tiberius e Campania patribus nuntiat (40—47). Funus Quirinii, Prisci Clutorii accusatio et supplicium (48—51).

C. 52—76. Annus a Ch. n. 22, Tiberii principis 9. Disceptatum ab aedilibus de lege sumptuaria severius habenda. Principis ea de re sententia ubi cognita est, remissa aedilibus talis cura (52—54). Luxus ab Augusto usque ad mortem Neronis profusius exerciti a Galbae principatu exolescere coeperunt, cuius mutationis causae quaesitae (55). Tiberius missis ad senatum litteris Druso filio petit tribuniciam potestatem, summi fastigii vocabulum ab Augusto repertum; eam decreverunt patres non sine adulationibus indecoris (56—57). Africa Blaeso prorogata. Flamen Dialis ut Asiam sorte acciperet postulavit, sed more maiorum ab ea administratione prohibitus est (58—59 et 71). Drusum epistula quamvis modesta et absentem adire tribuniciam potestatem graviter acceptum. Tiberius imaginem antiquae potestatis senatui relinquit, postulata provinciarum ad patres mittendo. Asyla per civitates Graecas immodice aucta minuuntur (60—63). Caesar in urbem festinat ob valitudinem atrocem Iuliae Augustae. Sententiae senatorum notabili dedecore; tempora illa adulatione sordida ideoque ab ipso Tiberio fastidita (64—65). Accusationes et damnationes (66—70). Donum, quod pro valitudine Augustae voverant equites Romani, Antii statuitur (71). Lepidus basilicam Pauli propria pecunia ut firmaret petivit. Pompei theatrum igne haustum Caesar extruendum recipit; de Seiani apud Tiberium favore (72). Tacfarinas reparatis viribus Africam infestans pulsus a Blaeso et frater eius captus (73—74). Obeunt eodem anno Asinius Saloninus, Ateius Capito, Iunia, Cassii uxor et Bruti soror (75—76).

Nihil intermissa navigatione hiberni maris Agrippina 1
Corcyram insulam advehitur, litora Calabriae contra sitam.

1 Ab excessu diui augusti. Nihil

Illic paucos dies conponendo animo insumit, violenta luctu et nescia tolerandi. Interim adventu eius audito intimus quisque amicorum et plerique militares, ut quique sub Germanico stipendia fecerant, multique etiam ignoti vicinis e municipiis, pars officium in principem rati, plures illos secuti, ruere ad oppidum Brundisium, quod naviganti celerrimum fidissimumque adpulsu erat. Atque ubi primum ex alto visa classis, complentur non modo portus et proxima maris, sed moenia ac tecta, quaque longissime prospectari poterat, maerentium turba et rogitantium inter se, silentione an voce aliqua egredientem exciperent. Neque satis constabat quid pro tempore foret, cum classis paulatim successit, non alacri, ut adsolet, remigio, sed cunctis ad tristitiam compositis. Postquam duobus cum liberis, feralem urnam tenens, egressa navi defixit oculos, idem omnium gemitus; neque discerneres proximos alienos, virorum feminarumve planctus, nisi quod comitatum Agrippinae longo maerore fessum obvii et recentes in dolore
2 anteibant. Miserat duas praetorias cohortes Caesar, addito ut magistratus Calabriae Apulique et Campani suprema erga memoriam filii sui munia fungerentur. Igitur tribunorum centurionumque umeris cineres portabantur; praecedebant incompta signa, versi fasces; atque ubi colonias transgrederentur, atrata plebes, trabeati equites pro opibus loci vestem odores aliaque funerum sollemnia cremabant. Etiam quorum diversa oppida, tamen obvii et victimas atque aras dis manibus statuentes lacrimis et conclamationibus dolorem testabantur. Drusus Tarracinam progressus est cum Claudio fratre liberisque Germanici, qui in urbe fuerant. Consules M. Valerius et M. Aurelius (iam enim magistratum occeperant) et senatus ac magna pars populi viam complevere, disiecti et ut cuique libitum flentes; aberat quippe adulatio, gnaris omnibus laetam Tiberio Germanici mortem male dissimulari.

3 ut quique *B* : utcuique (ut cuique-fuerant *Wurm*) 7 adpulsu *B* : adpulsũ exalto classes 18 addito *B* : addita 19 suprema 20 *munia : munera fungerentur *B* : fungentur 21 humeris *B* 22 uersi *B* : uesi 23 plebes *B* : plebis 27 Tarracinam *B* : tarricinam 29 M. Aurelius *Panvinius* : C. aurelius

Tiberius atque Augusta publico abstinuere, inferius maiestate 3
sua rati, si palam lamentarentur, an ne omnium oculis
vultum eorum scrutantibus falsi intellegerentur. Matrem
Antoniam non aput auctores rerum, non in diurna actorum
scriptura reperio ullo insigni officio functam, cum super
Agrippinam et Drusum et Claudium ceteri quoque consangui-
nei nominatim perscripti sint, seu valitudine praepediebatur,
seu victus luctu animus magnitudinem mali perferre visu
non toleravit. Facilius crediderim Tiberio et Augustae, qui
domo non excedebant, cohibitam, ut par maeror et matris
exemplo avia quoque et patruus attineri viderentur.

Dies, quo reliquiae tumulo Augusti inferebantur, modo 4
per silentium vastus, modo ploratibus inquies; plena urbis
itinera, conlucentes per campum Martis faces. Illic miles
cum armis, sine insignibus magistratus, populus per tribus
concidisse rem publicam, nihil spei reliquum clamitabant,
promptius apertiusque quam ut meminisse imperitantium
crederes. Nihil tamen Tiberium magis penetravit quam stu-
dia hominum accensa in Agrippinam, cum decus patriae,
solum Augusti sanguinem, unicum antiquitatis specimen ap-
pellarent, versique ad caelum ac deos integram illi subolem
ac superstitem iniquorum precarentur. Fuere qui publici 5
funeris pompam requirerent compararentque quae in Drusum,
patrem Germanici, honora et magnifica Augustus fecisset.
Ipsum quippe asperrimo hiemis Ticinum usque progressum,
neque abscedentem a corpore simul urbem intravisse; cir-
cumfusas lecto Claudiorum Iuliorumque imagines; defletum
in foro, laudatum pro Rostris, cuncta a maioribus reperta,
aut quae posteri invenerint, cumulata: at Germanico ne so-
litos quidem et cuicumque nobili debitos honores contigisse.
Sane corpus ob longinquitatem itinerum externis *in* terris
quoquo modo crematum: sed tanto plura decora mox tribui

3 intellegerentur *B* : intellegentur 4 non in *Wurm* : non 5 ulli
9 Augustae *Kritz et Doederlein* : augusta 10 pari maerore et *Heinsius*
17 inperitantium 23 compararentque quae *B* : compararent quaeque
29 aut quae *B* : autq; at *B* : aut 30 debitos *B* : deditos 31 ite-
nerum *in terris : terras

par fuisse, quanto prima fors negavisset. Non fratrem, nisi unius diei via, non patruum saltem porta tenus obvium. Vbi illa veterum instituta, praepositam toro effigiem, meditata ad memoriam virtutis carmina et laudationes, et lacrimas vel
6 doloris imitamenta? Gnarum id Tiberio fuit; utque premeret vulgi sermones, monuit edicto, multos inlustrium Romanorum ob rem publicam obisse, neminem tam flagranti desiderio celebratum. Idque et sibi et cunctis egregium, si modus adiceretur. Non enim eadem decora principibus viris et imperatori populo, quae modicis domibus aut civitatibus. Convenisse recenti dolori luctum et ex maerore solacia; sed referendum iam animum ad firmitudinem, ut quondam divus Iulius amissa unica filia, ut divus Augustus ereptis nepotibus abstruserint tristitiam. Nil opus vetustioribus exemplis, quotiens populus Romanus clades exercituum, interitum ducum, funditus amissas nobiles familias constanter tulerit. Principes mortales, rem publicam aeternam esse. Proin repeterent sollemnia; et quia ludorum Megalesium spectaculum suberat, etiam voluptates resumerent.

7 Tum exuto iustitio reditum ad munia; et Drusus Illyricos ad exercitus profectus est, erectis omnium animis spe petendae e Pisone ultionis et crebro questu, quod vagus interim per amoena Asiae atque Achaiae adroganti et subdola mora scelerum probationes subverteret. Nam vulgatum erat missam, ut dixi, a Cn. Sentio famosam veneficiis Martinam subita morte Brundisii extinctam, venenumque nodo crinium eius occultatum, nec ulla in corpore signa sumpti exitii re-
8 perta. At Piso, praemisso in urbem filio datisque mandatis per quae principem molliret, ad Drusum pergit, quem haud fratris interitu trucem quam remoto aemulo aequiorem sibi sperabat. Tiberius quo integrum iudicium ostentaret, exceptum comiter iuvenem sueta erga filios familiarum nobiles liberalitate auget. Drusus Pisoni, si vera forent quae iacerentur, praecipuum in dolore suum locum respondit: sed

2 uiam *Pluygers* 3 propositam *Muretus* 10 que *pr* 17 aeterna m 18 sollemniae (solemnia *B)* me galesiũ *(sic)* 20 exsuto 21 spe petendae *Freinsheim* : petendae 22 *malim* de Pisone quaestu 25 a Cn.] ·A·C·N·

malle falsa et inania nec cuiquam mortem Germanici exitiosam esse. Haec palam et vitato omni secreto; neque dubitabantur praescripta ei a Tiberio, cum incallidus alioqui et facilis iuventa senilibus tum artibus uteretur. Piso, Del- 9
matico mari tramisso relictisque aput Anconam navibus, per Picenum ac mox Flaminiam viam adsequitur legionem, quae e Pannonia in urbem, dein praesidio Africae ducebatur: eaque res agitata rumoribus, ut in agmine atque itinere crebro se militibus ostentavisset. Ab Narnia, vitandae suspitionis, an quia pavidis consilia in incerto sunt, Nare ac mox Tiberi devectus auxit vulgi iras, quia navem tumulo Caesarum adpulerat dieque et ripa frequenti, magno clientium agmine ipse, feminarum comitatu Plancina, et vultu alacres incessere. Fuit inter inritamenta invidiae domus foro imminens, festa ornatu, conviviumque et epulae et celebritate loci nihil occultum. Postera die Fulcinius Trio 10
Pisonem aput consules postulavit. Contra Vitellius ac Veranius ceterique Germanicum comitati tendebant, nullas esse partis Trioni; neque se accusatores, sed rerum indices et testes mandata Germanici perlaturos. Ille dimissa eius causae delatione, ut priorem vitam accusaret obtinuit, petitumque est a principe cognitionem exciperet. Quod ne reus quidem abnuebat, studia populi et patrum metuens: contra Tiberium spernendis rumoribus validum et conscientiae matris innexum esse; veraque aut in deterius credita iudice ab uno facilius discerni, odium et invidiam aput multos valere. Haud fallebat Tiberium moles cognitionis quaque ipse fama distraheretur. Igitur paucis familiarium adhibitis minas accusantium et hinc preces audit, integramque causam ad senatum remittit. Atque interim Drusus rediens Illyrico, quam- 11
quam patres censuissent ob receptum Maroboduum et res priore aestate gestas ut ovans iniret, prolato honore urbem intravit. Post quae reo L. Arruntium, P. Vinicium, Asinium Gallum, Aeserninum Marcellum, Sex. Pompeium patronos

3 ei *L*: et alio qui 4 Dalmatico *B* 7 inde *Wurm* 15 festo *L* 18 *immo* contendebant 19 accussatores 20 ille *B*: illa 23 patruũ 27 moles *R*: molis 33 L. Arruntium *Nic. Faber ad Senecae Contr.* II 13: T arruntium P. Vinicium *Borghesi*: fulnicium

petenti, iisque diversa excusantibus, M'. Lepidus et L. Piso et Livineius Regulus adfuere, arrecta omni civitate, quanta fides amicis Germanici, quae fiducia reo; satin cohiberet ac premeret sensus suos Tiberius. Is haud alias intentior, populus plus sibi in principem occultae vocis aut suspicacis
12 silentii permisit. Die senatus Caesar orationem habuit meditato temperamento. Patris sui legatum atque amicum Pisonem fuisse, adiutoremque Germanico datum a se auctore senatu rebus apud Orientem administrandis. Illic contumacia et certaminibus asperasset iuvenem exituque eius laetatus esset, an scelere extinxisset, integris animis diiudicandum. 'Nam si legatus officii terminos, obsequium erga imperatorem exuit, eiusdemque morte et luctu meo laetatus est, odero seponamque a domo mea et privatas inimicitias non vi principis ulciscar: sin facinus in cuiuscumque mortalium nece vindicandum detegitur, vos vero et liberos Germanici et nos parentes iustis solaciis adficite. Simulque illud reputate, turbide et seditiose tractaverit exercitus Piso, quaesita sint per ambitionem studia militum, armis repetita provincia, an falsa haec in maius vulgaverint accusatores, quorum ego nimiis studiis iure suscenseo. Nam quo pertinuit nudare corpus et contrectandum vulgi oculis permittere, differrique etiam per externos tamquam veneno interceptus esset, si incerta adhuc ista et scrutanda sunt? defleo equidem filium meum semperque deflebo: sed neque reum prohibeo quo minus cuncta proferat, quibus innocentia eius sublevari aut, si qua fuit iniquitas Germanici, coargui possit, vosque oro ne, quia dolori meo causa conexa est, obiecta crimina pro adprobatis accipiatis. Si quos propinquus sanguis aut fides sua patronos dedit, quantum quisque eloquentia et cura valet, iuvate periclitantem: ad eundem laborem, eandem constantiam accusatores hortor. Id solum Germanico super leges praestiterimus, quod in curia potius quam

1 M'. *L ad* 3 35 *et Borghesi* : M lepedus 2 Liuineius *Ryck* : liueneius arrecta *B* : arecta 4 praemeret Tiberius. is *Pichena* : tiberius. ac p̄meret is (Tiberius, an promeret. Iis *B*) 7 temperamento *R* : temperamenta 13 exsuit luctū eo 14 non ui *Muretus et Faernus* : noui 20 Ī maius 27 autsi qua

in foro, aput senatum quam aput iudices de morte eius anquiritur: cetera pari modestia tractentur. Nemo Drusi lacrimas, nemo maestitiam meam spectet, nec siqua in nos adversa finguntur.' Exim biduum criminibus obiciendis statui- 13
tur, utque sex dierum spatio interiecto reus per triduum defenderetur. Tum Fulcinius vetera et inania orditur, ambitiose avareque habitam Hispaniam; quod neque convictum noxae reo, si recentia purgaret, neque defensum absolutioni erat, si teneretur maioribus flagitiis. Post quae Servaeus et Veranius et Vitellius consimili studio, et multa eloquentia Vitellius, obiecere odio Germanici et rerum novarum studio Pisonem vulgus militum per licentiam et sociorum iniurias eo usque conrupisse, ut parens legionum a deterrimis appellaretur: contra in optimum quemque, maxime in comites et amicos Germanici saevisse; postremo ipsum devotionibus et veneno peremisse; sacra hinc et immolationes nefandas ipsius atque Plancinae, petitam armis rem publicam, utque reus agi posset, acie victum. Defensio in ceteris trepidavit: nam 14
neque ambitionem militarem neque provinciam pessimo cuique obnoxiam, ne contumelias quidem adversum imperatorem infitiari poterat: solum veneni crimen visus est diluisse, quod ne accusatores quidem satis firmabant, in convivio Germanici, cum super eum Piso discumberet, infectos manibus eius cibos arguentes. Quippe absurdum videbatur inter aliena servitia et tot adstantium visu, ipso Germanico coram, id ausum; offerebatque familiam reus et ministros in tormenta flagitabat. Sed iudices per diversa implacabiles erant, Caesar ob bellum provinciae inlatum, senatus numquam satis credito sine fraude Germanicum interisse . . . . scripsissent, expostulantes; quod haud minus Tiberius quam Piso abnuere. Simul populi ante curiam voces audiebantur: non temperaturos manibus, si patrum senten-

4 eximbiduum 9 quae *Baiter* : q; (quem *R)* 10 sed m. *R* 19 cuique *R* : cui 21 cremen 25 uisus *Pichena* 29 interisse .... scripsissent *Ferettus* : interisse scripsissent (interisse; accusatoresque intendere suspitiones, proferri quae Piso et Plancina ad principem Liuiamque scripsissent, expostulantes; *sic fere sententiam explererim*)

tias evasisset. Effigiesque Pisonis traxerant in Gemonias ac divellebant, ni iussu principis protectae repositaeque forent. Igitur inditus lecticae et a tribuno praetoriae cohortis deductus est, vario rumore, custos saluti an mortis exac-
15 tor sequeretur. Eadem Plancinae invidia, maior gratia; eoque ambiguum habebatur quantum Caesari in eam liceret. Atque ipsa, donec mediae Pisoni spes, sociam se cuiuscumque fortunae et, si ita *fors* ferret, comitem exitii promittebat: ut secretis Augustae precibus veniam obtinuit, paulatim segregari a marito, dividere defensionem coepit. Quod reus postquam sibi exitiabile intellegit, an adhuc experiretur dubitans, hortantibus filiis durat mentem senatumque rursum ingreditur; redintegratamque accusationem, infensas patrum voces, adversa et saeva cuncta perpessus, nullo magis exterritus est quam quod Tiberium sine miseratione, sine ira, obstinatum clausumque vidit, ne quo adfectu perrumperetur. Relatus domum, tamquam defensionem in posterum meditaretur, pauca conscribit obsignatque et liberto tradit; tum solita curando corpori exequitur. Dein multam post noctem, egressa cubiculo uxore, operiri fores iussit; et coepta luce perfosso iugulo, iacente humi gladio, repertus est.

16 Audire me memini ex senioribus visum saepius inter manus Pisonis libellum, quem ipse non vulgaverit; sed amicos eius dictitavisse, litteras Tiberii et mandata in Germanicum contineri, ac destinatum promere apud patres principemque arguere, ni elusus a Seiano per vana promissa foret; nec illum sponte extinctum, verum inmisso percussore. Quorum neutrum adseveraverim: neque tamen occulere debui narratum ab iis qui nostram ad iuventam duraverunt. Caesar flexo in maestitiam ore suam invidiam tali morte quaesitam aput senatum *questus M. Pisonem accersi iubet*, crebrisque

2 deuellebant *Ernesti* principiis 4 mortes 8 *fors ferret : ferret (cf. H. 2 44)* 9 auguste p̃cibus 13 infensas *B* : anfensas 14 uoces *B* : uocis 20 cupiculo 21 repertus *B* : refertus 30 maestitia more 31 *senatum questus M. Pisonem accersi iubet, crebrisque : senatum crebrisque (senatum ... crebrisque *Bothorn*, senatum. M. Pisone coram, queritur, crebrisque *ego in priore ed.*, senatum conquestus M. Pisonem uocari iubet in senatum crebrisque *Weissenborn*)

interrogationibus exquirit, qualem Piso diem supremum noctemque exegisset. Atque illo pleraque sapienter, quaedam inconsultius respondente, recitat codicillos a Pisone in hunc ferme modum compositos: 'conspiratione inimicorum et invidia falsi criminis oppressus, quatenus veritati et innocentiae meae nusquam locus est, deos immortales testor vixisse me, Caesar, cum fide adversum te, neque alia in matrem tuam pietate; vosque oro liberis meis consulatis, ex quibus Cn. Piso qualicumque fortunae meae non est adiunctus, cum omne hoc tempus in urbe egerit, M. Piso repetere Syriam dehortatus est. Atque utinam ego potius filio iuveni quam ille patri seni cessisset. Eo inpensius precor ne meae pravitatis poenas innoxius luat. Per quinque et quadraginta annorum obsequium, per collegium consulatus quondam divo Augusto parenti tuo probatus et tibi amicus nec quicquam post haec rogaturus salutem infelicis filii rogo.' De Plancina nihil addidit. Post quae Tiberius adulescentem crimine civilis 17
belli purgavit, patris quippe iussa nec potuisse filium detrectare, simul nobilitatem domus, etiam ipsius quoquo modo meriti gravem casum miseratus. Pro Plancina cum pudore et flagitio disseruit, matris preces obtendens, in quam optimi cuiusque secreti questus magis ardescebant. Id ergo fas aviae, interfectricem nepotis adspicere adloqui, eripere senatui? Quod pro omnibus civibus leges obtineant, uni Germanico non contigisse. Vitellii et Veranii voce defletum Caesarem, ab imperatore et Augusta defensam Plancinam. Proinde venena et artes tam feliciter expertas verteret in Agrippinam, in liberos eius, egregiamque aviam ac patruum sanguine miserrimae domus exsatiaret. Biduum super hac imagine cognitionis absumptum, urgente Tiberio liberos Pisonis matrem uti tuerentur. Et cum accusatores ac testes certatim perorarent respondente nullo, miseratio quam invidia augebatur. Primus sententiam rogatus Aurelius Cotta consul (nam referente Caesare magistratus eo etiam munere fungebantur) nomen Pisonis eradendum fastis censuit, partem bonorum publi-

2 ad quae *Heinsius* 9 C· N· 14 duo 15 amicos 26 proinde *R*: Perinde 29 hac *Ryck*: haec 33 cõs. referente *B*: refente 35 eradendum *Baiter*: radendum

candam, pars ut Cn. Pisoni filio concederetur isque praenomen mutaret; M. Piso exuta dignitate et accepto quinquagies sestertio in decem annos relegaretur, concessa Planci-
18 nae incolumitate ob preces Augustae. Multa ex ea sententia mitigata sunt a principe: ne nomen Pisonis fastis eximeretur, quando M. Antonii, qui bellum patriae fecisset, Iuli Antonii, qui domum Augusti violasset, manerent. Et M. Pisonem ignominiae exemit concessitque ei paterna bona, satis firmus, ut saepe memoravi, adversum pecuniam et tum pudore absolutae Plancinae placabilior. Atque idem, cum Valerius Messalinus signum aureum in aede Martis Vltoris, Caecina Severus aram Vltioni statuendam censuissent, prohibuit, ob externas ea victorias sacrari dictitans, domestica mala tristitia operienda. Addiderat Messalinus Tiberio et Augustae et Antoniae et Agrippinae Drusoque ob vindictam Germanici grates agendas, omiseratque Claudii mentionem. Et Messalinum quidem L. Asprenas senatu coram percunctatus est an prudens praeterisset; ac tum demum nomen Claudii adscriptum est. Mihi, quanto plura recentium seu veterum revolvo, tanto magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis obversantur. Quippe fama spe veneratione potius omnes destinabantur imperio quam quem futurum prin-
19 cipem Fortuna in occulto tenebat. Paucis post diebus Caesar auctor senatui fuit Vitellio atque Veranio et Servaeo sacerdotia tribuendi: Fulcinio suffragium ad honores pollicitus monuit ne facundiam violentia praecipitaret. Is finis fuit ulciscenda Germanici morte, non modo aput illos homines qui tum agebant, etiam secutis temporibus vario rumore iactata. Adeo maxima quaeque ambigua sunt, dum alii quoquo modo audita pro conpertis habent, alii vera in contrarium vertunt, et gliscit utrumque posteritate. At Drusus

1 C· N· 2 exsuta 3 relegaretur *L*: religatur 6 Iuli *L*: iulii 8 paterna paterna 9 et tum *B*: etdum 10 blancinae 12 ultionis *Halm* 13 uictorias *R*: uictoria 17 Asprenas *B*: aspernas 19 quanto quanto 22 oñs 24 Veranio *B*: uaraṇo 27 in ulciscenda *Halm* 30 audita *L et margo*: audire (quae quoquo modo audiere *Weissenborn*) 31 gliscii

urbe egressus repetendis auspiciis mox ovans introiit. Paucosque post dies Vipsania, mater eius, excessit, una omnium Agrippae liberorum miti obitu. Nam ceteros manifestum ferro vel creditum est veneno aut fame extinctos.

Eodem anno Tacfarinas, quem priore aestate pulsum a Camillo memoravi, bellum in Africa renovat, vagis primum populationibus et ob pernicitatem inultis, dein vicos excindere, trahere graves praedas; postremo haud procul Pagyda flumine cohortem Romanam circumsedit. Praeerat castello Decrius, impiger manu, exercitus militia et illam obsidionem flagitii ratus. Is cohortatus milites ut copiam pugnae in aperto facerent, aciem pro castris instruit. Primoque impetu pulsa cohorte, promptus inter tela occursat fugientibus, increpat signiferos quod inconditis aut desertoribus miles Romanus terga daret; simul excepta vulnera, et, quamquam transfosso oculo, adversum os in hostem intendit, neque proelium omisit, donec desertus suis caderet. Quae post- 21 quam L. Apronio (nam Camillo successerat) comperta, magis dedecore suorum quam gloria hostis anxius, raro ea tempestate et e vetere memoria facinore decumum quemque ignominiosae cohortis sorte ductos fusti necat. Tantumque severitate profectum, ut vexillum veteranorum, non amplius quam quingenti numero, easdem Tacfarinatis copias praesidium cui Thala nomen adgressas fuderint. Quo proelio Rufus Helvius, gregarius miles, servati civis decus rettulit, donatusque est ab Apronio torquibus et hasta. Caesar addidit civicam coronam, quod non eam quoque Apronius iure proconsulis tribuisset, questus magis quam offensus. Sed Tacfarinas perculsis Numidis et obsidia aspernantibus spargit bellum, ubi instaretur, cedens ac rursum in terga remeans. Et dum ea ratio barbaro fuit, inritum fessumque Romanum impune ludificabatur: postquam deflexit ad maritimos locos,

2 uipstania 3 miti *B* : mitti 6 inafriare nouat 7 excincedere 10 *fortasse* Decrius tribunus 14 inconditis *B* : incodicis romanis 15 exceptat *Iul. Held* 21 fusti *Pichena* (fuste *B*) : eusti 23 quam quingenti *Weissenborn* : quam genti (quingenti *B*) 24 quo in *potius* proelio *B* : ꝙ filio 25 gragarius 28 quaestus

inligatusque praeda stativis castris adhaerebat, missu patris Apronius Caesianus cum equite et cohortibus auxiliariis, quis velocissimos legionum addiderat, prosperam adversum Numidas pugnam facit pellitque in deserta.

22 At Romae Lepida, cui super Aemiliorum decus L. Sulla et Cn. Pompeius proavi erant, defertur simulavisse partum ex P. Quirinio, divite atque orbo. Adiciebantur adulteria venena, quaesitumque per Chaldaeos in domum Caesaris, defendente ream Manio Lepido fratre. Quirinius post dictum repudium adhuc infensus quamvis infami ac nocenti miserationem addiderat. Haud facile quis dispexerit illa in cognitione mentem principis: adeo vertit ac miscuit irae et clementiae signa. Deprecatus primo senatum ne maiestatis crimina tractarentur, mox M. Servilium e consularibus aliosque testes inlexit ad proferenda quae velut reicere voluerat. Idemque servos Lepidae, cum militari custodia haberentur, transtulit ad consules neque per tormenta interrogari passus est de iis quae ad domum suam pertinerent. Exemit etiam Drusum, consulem designatum, dicendae primo loco sententiae; quod alii civile rebantur, ne ceteris adsentiendi necessitas fieret, quidam ad saevitiam trahebant: neque enim ces-
23 surum nisi damnandi officio. Lepida ludorum diebus, qui cognitionem intervenerant, theatrum cum claris feminis ingressa, lamentatione flebili maiores suos ciens ipsumque Pompeium, cuius ea monimenta et adstantes imagines visebantur, tantum misericordiae permovit, ut effusi in lacrimas saeva et detestanda Quirinio clamitarent, cuius senectae atque orbitati et obscurissimae domui destinata quondam uxor L. Caesari ac divo Augusto nurus dederetur. Dein tormentis servorum patefacta sunt flagitia, itumque in sententiam Rubellii Blandi, a quo aqua atque igni arcebatur. Huic

1 inligatusque *Walther* (et inl. *Haase*) : inligatus adherebat 2 Apronius *B* : acꝓnius 3 aduersã 5 emiliorum 6 C· N· 7 adiecebantur (adiicebantur *B*, adiiciebantur *R*) 8 chaldeos 15 proferenda *B* : ꝓfenda reicere] reticere *B*, reticeri *Acidalius*, nescire *Nipperdey* 16 lapidae 18 est Dĩis 19 sententiae *B* : sentiae 24 ciens *B* : sciens 26 misericordiae *L* : misericordia 30 flagitia, itumque *B* : flagitiatumque 31 Rubellii *B* : rubelli adque igni

Drusus adsensit, quamquam alii mitius censuissent. Mox *Mamerco* Scauro, qui filiam ex ea genuerat, datum ne bona publicarentur. Tum demum aperuit Tiberius conpertum sibi etiam ex P. Quirinii servis veneno eum a Lepida petitum.

Inlustrium domuum adversa (etenim haud multum dis- 24
tanti tempore Calpurnii Pisonem, Aemilii Lepidam amiserant) solacio adfecit D. Silanus Iuniae familiae redditus. Casum eius paucis repetam. Vt valida divo Augusto in rem publicam fortuna, ita domi inprospera fuit ob inpudicitiam filiae ac neptis, quas urbe depulit adulterosque earum morte aut fuga punivit. Nam culpam inter viros ac feminas vulgatam gravi nomine laesarum religionum ac violatae maiestatis appellando clementiam maiorum suasque ipse leges egrediebatur. Sed aliorum exitus, simul cetera illius aetatis memorabo, si effectis in quae tetendi plures ad curas vitam produxero. D. Silanus in nepti Augusti adulter, quamquam non ultra foret saevitum quam ut amicitia Caesaris prohiberetur, exilium sibi demonstrari intellexit, nec nisi Tiberio imperitante deprecari senatum ac principem ausus est M. Silani fratris potentia, qui per insignem nobilitatem et eloquentiam praecellebat. Sed Tiberius gratis agenti Silano, patribus coram, respondit se quoque laetari, quod frater eius e peregrinatione longinqua revertisset; idque iure licitum, quia non senatus consulto, non lege pulsus foret: sibi tamen adversus eum integras parentis sui offensiones, neque reditu Silani dissoluta quae Augustus voluisset. Fuit posthac in urbe neque honores adeptus est.

Relatum deinde de moderanda Papia Poppaea, quam 25
senior Augustus post Iulias rogationes incitandis caelibum poenis et augendo aerario sanxerat. Nec ideo coniugia et educationes liberum frequentabantur, praevalida orbitate:

2 *Mamerco : *om* (cf. 1 13, 3 31 *et* 66, 6 15 *et* 35) 4 Quirinii *B* : quirini *(sic)* 5 etenim *Mercerus* : adenim 7 solatio *(praeter h. l. prior Mediceus* 4 8 solatiae *pro* solacia e *habet, sed ceteris locis omnibus et prior et alter* solacium *cet. scribunt)* 15 tetendi *Ernesti* : tendi (intendi *Heinsius*) 20 fratris fretus *Bezzenberger* 26 post hac 28 poppae aquam

ceterum multitudo periclitantium gliscebat, cum omnes domus delatorum interpretationibus subverterentur, utque antehac flagitiis, ita tunc legibus laborabatur. Ea res admonet ut de principiis iuris, et quibus modis ad hanc multitudinem infinitam ac varietatem legum perventum sit, altius disseram.

26 Vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoque sine poena aut coercitionibus agebant. Neque praemiis opus erat, cum honesta suopte ingenio peterent, et ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At postquam exui aequalitas et pro modestia ac pudore ambitio et vis incedebat, provenere dominationes multosque apud populos aeternum mansere. Quidam statim, aut postquam regum pertaesum, leges maluerunt. Eae primo rudibus hominum animis simplices erant; maximeque fama celebravit Cretensium, quas Minos, Spartanorum, quas Lycurgus, ac mox Atheniensibus quaesitiores iam et plures Solo perscripsit. Nobis Romulus, ut libitum, imperitaverat: dein Numa religionibus et divino iure populum devinxit, repertaque quaedam a Tullo et Anco. Sed praecipuus Servius Tullius sanctor legum fuit, quis etiam reges obtempe-

27 rarent. Pulso Tarquinio adversum patrum factiones multa populus paravit tuendae libertatis et firmandae concordiae; creatique decemviri et, accitis quae usquam egregia, compositae duodecim tabulae, finis aequi iuris. Nam secutae leges etsi aliquando in maleficos ex delicto, saepius tamen dissensione ordinum et apiscendi inlicitos honores aut pellendi claros viros, aliaque ob prava, per vim latae sunt. Hinc Gracchi et Saturnini turbatores plebis, nec minor largitor nomine senatus Drusus; corrupti spe aut inlusi per intercessionem socii. Ac ne bello quidem Italico, mox civili omissum quin multa et diversa sciscerentur, donec L. Sulla dictator abolitis vel conversis prioribus, cum plura addidisset, otium eius

1 omnes — subuerterentur *L* : omnis — subuerteretur 2 interpraetationibus utquae ante hac 7 coercitionib; 8 premiis peterent *Vrsinus* : peterentur 9 morem *B* : mortem 10 exsui 11 incedebat, prouenere *L* : incidebat, prouenire 13 Eae primo *Halm* : aeprimo (Hae primo *B*) 15 Minos *B* : minus 16 lygurgus *fortasse* quas quaesitiores 17 utlibitum 19 Anco *B* : ango precipuus 24 tabule 28 *malim* minus 32 ei *R*

rei haud in longum paravit, statim turbidis Lepidi rogationibus, neque multo post tribunis reddita licentia, quoquo vellent, populum agitandi. Iamque non modo in commune, sed in singulos homines latae quaestiones, et corruptissima re publica plurimae leges. Tum Cn. Pompeius tertium consul, 28 corrigendis moribus delectus, et gravior remediis quam delicta erant, suarumque legum auctor idem ac subversor, quae armis tuebatur, armis amisit. Exin continua per viginti annos discordia, non mos, non ius; deterrima quaeque inpune ac multa honesta exitio fuere. Sexto demum consulatu Caesar Augustus, potentiae securus, quae triumviratu iusserat abolevit, deditque iura, quis pace et principe uteremur. Acriora ex eo vincla, inditi custodes et lege Papia Poppaea praemiis inducti, ut, si a privilegiis parentum cessaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret. Sed altius penetrabant urbemque et Italiam et quod usquam civium corripuerant, multorumque excisi status. Et terror omnibus intentabatur, ni Tiberius statuendo remedio quinque consularium, quinque e praetoriis, totidem e cetero senatu sorte duxisset, aput quos exsoluti plerique legis nexus modicum in praesens levamentum fuere.

Per idem tempus Neronem, e liberis Germanici, iam in- 29 gressum iuventam, commendavit patribus, utque munere capessendi vigintiviratus solveretur et quinquennio maturius quam per leges quaesturam peteret, non sine inrisu audientium postulavit. Praetendebat sibi atque fratri decreta eadem petente Augusto. Sed neque tum fuisse dubitaverim, qui eius modi preces occulti inluderent: ac tamen initia fastigii Caesaribus erant magisque in oculis vetus mos, et privignis cum vitrico levior necessitudo quam avo adversum nepotem. Additur pontificatus et, quo primum die forum ingressus est, congiarium plebi admodum laetae, quod Germanici stirpem iam puberem aspiciebat. Auctum dehinc gaudium

5 C· N· 6 sed *Pluygers* delecta 8 ex in 9 in pune 14 ut, si *Muretus et L* : uisi 15 *fortasse* accusatores altius 25 quaesturam *Ernesti* : quaesituram 28 fastigii *B* : fastidii 32 congiarium *(sic)* laete 33 aspiciebant *Heinsius*

nuptiis Neronis et Iuliae, Drusi filiae. Vtque haec secundo rumore, ita adversis animis acceptum, quod filio Claudii socer Seianus destinaretur. Polluisse nobilitatem familiae videbatur suspectumque iam nimiae spei Seianum ultra extulisse.

30 Fine anni concessere vita insignes viri L. Volusius et Sallustius Crispus. Volusio vetus familia neque tamen praeturam egressa: ipse consulatum intulit, censoria etiam potestate legendis equitum decuriis functus, opumque, quis domus illa inmensum viguit, primus adcumulator. Crispum equestri ortum loco C. Sallustius, rerum Romanarum florentissimus auctor, sororis nepotem in nomen adscivit. Atque ille, quamquam prompto ad capessendos honores aditu, Maecenatem aemulatus sine dignitate senatoria multos triumphalium consulariumque potentia anteiit, diversus a veterum instituto per cultum et munditias, copiaque et affluentia luxui propior. Suberat tamen vigor animi ingentibus negotiis par, eo acrior, quo somnum et inertiam magis ostentabat. Igitur incolumi Maecenate proximus, mox praecipuus cui secreta imperatorum inniterentur, et interficiendi Postumi Agrippae conscius, aetate provecta speciem magis in amicitia principis quam vim tenuit. Idque et Maecenati acciderat, fato potentiae raro sempiternae, an satias capit aut illos, cum omnia tribuerunt, aut hos, cum iam nihil reliquum est quod cupiant.

31 Sequitur Tiberii quartus, Drusi secundus consulatus, A. Ch. 21 patris atque filii collegio insignis. [Nam biennio ante Germanici cum Tiberio idem honor neque patruo laetus neque natura tam conexus fuerat.] Eius anni principio Tiberius quasi firmandae valitudini in Campaniam concessit, longam et continuam absentiam paulatim meditans, sive ut amoto patre Drusus munia consulatus solus impleret. Ac forte parva res magnum ad certamen progressa praebuit iuveni materiem

1 utquae secundo rumore *B* : secundorum more 4 uidebatur *Gronovius* : uidebantur ultra] ultro *Frobeniana* 11 equestrior. tum ·C· *pr* : ·G· *corr* Romanarum *R* : romanorum 16 affluentia *B* : afluentia *luxui : luxu 26 tiberi 27 *[nam biennio — fuerat] 29 connexis *Gronovius*

apiscendi favoris. Domitius Corbulo, praetura functus, de L. Sulla, nobili iuvene, questus est apud senatum, quod sibi inter spectacula gladiatorum loco non decessisset. Pro Corbulone aetas, patrius mos, studia seniorum erant: contra Mamercus Scaurus et L. Arruntius aliique Sullae propinqui nitebantur. Certabantque orationibus, et memorabantur exempla maiorum, qui iuventutis inreverentiam gravibus decretis notavissent, donec Drusus apta temperandis animis disseruit; et satisfactum Corbuloni per Mamercum, qui patruus simul ac vitricus Sullae et oratorum ea aetate uberrimus erat. Idem Corbulo plurima per Italiam itinera fraude mancipum et incuria magistratuum interrupta et inpervia clamitando, exsecutionem eius negotii libens suscepit; quod haud perinde publice usui habitum quam exitiosum multis, quorum in pecuniam atque famam damnationibus et hasta saeviebat.

Neque multo post missis ad senatum litteris Tiberius 32
motam rursum Africam incursu Tacfarinatis docuit, iudicioque patrum deligendum pro consule gnarum militiae, corpore validum et bello suffecturum. Quod initium Sex. Pompeius agitandi adversus Marcum Lepidum odii nanctus, ut socordem inopem, et maioribus suis dedecorum, eoque etiam Asiae sorte depellendum incusavit, adverso senatu, qui Lepidum mitem magis quam ignavum, paternas ei angustias et nobilitatem sine probro actam honori quam ignominiae habendam ducebat. Igitur missus in Asiam, et de Africa decretum ut Caesar legeret cui mandanda foret. Inter 33
quae Severus Caecina censuit ne quem magistratum, cui provincia obvenisset, uxor comitaretur, multum ante repetito concordem sibi coniugem et sex partus enixam, seque quae in publicum statueret domi servavisse, cohibita intra Italiam, quamquam ipse pluris per provincias quadraginta stipendia explevisset. Haut enim frustra placitum olim ne feminae in socios aut gentes externas traherentur: inesse

8 notauissent *B* : notauisset 10 ea *Ferretus* : om 21 nanctus
23 Lepidum mitem *B* : lepidum. Item 27 Inter quae *B* : Interq ;
28 ne quem *B* : neq; 29 comit|teretur 32 quadraginti

mulierum comitatui quae pacem luxu, bellum formidine morentur, et Romanum agmen ad similitudinem barbari incessus convertant. Non inbecillum tantum et inparem laboribus sexum, sed si licentia adsit, saevum ambitiosum, potestatis avidum; incedere inter milites, habere ad manum centuriones; praesedisse nuper feminam exercitio cohortium, decursui legionum. Cogitarent ipsi, quotiens repetundarum aliqui arguerentur, plura uxoribus obiectari; his statim adhaerescere deterrimum quemque provincialium, ab his negotia suscipi transigi; duorum egressus coli, duo esse praetoria, pervicacibus magis et inpotentibus mulierum iussis, quae Oppiis quondam aliisque legibus constrictae, nunc vinclis
34 exsolutis domos fora, iam et exercitus regerent. Paucorum haec adsensu audita: plures obturbabant, neque relatum de negotio neque Caecinam dignum tantae rei censorem. Mox Valerius Messalinus, cui parens Messala ineratque imago paternae facundiae, respondit multa duritia e veterum in melius et laetius mutata: neque enim, ut olim, adsidere urbem bellis aut provincias hostilis esse. Et pauca feminarum necessitatibus concedi, quae ne coniugum quidem penates, adeo socios non onerent; cetera promisca cum marito, nec ullum in eo pacis impedimentum. Bella plane accinctis obeunda: sed revertentibus post laborem quod honestius quam uxorium levamentum? At quasdam in ambitionem aut avaritiam prolapsas. Quid? ipsorum magistratuum nonne plerosque variis libidinibus obnoxios? Non tamen ideo neminem in provinciam mitti. Corruptos saepe pravitatibus uxorum maritos: num ergo omnis caelibes integros? Placuisse quondam Oppias leges, sic temporibus rei publicae postulantibus: remissum aliquid postea et mitigatum, quia expedierit. Frustra nostram ignaviam alia ad vocabula transferri:

1 que 4 licencia 7 *decursui : decursu 8 adherescere 11 inpotentibus 13 exsolutae *Acidalius* 16 Messala] *v. ad* 1 8 17 patenae *duritia e : duritiae (e duritie *Ernesti*, a duritie *Muretus*) in *Muretus* : om 18 adsidere *Haase* : absidere (adsideri *Baiter*) 19 esse : et *B* : esset et 20 pinates 22 accinctus 24 ad 30 aliquit

nam viri in eo culpam, si femina modum excedat. Porro ob unius aut alterius inbecillum animum male eripi maritis consortia rerum secundarum adversarumque. Simul sexum natura invalidum deseri et exponi suo luxui, cupidinibus alienis. Vix praesenti custodia manere inlaesa coniugia: quid fore, si per plures annos in modum discidii obliterentur? Sic obviam irent iis quae alibi peccarentur, ut flagitiorum urbis meminissent. Addidit pauca Drusus de matrimonio suo: nam principibus adeunda saepius longinqua imperii. Quotiens divum Augustum in Occidentem atque Orientem meavisse comite Livia! Se quoque in Illyricum profectum et, si ita conducat, alias ad gentes iturum, haud semper aequo animo, si ab uxore carissima et tot communium liberorum parente divelleretur. Sic Caecinae sententia elusa est.

35 Proximi senatus die Tiberius per litteras, castigatis oblique patribus quod cuncta curarum ad principem reicerent, M'. Lepidum et Iunium Blaesum nominavit, ex quis pro consule Africae legeretur. Tum audita amborum verba, intentius excusante se Lepido, cum valitudinem corporis, aetatem liberum, nubilem filiam obtenderet, intellegeretur-que etiam quod silebat, avunculum esse Seiani Blaesum atque eo praevalidum. Respondit Blaesus specie recusantis, sed neque eadem adseveratione, et consensu adulantium adiutus est.

36 Exim promptum quod multorum intimis questibus tegebatur. Incedebat enim deterrimo cuique licentia impune probra et invidiam in bonos excitandi arrepta imagine Caesaris; libertique etiam ac servi patrono vel domino, cum voces, cum manus intentarent, ultro metuebantur. Igitur C. Cestius senator disseruit principes quidem instar deorum esse, sed neque a deis nisi iustas supplicum preces audiri, neque quemquam in Capitolium aliave urbis templa perfu-

4 *luxui : luxu 8 principibus *B* : principus 14 sentia elusa est *Freinsheim* : elusa . et 15 proximo *Freinsheim et Pluygers, sed cf. H.* 4 44 : proximo senatu 17 M'. *L et Borghesi* : M 7 consule 21 Seiani *B* : se iam 23 adiutus *Gronovius* : haut iustus (auditus *B*, haud iutus *Iac. Gronovius)* 25 Exim promptum *(sic)* questibus *B* : quaestibus 31 *deis : diis

gere, ut eo subsidio ad flagitia utatur. Abolitas leges et funditus versas, ubi in foro, in limine curiae ab Annia Rufilla, quam fraudis sub iudice damnavisset, probra sibi et minae intendantur, neque ipse audeat ius experiri ob effigiem imperatoris oppositam. Hau dissimilia alii et quidam atrociora circumstrepebant, precabanturque Drusum daret ultionis exemplum, donec accitam convictamque *Anniam* attineri
37 publica custodia iussit. Et Considius Aequus et Caelius Cursor, equites Romani, quod fictis maiestatis criminibus Magium Caecilianum praetorem petivissent, auctore principe ac decreto senatus puniti. Vtrumque in laudem Drusi trahebatur: ab eo in urbe, inter coetus et sermones hominum obversante, secreta patris mitigari. Neque luxus in iuvene adeo displicebat: huc potius intenderet, diem aedificationibus, noctem conviviis trahere, quam *ut* solus et nullis voluptatibus
38 avocatus maestam vigilantiam et malas curas exerceret. Non enim Tiberius, non accusatores fatiscebant. Et Ancharius Priscus Caesium Cordum, pro consule Cretae, postulaverat repetundis, addito maiestatis crimine, quod tum omnium accusationum complementum erat. Caesar Antistium Veterem, e primoribus Macedoniae, absolutum adulterii, increpitis iudicibus ad dicendam maiestatis causam retraxit, ut turbidum et Rhescuporidis consiliis permixtum, qua tempestate Cotye [fratre] interfecto bellum adversus nos volverat. Igitur aqua et igni interdictum reo, adpositumque ut teneretur insula neque Macedoniae neque Thraeciae opportuna.

Nam Thraecia diviso imperio in Rhoemetalcen et liberos Cotyis, quis ob infantiam tutor erat Trebellienus Rufus, insolentia nostri discors agebat, neque minus Rhoemetalcen quam Trebellienum incusans popularium iniurias inultas sinere. Coelaletae Odrusaeque et Dii, validae nationes, arma cepere, ducibus diversis et paribus inter se per igno-

5 haudissimilia 7 *Anniam attineri : attineri 11 trahebatur *B*: trabatur 15 traheret *L* *quam ut : quam *(cf. ad* 1 9, *ubi consimili ratione* ut *excidit)* 18 Cordum *R* : cordium 19 de repetundis *Nipperdey* 20 Veterem e *B* : ueterime 24 [fratre] *Ernesti* 26 threciae, *mox* thraecia 27 diuisio *pr* 28 cothyis 31 Dii *L* : alii

bilitatem; quae causa fuit ne in bellum atrox coalescerent. Pars turbant praesentia, alii montem Haemum transgrediuntur, ut remotos populos concirent; plurimi ac maxime compositi regem urbemque Philippopolim, a Macedone Philippo sitam, circumsidunt. Quae ubi cognita P. Vellaeo (is proxi- 39
mum exercitum praesidebat), alarios equites ac levis cohortium mittit in eos qui praedabundi aut adsumendis auxiliis vagabantur, ipse robur peditum ad exsolvendum obsidium ducit. Simulque cuncta prospere acta, caesis populatoribus et dissensione orta apud obsidentes regisque opportuna eruptione et adventu legionis. Neque aciem aut proelium dici decuerit, in quo semermi ac palantes trucidati sunt sine nostro sanguine.

Eodem anno Galliarum civitates ob magnitudinem 40
aeris alieni rebellionem coeptavere, cuius exstimulator acerrimus inter Treviros Iulius Florus, aput Aeduos Iulius Sacrovir. Nobilitas ambobus et maiorum bona facta, eoque Romana civitas olim data, cum id rarum nec nisi virtuti pretium esset. Ii secretis conloquiis, ferocissimo quoque adsumpto aut quibus ob egestatem ac metum ex flagitiis maxima peccandi necessitudo, componunt Florus Belgas, Sacrovir propiores Gallos concire. Igitur per conciliabula et coetus seditiosa disserebant de continuatione tributorum, gravitate fenoris, saevitia ac superbia praesidentium; et discordare militem audito Germanici exitio. Egregium resumendae libertati tempus, si ipsi florentes, quam inops Italia, quam inbellis urbana plebes, nihil validum in exercitibus nisi quod externum, cogitarent. Haud ferme ulla civitas intacta 41

3 maximae 4 urbemque *B* : urbem qui philippo polim 7 predabundi 9 prosperae 10 opportunae ruptione 11 aut *B* : aput 12 semermi *Iac. Gronovius* : semerme (semermes *B*; *cf.* 1 68, 3 45) 16 treueros, *c.* 42 treueris *et* treuerici, 44 treueros, 46 treuerum, *sed idem* 1 41 treuiros *duobus locis* 24 fenoris] faenoris *Mediceus habet, item* faenore *et* faenebrae *(sic)* 6 16=22, faenoris *et* faeneratores 6 17=23, *alter Mediceus* fenore 13 42, 14 53, fenori 11 13, fęnus 14 55, *H.* 1 20, *postremo* fenus *codices Germaniae c.* 26 *(nomen a* feo *ductum recte scribitur* fenus, *ac* faenus *vel* foenus *non minus barbarum est quam* faecundus *pro* fecundus, faemina *pro* femina) 27 plebes *R* : blebis 29 firme

seminibus eius motus fuit: sed erupere primi Andecavi ac Turoni. Quorum Andecavos Acilius Aviola legatus, excita cohorte quae Lugduni praesidium agitabat, coercuit. Turoni legionario milite, quem Visellius Varro, inferioris Germaniae legatus, miserat, oppressi eodem Aviola duce et quibusdam Galliarum primoribus, qui tulere auxilium, quo dissimularent defectionem magisque in tempore efferrent. Spectatus et Sacrovir intecto capite pugnam pro Romanis ciens, ostentandae, ut ferebat, virtutis: sed captivi, ne incesseretur telis, adgnoscendum se praebuisse arguebant. Consultus super eo Tiberius aspernatus est indicium aluitque dubitatione bel-
42 lum. Interim Florus insistere destinatis, pellicere alam equitum, quae conscripta e Treviris militia disciplinaque nostra habebatur, ut caesis negotiatoribus Romanis bellum inciperet; paucique equitum corrupti, plures in officio mansere. Aliud vulgus obaeratorum aut clientium arma cepit; petebantque saltus quibus nomen Arduenna, cum legiones utroque ab exercitu, quas Visellius et C. Silius adversis itineribus obiecerant, arcuerunt. Praemissusque cum delecta manu Iulius Indus e civitate eadem, discors Floro et ob id navandae operae avidior, inconditam multitudinem adhuc disiecit. Florus incertis latebris victores frustratus, postremo visis militibus qui effugia insederant, sua manu cecidit. Isque
43 Trevirici tumultus finis. Apud Aeduos maior moles exorta, quanto civitas opulentior et comprimendi procul praesidium. Augustodunum, caput gentis, armatis cohortibus Sacrovir occupaverat, nobilissimam Galliarum subolem, liberalibus studiis ibi operatam, ut eo pignore *et* parentes propinquosque eorum adiungeret; simul arma occulte fabricata iuventuti dispertit. Quadraginta milia fuere, quinta sui parte legionariis armis, ceteri cum venabulis et cultris, quaeque alia venantibus tela sunt. Adduntur e servitiis gladiaturae destinati, qui-

2 andicauos 8 Sacrouir intecto *B*: sacro uiri tecto romani sciens 11 aluitque *B*: aliutque 13 conscripta e *Bekker*: conscripte 16 aliut 23 cecid. *(sic)* 26 occulpauerat. Nobilissimarum (nobilissimamque *Pichena*, et nobilissimam *L*, ac nob. *Weissenborn*, ut nob. *Bezzenberger*) 27 studiis ibi *R*: studii sibi 28 *pignore et: pignore 30 legionariis *B*: religionariis *fortasse* cum armis

bus more gentico continuum ferri tegimen: cruppellarios vocant, inferendis ictibus inhabiles, accipiendis inpenetrabiles. Augebantur eae copiae vicinarum civitatum ut nondum aperta consensione, ita viritim promptis studiis, et cer-
5 tamine ducum Romanorum, quos inter ambigebatur utroque bellum sibi poscente. Mox Varro invalidus senecta vigenti Silio concessit.

At Romae non Treviros modo et Aeduos, sed quat- 44
tuor et sexaginta Galliarum civitates descivisse, adsumptos
10 in societatem Germanos, dubias Hispanias, cuncta, ut mos famae, in maius credita. Optumus quisque rei publicae cura maerebat: multi odio praesentium et cupidine mutationis suis quoque periculis laetabantur, increpabantque Tiberium, quod in tanto rerum motu libellis accusatorum insumeret operam.
15 An Sacrovirum maiestatis crimine reum in senatu fore? extitisse tandem viros, qui cruentas epistulas armis cohiberent. Miseram pacem vel bello bene mutari. Tanto inpensius in securitatem compositus, neque loco neque vultu mutato, sed ut solitum per illos dies egit, altitudine animi, an con-
20 pererat modica esse et vulgatis leviora.

Interim Silius cum legionibus duabus incedens, prae- 45
missa auxiliari manu vastat Sequanorum pagos, qui finium extremi et Aeduis contermini sociique in armis erant. Mox Augustodunum petit propero agmine, certantibus inter se
25 signiferis, fremente etiam gregario milite, ne suetam requiem, ne spatia noctium opperiretur: viderent modo adversos et aspicerentur; id satis ad victoriam. Duodecimum apud lapidem Sacrovir copiaeque patentibus locis apparuere. In fronte statuerat ferratos, in cornibus cohortes, a tergo semermos.
30 Ipse inter primores equo insigni adire, memorare veteres Gallorum glorias, quaeque Romanis adversa intulissent; quam decora victoribus libertas, quanto intolerantior servitus iterum victis. Non diu haec nec apud laetos: etenim propinquabat 46

6 uigenti *B*: uiginti 10 hisparias (ni) 12 cupidinẽ *pr* 15 an.] (et) sacro uirum (et *rc. m., item* Iulium Sacrouirum *in margine, signum*] *relegat lectorem ad marginem; et hoc et cetera addita sunt a manu Beroaldi*) 16 extitisse *B*: extisset 23 eduis 28 fronte *L*: frontẽ 30 ęquo 33 letos

legionum acies, inconditique ac militiae nescii oppidani neque oculis neque auribus satis conpetebant. Contra Silius, etsi praesumpta spes hortandi causas exemerat, clamitabat tamen, pudendum ipsis quod Germaniarum victores adversum Gallos tamquam in hostem ducerentur. 'Vna nuper cohors rebellem Turonum, una ala Trevirum, paucae huius ipsius exercitus turmae profligavere Sequanos. Quanto pecunia dites et voluptatibus opulentos, tanto magis inbelles Aeduos devincite et fugientibus consulite.' Ingens ad ea clamor, et circumfudit *terga* eques, frontemque pedites invasere, nec cunctatum apud latera. Paulum morae attulere ferrati restantibus lamminis adversum pila et gladios; set miles, correptis securibus et dolabris, ut si murum perrumperet, caedere tegmina et corpora; quidam trudibus aut furcis inertem molem prosternere, iacentesque nullo ad resurgendum nisu quasi exanimes linquebantur. Sacrovir primo Augustodunum, dein metu deditionis in villam propinquam cum fidissimis pergit. Illic sua manu, reliqui mutuis ictibus occidere: incensa super villa om-
47 nes cremavit. Tum demum Tiberius ortum patratumque bellum senatui scripsit; neque dempsit aut addidit vero, sed fide ac virtute legatos, se consiliis superfuisse. Simul causas, cur non ipse, non Drusus profecti ad id bellum forent, adiunxit, magnitudinem imperii extollens, neque decorum principibus, si una alterave civitas turbet, omissa urbe, unde in omnia regimen... Nunc quia non metu ducatur, iturum, ut praesentia spectaret componeretque. Decrevere patres vota pro reditu eius supplicationesque et alia decora. Solus Dolabella Cornelius, dum anteire ceteros parat, absurdam in adulationem progressus, censuit ut ovans e Campania urbem introiret. Igitur secutae Caesaris litterae, quibus se non tam vacuum gloria praedicabat, ut post ferocissimas gentes perdomitas, tot receptos in iuventa aut spretos triumphos, iam senior peregrinationis suburbanae inane praemium peteret.

1 oppidani *B* : oppidam 8 * deuincite : euincite 9 cosulite 10 * terga eques : eques tunctatum 12 lamminis (*cf. H.* 1 79) 13 *malim* perrumperent 18 incensa *R* : ingressa 20 senatui *B* : senatus tempsit 25 * regimen... Nunc : regimen : Nunc (*fortasse fuit* regimen, meare longinquas in prouincias. Nunc)

Sub idem tempus, ut mors Sulpicii Quirinii publicis 48
exsequiis frequentaretur, petivit a senatu. Nihil ad veterem et patriciam Sulpiciorum familiam Quirinius pertinuit, ortus aput municipium Lanuvium: sed impiger militiae et acribus ministeriis consulatum sub divo Augusto, mox expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis insignia triumphi adeptus, datusque rector C. Caesari Armeniam optinenti, Tiberium quoque Rhodi agentem coluerat. Quod tunc patefecit in senatu, laudatis in se officiis et incusato M. Lollio, quem auctorem C. Caesari pravitatis et discordiarum arguebat. Sed ceteris haud laeta memoria Quirinii erat ob intenta, ut memoravi, Lepidae pericula sordidamque et praepotentem senectam.

Fine anni Clutorium Priscum, equitem Romanum, post 49
celebre carmen, quo Germanici suprema defleverat, pecunia donatum a Caesare, corripuit delator, obiectans aegro Druso composuisse *eum* quod, si extinctus foret, maiore praemio vulgaretur. Id Clutorius in domo P. Petronii, socru eius Vitellia coram multisque inlustribus feminis, per vaniloquentiam iecerat. Vt delator extitit, ceteris ad dicendum testimonium exterritis, sola Vitellia nihil se audivisse adseveravit. Sed arguentibus ad pernutiem plus fidei fuit, sententiaque Haterii Agrippae, consulis designati, indictum reo ultimum supplicium. Contra M'. Lepidus in hunc modum exorsus est: 50
'si, patres conscripti, unum id spectamus, quam nefaria voce Clutorius Priscus mentem suam et aures hominum polluerit, neque carcer neque laqueus, ne serviles quidem cruciatus in eum suffecerint. Sin flagitia et facinora sine modo sunt, suppliciis ac remediis principis moderatio maiorumque et vestra exempla temperant, et vana a scelestis, dicta a male-

1 quirini, *mox* quirinius, *tum* quirini 6 Homonadensium *B*: onoma densiũ 7 ·G· *corr, mox* ·C· 9 Lollio *L*: folio 12 lepedae 14 Clutorium] *vere sic Mediceus; cf. Keil Museo Rhen.* XVI 291 *sqq.* 17 *composuisse eum: composuisse 20 iecerat *Weissbrodt, nuper sodalis seminarii philologici Bonnensis*: legerat (*cf.* 6 37=31: per vaniloquentiam ac minas iaciebat; 4 7: talia iaciebat) 21 adseueravit *B*: adseuarit 22 *pernutiem: permitiem 23 designanti 24 M'. *L. et Borghesi*: ·M· 25 P· C· 26 hominus

ficiis differunt, est locus sententiae, per quam neque huic delictum impune sit et nos clementiae simul ac severitatis non poeniteat. Saepe audivi principem nostrum conquerentem, siquis sumpta morte misericordiam eius praevenisset. Vita Clutorii in integro est, qui neque servatus in periculum rei publicae neque interfectus in exemplum ibit. Studia illi, ut plena vecordiae, ita inania et fluxa sunt; nec quicquam grave ac serium ex eo metuas, qui suorum ipse flagitiorum proditor non virorum animis sed muliercularum adrepit. Cedat tamen urbe et bonis amissis aqua et igni arceatur: quod
51 perinde censeo ac si lege maiestatis teneretur.' Solus Lepido Rubellius Blandus e consularibus adsensit: ceteri sententiam Agrippae secuti, ductusque in carcerem Priscus ac statim exanimatus. Id Tiberius solitis sibi ambagibus apud senatum incusavit, cum extolleret pietatem quamvis modicas principis iniurias acriter ulciscentium, deprecaretur tam praecipitis verborum poenas; laudaret Lepidum, neque Agrippam argueret. Igitur factum senatus consultum, ne decreta patrum decimum ante diem ad aerarium deferrentur idque vitae spatium damnatis prorogaretur. Sed non senatui libertas ad poenitendum erat, neque Tiberius interiectu temporis mitigabatur.

52 C. Sulpicius D. Haterius consules sequuntur, inturbidus
P. Ch. externis rebus annus, domi suspecta severitate adversum
22 luxum, qui inmensum proruperat ad cuncta quis pecunia prodigitur. Sed alia sumptuum, quamvis graviora, dissimulatis plerumque pretiis occultabantur; ventris et ganeae paratus adsiduis sermonibus vulgati fecerant curam, ne princeps antiquae parsimoniae durius adverteret. Nam incipiente C. Bibulo ceteri quoque aediles disseruerant, sperni sumptuariam legem vetitaque utensilium pretia augeri in dies, nec mediocribus remediis sisti posse. Et consulti patres integrum id negotium ad principem distulerant. Sed Tiberius

3 peniteat (pęniteat *B*) 7 uaecordiae 9 caedat 12 Rubellius *R*: rebellius 19 decimum *Ald. Manutius et L, sed post* diem: *om* (dec. diem *Halm*) 23 G *corr* Haterius *R*: harius 26 dissimulatis *R*: dissimilatis 27 praetiis 31 praetia 32 remediis sisti *Pichena*: remedii isti (remed. resisti *B*) 33 distulaerant

saepe apud se pensitato, an coerceri tam profusae cupidines possent, num coercitio plus damni in rem publicam ferret, quam indecorum adtrectare quod non obtineret, vel retentum ignominiam et infamiam virorum inlustrium posceret, postremo litteras ad senatum composuit, quarum sententia in hunc modum fuit. 'Ceteris forsitan in rebus, patres conscripti, 53
magis expediat me coram interrogari et dicere quid e re publica censeam: in hac relatione subtrahi oculos meos melius fuit, ne denotantibus vobis ora ac metum singulorum, qui pudendi luxus arguerentur, ipse etiam viderem eos ac velut deprenderem. Quod si mecum ante viri strenui, aediles, consilium habuissent, nescio an suasurus fuerim omittere potius praevalida et adulta vitia quam hoc adsequi, ut palam fieret quibus flagitiis impares essemus. Sed illi quidem officio functi sunt, ut ceteros quoque magistratus sua munia implere velim: mihi autem neque honestum silere neque proloqui expeditum, quia non aedilis aut praetoris aut consulis partes sustineo. Maius aliquid et excelsius a principe postulatur; et cum recte factorum sibi quisque gratiam trahant, unius invidia ab omnibus peccatur. Quid enim primum prohibere et priscum ad morem recidere adgrediar? Villarumne infinita spatia? familiarum numerum et nationes? argenti et auri pondus? aeris tabularumque miracula? promiscas viris et feminis vestes atque illa feminarum propria, quis lapidum causa pecuniae nostrae ad externas aut hostilis gentes transferuntur? Nec ignoro in conviviis et circulis incusari ista et 54
modum posci: set siquis legem sanciat, poenas indicat, iidem illi civitatem verti, splendidissimo cuique exitium parari, neminem criminis expertem clamitabunt. Atqui ne corporis quidem morbos veteres et diu auctos nisi per dura et aspera coerceas: corruptus simul et corruptor, aeger et flagrans animus haut levioribus remediis restinguendus est quam libidinibus ardescit. Tot a maioribus repertae leges, tot quas divus

2 plicam 6 P· C· 7 e re *B*: re 17 partes *R*: partis 18 excelsus 25 pecunie 27 posci. sed *B*: poscis. et iidem *B*: Idē 28 splendidissimo 29 expartem clamitabunt *B*: clamitabant

Augustus tulit, illae oblivione, hae, quod flagitiosius est, contemptu abolitae securiorem luxum fecere. Nam si velis quod nondum vetitum est, timeas ne vetere: at si in prohibita impune transcenderis, neque metus ultra neque pudor est. Cur ergo olim parsimonia pollebat? Quia sibi quisque moderabatur, quia unius urbis cives eramus; ne inritamenta quidem eadem intra Italiam dominantibus. Externis victoriis aliena, civilibus etiam nostra consumere didicimus. Quantulum istud est de quo aediles admonent! Quam, si cetera respicias, in levi habendum! At Hercule nemo refert, quod Italia externae opis indiget, quod vita populi Romani per incerta maris et tempestatum cotidie volvitur. Ac nisi provinciarum copiae et dominis et servitiis et agris subvenerint, nostra nos scilicet nemora nostraeque villae tuebuntur. Hanc, patres conscripti, curam sustinet princeps; haec omissa fun- ditus rem publicam trahet. Reliquis intra animum medendum est: nos pudor, pauperes necessitas, divites satias in melius mutet. Aut siquis ex magistratibus tantam industriam ac severitatem pollicetur, ut ire obviam queat, hunc ego et laudo, et exonerari laborum meorum parte me fateor: sin accusare vitia volunt, dein, cum gloriam eius rei adepti sunt, simultates faciunt ac mihi relinquunt, credite, patres conscripti, me quoque non esse offensionum avidum; quas cum graves et plerumque iniquas pro re publica suscipiam, inanes et inritas neque mihi aut vobis usui futuras iure deprecor.'

55 Auditis Caesaris litteris remissa aedilibus talis cura; luxusque mensae, a fine Actiaci belli ad ea arma, quis Servius Galba rerum adeptus est, per annos centum profusis sumptibus exerciti paulatim exolevere. Causas eius mutationis quaerere libet. Dites olim familiae nobilium aut claritudine insignes studio magnificentiae prolabebantur. Nam etiam

1 flagitiosius *B* : flagitiosus 2 facere 3 si in *Nipperdey* : si 5 sibi quisque *B* : sibique 6 quia *B* : qua urbes 9 edeles 10 adhercule 11 populi ·R· 15 ·P·C· 17 sacias 18 tantam *B* : tantū 20 exonorari parte me *Wopkens* : partem (parte *Heinsius*) 21 gloriam *B* : gloria 22 ·P·C· 24 prope 25 iurae 27 afine 31 magnificentie

tum plebem socios regna colere et coli licitum; ut quisque opibus domo paratu speciosus, per nomen et clientelas inlustrior habebatur. Postquam caedibus saevitum et magnitudo famae exitio erat, ceteri ad sapientiora convertere. Simul novi homines, e municipiis et coloniis atque etiam provinciis in senatum crebro adsumpti, domesticam parsimoniam intulerunt, et quamquam fortuna vel industria plerique pecuniosam ad senectam pervenirent, mansit tamen prior animus. Sed praecipuus adstricti moris auctor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu victuque. Obsequium inde in principem et aemulandi amor validior quam poena ex legibus et metus. Nisi forte rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut quem ad modum temporum vices, ita morum vertantur; nec omnia apud priores meliora, sed nostra quoque aetas multa laudis et artium imitanda posteris tulit. Verum haec nobis [maiores] certamina ex honesto maneant.

Tiberius fama moderationis parta, quod ingruentis ac- 56
cusatores represserat, mittit litteras ad senatum, quis potestatem tribuniciam Druso petebat. Id summi fastigii vocabulum Augustus repperit, ne regis aut dictatoris nomen adsumeret ac tamen appellatione aliqua cetera imperia praemineret. Marcum deinde Agrippam socium eius potestatis, quo defuncto Tiberium Neronem delegit, ne successor in incerto foret. Sic cohiberi pravas aliorum spes rebatur; simul modestiae Neronis et suae magnitudini fidebat. Quo tunc exemplo Tiberius Drusum summae rei admovet, cum incolumi Germanico integrum inter duos iudicium tenuisset. Sed principio litterarum veneratus deos, ut consilia sua rei publicae prosperarent, modica de moribus adulescentis neque in falsum aucta rettulit. Esse illi coniugem et tres liberos eamque aetatem, qua ipse quondam a divo Augusto ad capessendum hoc munus vocatus sit. Neque nunc propere, sed per octo annos capto experimento, compressis seditionibus, compositis bellis, triumphalem et bis consulem noti laboris par-

1 utquisque 3 seuitum 15 [maiores] *Schneidewin*, in maiores *Vertranius*, aduersus maiores *ego olim* 17 accussatores 19 tribunitiã (c *est* 1 2 *et* 3 *et* 7 *et* 9 *et* 13) uocabulu 26 admouit *Halm* 30 r&tulit

57 ticipem sumi. Praeceperant animis orationem patres, quo quaesitior adulatio fuit. Nec tamen repertum nisi ut effigies principum, aras deum, templa et arcus aliaque solita censerent, nisi quod M. Silanus ex contumelia consulatus honorem principibus petivit, dixitque pro sententia ut publicis privatisve monimentis ad memoriam temporum non consulum nomina praescriberentur, sed eorum qui tribuniciam potestatem gererent. At Q. Haterius cum eius diei senatus consulta aureis litteris figenda in curia censuisset, deridiculo fuit senex, foedissimae adulationis tantum infamia usurus.

58 Inter quae provincia Africa Iunio Blaeso prorogata; Servius Maluginensis, flamen Dialis, ut Asiam sorte haberet postulavit, frustra vulgatum dictitans non licere Dialibus egredi Italia, neque aliud ius suum quam Martialium Quirinaliumque flaminum: porro, si hi duxissent provincias, cur Dialibus id vetitum? Nulla de eo populi scita, non in libris caerimoniarum reperiri. Saepe pontifices Dialia sacra fecisse, si flamen valitudine aut munere publico impediretur. Quinque et septuaginta annis post Cornelii Merulae caedem neminem suffectum, neque tamen cessavisse religiones. Quod si per tot annos possit non creari nullo sacrorum damno, quanto facilius afuturum ad unius anni proconsulare imperium? Privatis olim simultatibus effectum, ut a pontificibus maximis ire in provincias prohiberentur: nunc deum munere summum pontificum etiam summum hominum esse, non aemulationi
59 non odio aut privatis adfectionibus obnoxium. Adversus quae cum augur Lentulus aliique varie dissererent, eo decursum est ut pontificis maximi sententiam opperirentur. Tiberius dilata notione de iure flaminis, decretas ob tribu-

1 quo quaesitior *B*: quoque sitior 3 cesserent 5 sententia *B*: sen tia priuatisque *Muretus* 7 tribunitiam 8 at Q. *L*: Atque 10 foedissime *pr* infami ausurus 11 inter quae *B*: interq; 12 maliginensis Asiae sortem *Pluygers* 14 aliut ius suum *R*: ius sum 15 si hi *B*: sibi cur dialibus *B*: curdiabus 17 reperiri: saepe pontifices *B*: repperiri. sepe pontificis 18 quinque *Lachmann ad Gaium* I §. 136: duobus 22 afuturum 25 aemulationi *Muretus et Faernus*: aemulatione 27 dessererent 29 delata notitione tribunitiã

niciam Drusi potestatem caerimonias temperavit, nominatim arguens insolentiam sententiae aureasque litteras contra patrium morem. Recitatae et Drusi epistulae, quamquam ad modestiam flexae, pro superbissimis accipiuntur. Huc decidisse cuncta, ut ne iuvenis quidem tanto honore accepto adiret urbis deos, ingrederetur senatum, auspicia saltem gentile aput solum inciperet. Bellum *esse* scilicet, aut diverso terrarum distineri litora et lacus Campaniae cum maxime peragrantem. Sic imbui rectorem generis humani, id primum e paternis consiliis discere. Sane gravaretur aspectum civium senex imperator, fessamque aetatem et actos labores praetenderet: Druso quod nisi ex adrogantia impedimentum?

Sed Tiberius, vim principatus sibi firmans, imaginem 60
antiquitatis senatui praebebat, postulata provinciarum ad disquisitionem patrum mittendo. Crebrescebat enim Graecas per urbes licentia atque inpunitas asyla statuendi; conplebantur templa pessimis servitiorum; eodem subsidio obaerati adversum creditores suspectique capitalium criminum receptabantur. Nec ullum satis validum imperium erat coercendis seditionibus populi, flagitia hominum ut caerimonias deum protegentis. Igitur placitum ut mitterent civitates iura atque legatos. Et quaedam quod falso usurpaverant sponte omisere; multae vetustis superstitionibus aut meritis in populum Romanum fidebant. Magnaque eius diei species fuit, quo senatus maiorum beneficia, sociorum pacta, regum etiam qui ante vim Romanam valuerant decreta, ipsorumque numinum religiones introspexit, libero, ut quondam, quid firmaret mutaretve. Primi omnium Ephesii adiere, memorantes non, ut 61
vulgus crederet, Dianam atque Apollinem in Delo genitos: esse aput se Cenchreum amnem, lucum Ortygiam, ubi Latonam partu gravidam et oleae, quae tum etiam maneat, adnisam edidisse ea numina, deorumque monitu sacratum nemus. Atque ipsum illic Apollinem post interfectos Cyclopas Iovis iram vitavisse. Mox Liberum patrem, bello victorem, suppli-

1 cerimonias 5 decidisse se 7 *esse scilicet : scilicet (bello scil. *L*, bello eum scil. *Pichena*) 21 protegentis *R* : protegentes ciuitates *R* : ciuitatis 27 intro spexit 29 in Delo *Bezzenberger* : delo 30 secen chreum lucum *L* : locum ortigiam

cibus Amazonum, quae aram insiderant, ignovisse. Auctam hinc concessu Herculis, cum Lydia poteretur, caerimoniam templo, neque Persarum ditione deminutum ius; post Mace-
62 donas, dein nos servavisse. Proxime eos Magnetes L. Scipionis et L. Sullae constitutis nitebantur, quorum ille Antiocho, hic Mithridate pulsis fidem atque virtutem Magnetum decoravere, uti Dianae Leucophryenae perfugium inviolabile foret. Aphrodisienses posthac et Stratonicenses dictatoris Caesaris ob vetusta in partis merita et recens divi Augusti decretum adtulere, laudati quod Parthorum inruptionem nihil mutata in populum Romanum constantia pertulissent. Sed Aphrodisiensium civitas Veneris, Stratonicensium Iovis et Triviae religionem tuebantur. Altius Hierocaesarienses exposuere, Persicam aput se Dianam, delubrum rege Cyro dicatum; et memorabantur Perpennae, Isaurici multaque alia imperatorum nomina, qui non modo templo sed duobus milibus passuum eandem sanctitatem tribuerant. Exim Cyprii *pro* tribus delubris, quorum vetustissimum Paphiae Veneri auctor Aërias, post filius eius Amathus Veneri Amathusiae et Iovi Salami-
63 nio Teucer, Telamonis patris ira profugus, posuissent. Auditae aliarum quoque civitatium legationes. Quorum copia fessi patres, et quia studiis certabatur, consulibus permisere, ut perspecto iure, et si qua iniquitas involveretur, rem integram rursum ad senatum referrent. Consules super eas civitates, quas memoravi, aput Pergamum Aesculapii conpertum asylum rettulerunt: ceteros obscuris ob vetustatem initiis niti. Nam Zmyrnaeos oraculum Apollinis, cuius imperio Stratonicidi Veneri templum dicaverint, Tenios eiusdem carmen referre, quo sacrare Neptuni effigiem aedem-

1 insederant *B* 2 hinc con concessu poteretur cerimoniam 3 ditione *B*: dicione deminutum 4 *proxime eos Magnetes: proximo snagnetes (proximi hos Magn. *Wurm*, proximo Magn. *B*, proximi Magn. *Freinsheim*) 7 Leucophryenae *B*: leucophinę (Leucophrynae *L*, Leucophryinae *ego antehac*) inuolabile 10 adtulere *B*: adullere 11 R· 15 Perpernae *L* 16 passū 17 Cyprii *B*: cypri *pro tribus: tribus (tribus de *Bezzenberger*) 19 amatus ueneri amatusiae 26 rettulerunt *B*: retulerunt 27 iniciis zmyrnetis (Smyrnaeos *B*; *cf.* 4 43 *et* 55 *et* 56) 28 Stratonicidi *R*: strato nicidiuae 29 carmen *B*: carnĕ

que iussi sint. Propiora Sardianos: Alexandri victoris id donum. Neque minus Milesios Dareo rege uti; set cultus numinum utrisque Dianam aut Apollinem venerandi. Petere et Cretenses simulacro divi Augusti. Factaque senatus consulta, quis multo cum honore modus tamen praescribebatur, iussique ipsis in templis figere aera sacrandam ad memoriam, neu specie religionis in ambitionem delaberentur.

Sub idem tempus Iuliae Augustae valitudo atrox neces- 64
situdinem principi fecit festinati in urbem reditus, sincera adhuc inter matrem filiumque concordia sive occultis odiis. Neque enim multo ante, cum haud procul theatro Marcelli effigiem divo Augusto Iulia dicaret, Tiberii nomen suo postscripserat, idque ille credebatur ut inferius maiestate principis gravi et dissimulata offensione abdidisse. Sed tum supplicia dis ludique magni ab senatu decernuntur, quos pontifices et augures et quindecimviri septemviris simul et sodalibus Augustalibus ederent. Censuerat L. Apronius ut fetiales quoque iis ludis praesiderent. Contra dixit Caesar, distincto sacerdotiorum iure et repetitis exemplis: neque enim umquam fetialibus hoc maiestatis fuisse. Ideo Augustales adiectos, quia proprium eius domus sacerdotium esset, pro qua vota persolverentur.

Exequi sententias haud institui nisi insignes per hone- 65
stum aut notabili dedecore, quod praecipuum munus annalium reor, ne virtutes obsileantur, utque pravis dictis factisque ex posteritate et infamia metus sit. Ceterum tempora illa adeo infecta et adulatione sordida fuere, ut non modo primores civitatis, quibus claritudo sua obsequiis protegenda erat, sed omnes consulares, magna pars eorum qui praetura functi, multique etiam pedarii senatores certatim exsurgerent foedaque et nimia censerent. Memoriae proditur Tiberium, quotiens curia egrederetur, Graecis verbis in hunc modum eloqui solitum ‘o homines ad servitutem paratos!’ Scilicet

2 regi uti : sed *B* : utis et (*sic;* niti . sed *L et Muretus*) 4 sanatus 6 figere *Pichena* : fiere (facere *B*) 12 Tiberii *B* : tiberi 14 Sed tum *B* : Sectum 16 quindecimuiri *R* : quidecĕ uiri (quindecenuiri *B*) 18 fetialis (foeciales *B*) presiderent 23 onestum 24 precipuum 30 pedariis 32 quociens gracis (*pro* grȩcis)

etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam proiectae servientium patientiae taedebat.

66 Paulatim dehinc ab indecoris ad infesta transgrediebantur. C. Silanum, pro consule Asiae, repetundarum a sociis postulatum, Mamercus Scaurus e consularibus, Iunius Otho praetor, Bruttedius Niger aedilis simul corripiunt, obiectantque violatum Augusti numen, spretam Tiberii maiestatem, Mamercus antiqua exempla iaciens, L. Cottam a Scipione Africano, Servium Galbam a Catone censorio, P. Rutilium a M. Scauro accusatos. Videlicet Scipio et Cato talia ulciscebantur, aut ille Scaurus, quem proavum suum obprobrium maiorum [Mamercus] infami opera dehonestabat. [Iunio] Othoni litterarium ludum exercere vetus ars fuit: mox Seiani potentia senator obscura initia impudentibus ausis ultro polluebat. Bruttedium artibus honestis copiosum et, si rectum iter pergeret, ad clarissima quaeque iturum festinatio exstimulabat, dum aequalis, dein superiores, postremo suasmet ipse spes anteire parat: quod multos etiam bonos pessum dedit, qui spretis quae tarda cum securitate, praematura vel cum
67 exitio properant. Auxere numerum accusatorum Gellius Publicola et M. Paconius, ille quaestor Silani, hic legatus. Nec dubium habebatur saevitiae captarumque pecuniarum teneri reum: sed multa adgerebantur etiam insontibus periculosa, cum super tot senatores adversos facundissimis totius Asiae eoque ad accusandum delectis responderet solus et orandi nescius, proprio in metu, qui exercitam quoque eloquentiam debilitat, non temperante Tiberio quin premeret voce vultu, eo quod ipse creberrime interrogabat, neque refellere aut eludere dabatur, ac saepe etiam confitendum erat, ne frustra quaesivisset. Servos quoque Silani, ut tormentis interrogarentur, actor publicus mancipio acceperat. Et nequis ne-

1 proiectae *B* : prolectae 4 pro cōs 8 Cottam *B* : coitam 12 maiorum *R* : malorum (*voluit* maIorum) *[Mamercus] *[Iunio] 14 *uſtro polluebat : pro polluebat (*sic;* porro polluebat *L*, prouoluebat *Iac. Gronovius*) 16 pergeret *R* : perageret quęmque 18 anteire parat *R* : antereparat (*sic;* antire parat *Bach*) 20 accussatorum, *mox* accussandum 26 eloquentiam debilitat *B* : eloquende belitat 30 interrogarentur *L* : interrogentur

cessariorum iuvaret periclitantem, maiestatis crimina subdebantur, vinclum et necessitas silendi. Igitur petito paucorum dierum interiectu defensionem sui deseruit, ausis ad Caesarem codicillis, quibus invidiam et preces miscuerat. Tiberius quae in Silanum parabat, quo excusatius sub exem- 68
plo acciperentur, libellos divi Augusti de Voleso Messala, eiusdem Asiae pro consule, factumque in eum senatus consultum recitari iubet. Tum L. Pisonem sententiam rogat. Ille multum de clementia principis praefatus aqua atque igni Silano interdicendum censuit, ipsumque in insulam Gyarum relegandum. Eadem ceteri, nisi quod Cn. Lentulus separanda *Ap.* Silani materna bona, quippe alia parente geniti, reddendaque filio dixit, adnuente Tiberio. At Cor- 69
nelius Dolabella dum adulationem longius sequitur, increpitis C. Silani moribus addidit, nequis vita probrosus et opertus infamia provinciam sortiretur, idque princeps diiudicaret. Namque legibus delicta puniri: quanto fore mitius in ipsos, melius in socios, provideri ne peccaretur? Adversum quae disseruit Caesar: non quidem sibi ignara quae de Silano vulgabantur, sed non ex rumore statuendum. Multos in provinciis contra quam spes aut metus de illis fuerit egisse: excitari quosdam ad meliora magnitudine rerum, hebescere alios. Neque posse principem sua scientia cuncta complecti, neque expedire ut ambitione aliena trahatur. Ideo leges in facta constitui, quia futura in incerto sint. Sic a maioribus institutum, ut, si antissent delicta, poenae sequerentur. Ne verterent sapienter reperta et semper placita: satis onerum principibus, satis etiam potentiae. Minui iura, quotiens gliscat potestas, nec utendum imperio, ubi legibus agi possit. Quanto rarior aput Tiberium popularitas, tanto laetioribus animis accepta. Atque ille prudens moderandi, si propria ira non impelleretur, addidit insulam Gyarum immitem et sine cultu hominum esse: darent Iuniae familiae

3 missis *Faernus;* ausus—codicillos *Heinsius* 6 Messala] *cf. ad* 1 8
11 ·C· N· 12 *Ap. Silani : silani 13 Ad 17 *namque (nam a : nam *Wurm*) 23 habescere cunta 28 minui iura *L* : minutura 32 impelleretur *B* : impellerentur

et viro quondam ordinis eiusdem, ut Cythnum potius concederet. Id sororem quoque Silani Torquatam, priscae sanctimoniae virginem, expetere. In hanc sententiam facta discessio.

70 Post auditi Cyrenenses, et accusante Anchario Prisco Caesius Cordus repetundarum damnatur. L. Ennium, equitem Romanum, maiestatis postulatum, quod effigiem principis promiscum ad usum argenti vertisset, recipi Caesar inter reos vetuit, palam aspernante Ateio Capitone quasi per libertatem. Non enim debere eripi patribus vim statuendi neque tantum maleficium impune habendum. Sane lentus in suo dolore esset: rei publicae iniurias ne largiretur. Intellexit haec Tiberius, ut erant magis quam ut dicebantur, perstititque intercedere. Capito insignitior infamia fuit, quod humani divinique iuris sciens egregium publicum et bonas domi artes dehonestavisset.

71 Incessit dein religio, quonam in templo locandum foret donum, quod pro valetudine Augustae equites Romani voverant equestri Fortunae: nam etsi delubra eius deae multa in urbe, nullum tamen tali cognomento erat. Repertum est aedem esse aput Antium, quae sic nuncuparetur, cunctasque caerimonias Italicis in oppidis templaque et numinum effigies iuris atque imperii Romani esse. Ita donum aput Antium statuitur. Et quoniam de religionibus tractabatur, dilatum nuper responsum adversus Servium Maluginensem, flaminem Dialem, prompsit Caesar, recitavitque decretum pontificum, quotiens valitudo adversa flaminem Dialem *non* incessisset, ut pontificis maximi arbitrio plus quam binoctium abesset, dum ne diebus publici sacrificii neu saepius quam bis eundem in annum; quae principe Augusto constituta satis ostendebant annuam absentiam et provinciarum administrationem Dialibus non concedi. Memorabaturque L. Me-

1 Cythnum *L*: cythenũ (Cytheram *B*) 2 prisce 5 prischo 6 repedundarum L. Ennium *B*: Lenniũ 8 caesari 18 ualetudine, *mox* ualitudo 21 nuncuperetur 22 cerimonias 24 quõ (quando *B*) relegionibus 25 malluginensem *(idem supra et infra simplici l scribit.)* 26 promsit *L*: promisit 27 *non incessisset: incessisset (non *ante* ualitudo *Haase*) 29 publicii 31 prouintiarum

telli pontificis maximi exemplum, qui Aulum Postumium flaminem attinuisset. Ita sors Asiae in eum qui consularium Maluginensi proximus erat conlata.

Isdem diebus M. Lepidus ab senatu petivit ut basilicam 72
Pauli, Aemilia monimenta, propria pecunia firmaret ornaretque. Erat etiam tum in more publica munificentia; nec Augustus arcuerat Taurum, Philippum, Balbum hostiles exuvias aut exundantis opes ornatum ad urbis et posterum gloriam conferre. Quo tum exemplo Lepidus, quamquam pecuniae modicus, avitum decus recoluit. At Pompei theatrum igne fortuito haustum Caesar extructurum pollicitus est, eo quod nemo e familia restaurando sufficeret, manente tamen nomine Pompei. Simul laudibus Seianum extulit, tamquam labore vigilantiaque eius tanta vis unum intra damnum stetisset. Et censuere patres effigiem Seiano, quae aput theatrum Pompei locaretur. Neque multo post Caesar, cum Iunium Blaesum, pro consule Africae, triumphi insignibus attolleret, dare id se dixit honori Seiani, cuius ille avunculus erat. Ac tamen res Blaesi dignae decore tali fuere.

Nam Tacfarinas, quamquam saepius depulsus, repa- 73
ratis per intima Africae auxiliis huc adrogantiae venerat, ut legatos ad Tiberium mitteret, sedemque ultro sibi atque exercitui suo postularet, aut bellum inexplicabile minitaretur. Non alias magis sua populique Romani contumelia indoluisse Caesarem ferunt, quam quod desertor et praedo hostium more ageret. Ne Spartaco quidem post tot consularium exercituum clades inultam Italiam urenti, quamquam Sertorii atque Mithridatis ingentibus bellis labaret res publica, datum ut pacto in fidem acciperetur, nedum pulcherrimo populi Romani fastigio latro Tacfarinas pace et concessione agrorum redimeretur. Dat negotium Blaeso, ceteros quidem ad spem proliceret arma sine noxa ponendi, ipsius autem ducis quoquo modo poteretur. Et recepti ea venia plerique.

4 M. Lepidus *Nipperdey*: lepidus 7 arcuerat *L*: arguerat filippum exsuias 10 ad 17 pro cõs 20 reparatus 22 attiberium 23 inexpiabile *Pluygers* inexplicabilẽ initaretur 29 po|populi ·*R*· 31 caeteros 32 aut ducis 33 poteretur

Mox adversum artes Tacfarinatis hau dissimili modo belli-
74 geratum. Nam quia ille robore exercitus inpar, furandi melior, pluris per globos incursaret, eluderetque *obvios* et insidias simul temptaret, tres incessus, totidem agmina parantur. Ex quis Cornelius Scipio legatus praefuit qua praedatio in Leptitanos et suffugia Garamantum; alio latere, ne Cirtensium pagi impune traherentur, propriam manum Blaesus filius duxit. Medio cum delectis, castella et munitiones idoneis locis inponens, dux ipse arta et infensa hostibus cuncta fecerat, quia, quoquo inclinarent, pars aliqua militis Romani in ore, in latere, et saepe a tergo erat; multique eo modo caesi aut circumventi. Tunc tripertitum exercitum pluris in manus dispergit, praeponitque centuriones virtutis expertae. Nec, ut mos fuerat, acta aestate retrahit copias aut in hibernaculis veteris provinciae componit, sed ut in limine belli dispositis castellis per expeditos et solitudinum gnaros mutantem mapalia Tacfarinatem proturbabat, donec fratre eius capto regressus est, properantius tamen quam ex utilitate sociorum, relictis per quos resurgeret bellum. Sed Tiberius pro confecto interpretatus id quoque Blaeso tribuit ut imperator a legionibus salutaretur prisco erga duces honore, qui bene gesta re publica gaudio et impetu victoris exercitus conclamabantur; erantque plures simul imperatores, nec super ceterorum aequalitatem. Concessit quibusdam et Augustus id vocabulum, ac tunc Tiberius Blaeso postremum.

75 Obiere eo anno viri inlustres Asinius Saloninus, M. Agrippa et Pollione Asinio avis, fratre Druso insignis, Caesarique progener destinatus, et Capito Ateius, de quo memoravi, principem in civitate locum studiis civilibus adsecutus, sed avo centurione Sullano, patre praetorio. Consulatum ei adceleraverat Augustus, ut Labeonem Antistium, isdem artibus praecellentem, dignatione eius magistratus anteiret. Namque illa aetas duo pacis decora simul tulit: sed Labeo incorrupta libertate, et ob id fama celebratior, Capitonis ob-

1 haudissimili 3 *obuios et : et 5 Leptitanos *Freinsheim* : lepcinos (*cf. H.* 4 50. *Sallust. Iug.* 77 *et* 79) 6 ne Cirtensium *B* : necertensiũ 17 captor 20 interp̃tatus blaes 27 asineo 30 praetoria 31 istem 32 magistratus *B* : magistratibus ante iret

sequium dominantibus magis probabatur. Illi, quod praeturam intra stetit, commendatio ex iniuria, huic, quod consulatum adeptus est, odium ex invidia oriebatur.

Et Iunia sexagesimo quarto post Philippensem aciem 76
anno supremum diem explevit, Catone avunculo genita, C. Cassii uxor, M. Bruti soror. Testamentum eius multo apud vulgus rumore fuit, quia in magnis opibus, cum ferme cunctos proceres cum honore nominavisset, Caesarem omisit. Quod civiliter acceptum, neque prohibuit quo minus laudatione pro Rostris ceterisque sollemnibus funus cohonestaretur. Viginti clarissimarum familiarum imagines antelatae sunt, Manlii, Quinctii, aliaque eiusdem nobilitatis nomina. Sed praefulgebant Cassius atque Brutus eo ipso, quod effigies eorum non visebantur.

1 preturam 4 philipensem 7 *uulgus : uulgum opibus *B in annot.* : operibus 9 quominus 13 ipso *B* : piso 14 uisebantur. ·P· CORNELI LIBER ·III· FINIT|INCIPIT LIBER ·IIII·

LIBER IIII.

BREVIARIUM. C. 1—16. Sequitur annus a Ch. 23, imperatoris Tiberii 10. Caesar saevire incipit aut saevientibus vires praebere; initium et causa eius mali penes Aelium Seianum, de cuius patria, moribus, consiliis. Qui ut destinata perficeret imperioque poteretur, cohortes praetorias in una castra conduxit, mox Liviam, Drusi coniugem, adulterio corrupit, Drusum veneno intercipere intendit (1—3). Drusus, Germanici filius, togam virilem sumit, Tiberius iter in provincias simulat (4). Ab hoc tempore lapsa est imperii dignitas, eoque rerum scriptor percenset quae tunc Romana militia in armis, qui socii regesque potentia Romana protecti, item de ceteris rei publicae partibus exponit, de rebus Caesaris, plebis Romanae statu, postremum de provinciis (5—7). Drusum Seianus veneno tollit, senatum ea clade maerentem oratione Caesar erigit, Germanici liberos ei commendat (7—8). Drusi funus, et de obitu eius falsi rumores (9—11). Seianus insistens coeptis Agrippinam apud principem criminibus insectatur (12). Is ius civium tractat, preces sociorum (13). Legationes Graecarum civitatum asyla petentium, item Caesaris relatio de immodestia histrionum, qui ex Italia pulsi sunt (14). Alter ex geminis Drusi liberis extinguitur, item Lucilius Longus, Caesaris amicus; Capito procurator damnatus (15). Flamen Dialis legitur; de iure Dialium nova lex decreta (16).

C. 17—33. Annus a Ch. 24, Tiberii principis 11. Cuius initio pontifices ac ceteri sacerdotes cum pro incolumitate principis vota susciperent et Neronem Drusumque eisdem numinibus commendarent, graviter offenderunt. Quam causam nactus Seianus instat apud Tiberium ut unus alterve maxime prompti subverterentur. Igitur C. Silius, Germanici olim amicus et legatus, maiestatis postulatus est, qui imminentem damnationem voluntario fine praevertit. Vxor eius exilio multatur, liberis maior pars bonorum servatur sapientia et temperantia M'. Lepidi (17—20). Actum de Calpurnio Pisone neque peractum ob mortem opportunam. Cassius Severus ex Creta in insulam Seriphum translatus est (21). Plautius Silvanus, qui coniugem in praeceps iecerat, accusatus vitae suae finem imponit (22). Tacfarinas, cum Africam rursus raptaret, a Dolabella proconsule coercitus et caesus (23—26). In Italia belli servilis semina suppressa, in urbe reus pater, accusator filius. C. Cominium accusatum fratris precibus Caesar concessit, Suillium in insulam amoveri instat, Catum Firmium periculo eximit (27—31). Quae capita narrationis cum obvia rerum similitudine displicere possent, auctor ipse maluit profiteri sibi in arto esse et inglorium laborem, suos annales non comparari se velle cum scriptura eorum, qui veteres populi Romani res composuere: nihilo minus haec quoque conquiri tradique conducere (32—33).

C. 34—45. Annus a Ch. 25, Tiberii principis 12. Cremutius Cordus defertur apud patres, quod laudato M. Bruto C. Cassium ultimum Romanorum dixisset: ipse habita oratione vitam inedia finivit (34—35). Reorum multitudo. Cyzicenis adempta libertas. Templi honorem ab Hispania ulteriore oblatum Tiberius spernit; ea de re principis ad patres oratio (36—38). Promissum matrimonium flagitante Livia, hanc sibi petit Seianus a principe uxorem per epistulam; Tiberius modeste negat (39—40). Seianus secessum ab urbe imperatori suadet, et habita de Montano cognitio cunctantem perpulit Caesarem, ut vitandos crederet patrum coetus vocesque (41—42). Legationes Graecorum; aedes Veneris in monte Erycino instaurata; Massiliensium preces (43). Mortes virorum illustrium (44—45).

C. 46—61. Annus a Ch. 26, principis Tiberii 13. Decreta triumphi ornamenta Poppaeo Sabino ob Thraces pari fortitudine et prudentia devi-

ctos (46—51). In urbe series futuri in Agrippinam exitii incipit: Claudia Pulchra, Agrippinae sobrina, adulterii postulatur et damnatur; Agrippinae questus adversus Tiberium, sed irriti; maerentem Seianus altius percellit et Tiberium acrius in eam stimulat (52—54). In senatu legati Asiae audiuntur; ex undecim civitatibus de templo Tiberii statuendo certantibus praelati Smyrnaei (55—56). Tiberius in Campaniam abiit, non regressurus in urbem; in eo itinere periculum principis et Seiani in eum amicitia probata, quae res huic addit praesidium et fiduciam. Iam struit insidias in Neronem, Germanici filium, proximum successioni, et Drusum fratrem in partes trahit, etiam huic praemeditatus exitii futuri semina (57—60). Fine anni Asinius Agrippa et Q. Haterius moriuntur (61).

C. 62—67. Annus a Ch. 27, Tiberii 14. Amphitheatri Fidenatis ruina immensa vis spectantium obtrita aut lacerata; urbs incendio vastata et mons Caelius deustus. Quibus casibus et proceres Romani et princeps solita liberalitate subveniunt (62—65). Accusatorum in dies maior et infestior multitudo sine levamento grassatur. Tiberius in insulam Capreas transiit eamque duodecim villis insedit. In urbe Nero et Agrippina milite custodiuntur (66—67).

C. 68—75. Annus a Ch. 28, imperatoris Tiberii 15. Titius Sabinus, ob amicitiam Germanici et Agrippinae invisus Caesari, a falsis amicis foede circumventus accusatur, damnatusque ipso principio anni trahitur in carcerem, magno civium pavore et optimi cuiusque maerore ac misericordia erga Germanici coniugem et liberos. Iulia, neptis Augusti, moritur (68—72). Frisii pacem exuunt et parum prospere a L. Apronio, legato Germaniae inferioris, coercentur, dissimulante principe damna, ne cui bellum permitteret, patribus interno pavore occupatis. Tiberius et Seianus omisso paulisper insulae secessu transcendunt in Campaniae litus ad officia senatus, studia equitum plebisque accipienda. Aucta hinc arrogantia Seiano. Agrippinam, Germanici filiam, uxorem accipit Cn. Domitius (73—75).

C. Asinio C. Antistio consulibus nonus Tiberio annus erat compositae rei publicae, florentis domus (nam Germanici mortem inter prospera ducebat), cum repente turbare fortuna coepit, saevire ipse aut saevientibus vires praebere. Initium et causa penes Aelium Seianum, cohortibus praetoriis praefectum, cuius de potentia supra memoravi: nunc originem mores, et quo facinore dominationem raptum ierit, expediam. Genitus Vulsiniis patre Seio Strabone, equite Romano, et prima iuventa C. Caesarem, divi Augusti nepotem, sectatus, non sine rumore Apicio, diviti et prodigo, stuprum vaeno dedisse, mox Tiberium variis artibus devinxit, adeo ut obscurum adversum alios sibi uni incautum intectumque efficeret, non tam sollertia [quippe isdem artibus victus est] quam deum ira in rem Romanam, cuius pari exitio viguit ceciditque. Corpus illi laborum tolerans, animus audax, sui

1 A. Ch. 23

AB EXCESSV DIVI AVGVSTI. 1. C. Asinio *B*: ·G· asino cõs. 5 pene saeliũ 7 ierit *Pichena*: perit 8 Vulsiniis *B*: uulgussinis 11 * uaeno: ueno 13 *[quippe—est]

obtegens, in alios criminator; iuxta adulatio et superbia; palam compositus pudor, intus summa apiscendi libido, eiusque causa modo largitio et luxus, saepius industria ac vigilantia, haud minus noxiae, quotiens parando regno finguntur.
2 Vim praefecturae modicam antea intendit, dispersas per urbem cohortes una in castra conducendo, ut simul imperia acciperent, numeroque et robore et visu inter se fiducia ipsis, in ceteros metus oreretur. Praetendebat lascivire militem diductum; siquid subitum ingruat, maiore auxilio pariter subveniri; et severius acturos, si vallum statuatur procul urbis inlecebris. Vt perfecta sunt castra, inrepere paulatim militares animos, adeundo appellando *singulos;* simul centuriones ac tribunos ipse deligere. Neque senatorio ambitu abstinebat, clientes suos honoribus aut provinciis ornando, facili Tiberio atque ita prono, ut socium laborum non modo in sermonibus, sed apud patres et populum celebraret, colique per theatra et fora effigies eius interque principia legionum
3 sineret. Ceterum plena Caesarum domus, iuvenis filius, nepotes adulti moram cupitis adferebant, et, quia vi tot simul corripere intutum, dolus intervalla scelerum poscebat. Placuit tamen occultior via et a Druso incipere, in quem recenti ira ferebatur. Nam Drusus, inpatiens aemuli et animo commotior, orto forte iurgio intenderat Seiano manus, et contra tendentis os verberaverat. Igitur cuncta temptanti promptissimum visum ad uxorem eius Liviam convertere, quae soror Germanici, formae initio aetatis indecorae, mox pulchritudine praecellebat. Hanc ut amore incensus adulterio pellexit, et postquam primi flagitii potitus est (neque femina amissa pudicitia alia abnuerit), ad coniugii spem, consortium regni et necem mariti impulit. Atque illa, cui avunculus Augustus, socer Tiberius, ex Druso liberi, seque ac maiores et posteros municipali adultero foedabat, ut pro honestis et praesentibus flagitiosa et incerta expectaret. Sumitur in con-

5 praefecture 8 oriretur *Faernus*: credetur (*cf.* 1 49, *ubi* ore mari *pro* cremari) 9 diductum *B*: deductum 12 *singulos; simul: simul 14 ornando *B*: ornandi 19 nepotis et *delendum censet Nipperdey* 20 corpipere 22 inpaciens 23 sesejano 32 foedabat *B*: foedebat 33 exspectaret

scientiam Eudemus, amicus ac medicus Liviae, specie artis frequens secretis. Pellit domo Seianus uxorem Apicatam, ex qua tres liberos genuerat, ne paelici suspectaretur. Sed magnitudo facinoris metum prolationes, diversa interdum consilia adferebat.

Interim anni principio Drusus, ex Germanici liberis, togam virilem sumpsit, quaeque fratri eius Neroni decreverat senatus, repetita. Addidit orationem Caesar, multa cum laude filii sui, quod patria benivolentia in fratris liberos foret. Nam Drusus, quamquam arduum sit eodem loci potentiam et concordiam esse, aequus adulescentibus aut certe non adversus habebatur. Exin vetus et saepe simulatum proficiscendi in provincias consilium refertur. Multitudinem veteranorum praetexebat imperator, et dilectibus supplendos exercitus: nam voluntarium militem deesse ac, si suppeditet, non eadem virtute ac modestia agere, quia plerumque inopes ac vagi sponte militiam sumant. Percensuitque cursim numerum legionum, et quas provincias tutarentur. Quod mihi quoque exequendum reor, quae tunc Romana copia in armis, qui socii reges, quanto sit angustius imperitatum.

Italiam utroque mari duae classes, Misenum aput et Ravennam, proximumque Galliae litus rostratae naves praesidebant, quas Actiaca victoria captas Augustus in oppidum Foroiuliense miserat valido cum remige. Sed praecipuum robur Rhenum iuxta, commune in Germanos Gallosque subsidium, octo legiones erant. Hispaniae recens perdomitae tribus habebantur. Mauros Iuba rex acceperat, donum populi Romani. Cetera Africae per duas legiones parique numero Aegyptus, dehinc initio ab Suriae usque ad flumen Euphraten, quantum ingenti terrarum sinu ambitur, quattuor legionibus coercita, accolis Hibero Albanoque et aliis regibus, qui magnitudine nostra proteguntur adversum externa imperia. Et Thraeciam Rhoemetalces ac liberi Cotyis, ripam-

2 domos 3 paelici *nunc Mediceus, item* 6 49=43 paelices, *alter Mediceus* 12 46 paelicem, 14 60 paelex, 11 29 pelices, 30 pelici, 12 44 pelice, 13 46 pelicem, 15 59 pelicibus (*cf. mea ad Horat. Carm.* III 10 15) 8 senatu^{s} 11 auersus *Heinsius* 24 remit^{ę} precipuum 29 Syriae *Muretus*: suria eufraten

que Danuvii legionum duae in Pannonia, duae in Moesia attinebant, totidem apud Delmatiam locatis, quae positu regionis a tergo illis ac, si repentinum auxilium Italia posceret, haud procul accirentur, quamquam insideret urbem proprius miles, tres urbanae, novem praetoriae cohortes, Etruria ferme Vmbriaque delectae aut vetere Latio et coloniis antiquitus Romanis. At aput idonea provinciarum sociae triremes alaeque et auxilia cohortium, neque multo secus in iis virium: sed persequi incertum fuit, cum ex usu temporis huc illuc mearent, gliscerent numero et aliquando minuerentur.

6 Congruens crediderim recensere ceteras quoque rei publicae partes, quibus modis ad eam diem habitae sint, quoniam Tiberio mutati in deterius principatus initium ille annus attulit. Iam primum publica negotia et privatorum maxima aput patres tractabantur, dabaturque primoribus disserere, et in adulationem lapsos cohibebat ipse; mandabatque honores, nobilitatem maiorum, claritudinem militiae, inlustres domi artes spectando, ut satis constaret non alios potiores fuisse. Sua consulibus, sua praetoribus species; minorum quoque magistratuum exercita potestas; legesque, si maiestatis quaestio eximeretur, bono in usu. At frumenta et pecuniae vectigales, cetera publicorum fructuum societatibus equitum Romanorum agitabantur. Res suas Caesar spectatissimo cuique, quibusdam ignotis ex fama mandabat, semelque adsumpti tenebantur prorsus sine modo, cum plerique isdem negotiis insenescerent. Plebes acri quidem annona fatigabatur, sed nulla in eo culpa ex principe: quin infecunditati terrarum aut asperis maris obviam iit, quantum impendio diligentiaque poterat. Et ne provinciae novis oneribus turbarentur, utque vetera sine avaritia aut crudelitate magistratuum tolerarent, providebat: corporum verbera, ademptiones bonorum aberant. Rari per Italiam Caesaris agri, modesta servitia, intra paucos libertos domus; ac si quando cum privatis disceptaret, forum et ius.

2 del matiã locatis quae *B* : locatisq; 6 coloniis *L* : colonis 7 alaeque 8 cohortim 9 fuerit *L* cũ sexusu *pr* huc *B* : huic 12 qũo (quando *B*) 21 Ad 26 plebes *B* : plebis acri *R* : agri 33 siquando

Quae cuncta non quidem comi via, sed horridus ac 7
plerumque formidatus, retinebat tamen, donec morte Drusi
verterentur: nam dum superfuit, mansere, quia Seianus in-
cipiente adhuc potentia bonis consiliis notescere volebat, et
ultor metuebatur non occultus odii, set crebro querens in-
columi filio adiutorem imperii alium vocari. Et quantum su-
peresse ut collega dicatur? Primas dominandi spes in arduo:
ubi sis ingressus, adesse studia et ministros. Exstructa iam
sponte praefecti castra, datos in manum milites; cerni effi-
giem eius in monimentis Cn. Pompei; communes illi cum
familia Drusorum fore nepotes. Precandam post haec mo-
destiam *ei*, ut contentus esset. Neque raro neque apud pau-
cos talia iaciebat, et secreta quoque eius corrupta uxore
prodebantur. Igitur Seianus maturandum ratus deligit venenum, 8
quo paulatim inrepente fortuitus morbus adsimularetur. Id
Druso datum per Lygdum spadonem, ut octo post annos co-
gnitum est. Ceterum Tiberius per omnes valitudinis eius dies,
nullo metu an ut firmitudinem animi ostentaret, etiam defuncto
necdum sepulto, curiam ingressus est. Consulesque, sede vul-
gari per speciem maestitiae sedentes, honoris locique admo-
nuit, et effusum in lacrimas senatum victo gemitu, simul ora-
tione continua erexit: non quidem sibi ignarum posse argui,
quod tam recenti dolore subierit oculos senatus: vix propin-
quorum adloquia tolerari, vix diem aspici a plerisque lugentium.
Neque illos inbecillitatis damnandos: se tamen fortiora solacia
e complexu rei publicae petivisse. Miseratusque Augustae
extremam senectam, rudem adhuc nepotum et vergentem aeta-
tem suam, ut Germanici liberi, unica praesentium malorum
levamenta, inducerentur petivit. Egressi consules firmatos
adloquio adulescentulos deductosque ante Caesarem statuunt.
Quibus adprensis, 'patres conscripti, hos' inquit 'orbatos pa-
rente tradidi patruo ipsorum precatusque sum, quamquam
esset illi propria suboles, ne secus quam suum sanguinem

5 odiis et (odii, et *L*, odii, sed *Doederlein*) quęrens 10 Cn.] ·C· N· 11 nepotes] s *in rasura* 12 *ei, ut : ut 13 iacebat 14 maturam dum *pr* 17 oñs ualitudines 21 uictu 25 solatiae (solatia e *B*) 31 parente *B* : parenti

foveret attolleret, sibique et posteris conformaret. Erepto Druso preces ad vos converto, disque et patria coram obtestor: Augusti pronepotes, clarissimis maioribus genitos, suscipite regite, vestram meamque vicem explete. Hi vobis, Nero et Druse, parentum loco. Ita nati estis, ut bona malaque vestra
9 ad rem publicam pertineant.' Magno ea fletu et mox precationibus faustis audita; ac si modum orationi posuisset, misericordia sui gloriaque animos audientium impleverat: ad vana et totiens inrisa revolutus, de reddenda re publica, utque consules seu quis alius regimen susciperent, vero quoque et honesto fidem dempsit. Memoriae Drusi eadem quae in Germanicum decernuntur, plerisque additis, ut ferme amat posterior adulatio. Funus imaginum pompa maxime inlustre fuit, cum origo Iuliae gentis Aeneas omnesque Albanorum reges et conditor urbis Romulus, post Sabina nobilitas, Attus Clausus ceteraeque Claudiorum effigies, longo ordine spectarentur.

10 In tradenda morte Drusi, quae plurimis maximaeque fidei auctoribus memorata sunt, rettuli: set non omiserim eorundem temporum rumorem, validum adeo ut nondum exolescat. Corrupta ad scelus Livia Seianum Lygdi quoque [spadonis] animum stupro vinxisse, quod is [Lygdus] aetate atque forma carus domino interque primores ministros erat; deinde inter conscios ubi locus veneficii tempusque conposita sint, eo audaciae provectum, ut verteret et occulto indicio Drusum veneni in patrem arguens moneret Tiberium, vitandam potionem, quae prima ei aput filium epulanti offerretur. Ea fraude tum senem, postquam convivium inierat, exceptum poculum Druso tradidisse; atque illo ignaro et iuveniliter hauriente auctam suspitionem, tamquam metu et pudore sibimet inro-
11 garet mortem quam patri struxerat. Haec vulgo iactata, super id quod nullo auctore certo firmantur, prompte refutaveris. Quis enim mediocri prudentia, nedum Tiberius tan-

1 ac tolleret *B* 10 susciperint 12 decernantur 13 maximę 16 Clausus *B* : classus caeteraeque 18 *maximaeque fidei : maxime que fideis (maximeque fidis *B*) 19 rettuli *B* : retuli 21 lycdi [*spadonis] 22 is [Lygdus] *Ernesti* 24 locos 25 audacie 27 ei *R* : et offerretur *B* : offeretur 28 tū *B* : cū (captum *Muretus*)

tis rebus exercitus, inaudito filio exitium offerret, idque sua manu et nullo ad poenitendum regressu? quin potius ministrum veneni excruciaret, auctorem exquireret, insita denique etiam in extraneos cunctatione et mora adversum unicum et nullius ante flagitii compertum uteretur? Sed quia Seianus facinorum omnium repertor habebatur, ex nimia caritate in eum Caesaris et ceterorum in utrumque odio quamvis fabulosa et immania credebantur, atrociore semper fama erga dominantium exitus. Ordo alioqui sceleris per Apicatam [Seiani] proditus, tormentis Eudemi ac Lygdi patefactus est. Neque quisquam scriptor tam infensus extitit, ut Tiberio obiectaret, cum omnia alia conquirerent intenderentque. Mihi tradendi arguendique rumoris causa fuit, ut claro sub exemplo falsas auditiones depellerem peteremque ab iis, quorum in manus cura nostra venerit, divulgata atque incredibilia *ne* avide accepta veris neque in miraculum corruptis antehabeant.

Ceterum laudante filium pro Rostris Tiberio senatus 12
populusque habitum ac voces dolentum simulatione magis quam libens induebat, domumque Germanici revirescere occulti laetabantur. Quod principium favoris et mater Agrippina spem male tegens pernutiem adceleravere. Nam Seianus ubi videt mortem Drusi inultam interfectoribus, sine maerore publico esse, ferox scelerum, et quia prima proverenerant, volutare secum, quonam modo Germanici liberos perverteret, quorum non dubia successio. Neque spargi venenum in tres poterat, egregia custodum fide et pudicitia Agrippinae inpenetrabili. Igitur contumaciam eius insectari, vetus Augustae odium, recentem Liviae conscientiam exagitare, ut superbam fecunditate, subnixam popularibus studiis inhiare dominationi apud Caesarem arguerent. Atque haec callidis *commisit* criminatoribus, inter quos delegerat Iulium Postumum, per adulterium Mutiliae Priscae inter intimos

2 penitendum (paenitendum *B*) 10 *[Seiani] 12 oña 15 incredibili
16 *ne auide : auide (ne diuulgata *R*) 22 *pernutiem : pmtiem
23 inultam *B* : multam 27 egregi 30 superbam *Muretus* : superbiam
32 *commisit criminatoribus : criminatoribus 33 postumum *(sic)*

Liviae et consiliis suis peridoneum, quia Prisca in animo Augustae valida anum suapte natura potentiae anxiam insociabilem nurui efficiebat. Agrippinae quoque proximi inliciebantur pravis sermonibus tumidos spiritus perstimulare.

13 At Tiberius, nihil intermissa rerum cura, negotia pro solaciis accipiens, ius civium, preces sociorum tractabat; factaque auctore eo senatus consulta, ut civitati Cibyraticae aput Asiam, Aegiensi apud Achaiam, motu terrae labefactis, subveniretur remissione tributi in triennium. Et Vibius Serenus, pro consule ulterioris Hispaniae, de vi publica damnatus, ob atrocitatem morum in insulam Amorgum deportatur. Carsidius Sacerdos, reus tamquam frumento hostem Tacfarinatem iuvisset, absolvitur, eiusdemque criminis C. Gracchus. Hunc comitem exilii admodum infantem pater Sempronius in insulam Cercinam tulerat. Illic adultus inter extorres et liberalium artium nescios, mox per Africam ac Siciliam mutando sordidas merces sustentabatur; neque tamen effugit magnae fortunae pericula. Ac ni Aelius Lamia et L. Apronius, qui Africam obtinuerant, insontem protexissent, claritudine infausti generis et paternis adversis foret abstractus.

14 Is quoque annus legationes Graecarum civitatium habuit, Samiis Iunonis, Cois Aesculapii delubro vetustum asyli ius ut firmaretur petentibus. Samii decreto Amphictyonum nitebantur, quis praecipuum fuit rerum omnium iudicium, qua tempestate Graeci conditis per Asiam urbibus ora maris potiebantur. Neque dispar apud Coos antiquitas, et accedebat meritum ex loco: nam cives Romanos templo Aesculapii induxerant, cum iussu regis Mithridatis apud cunctas Asiae insulas et urbes trucidarentur. Variis dehinc et saepius inritis praetorum questibus, postremo Caesar de inmodestia histrionum rettulit: multa ab iis in publicum seditiose, foeda per domos temptari; Oscum quondam ludicrum,

1 *Liuiae: auiae 3 agrippine inlicebantur 4 sps 7 ciutati 8 aegiensi 10 pro cons. ulteriores 11 ab morum *L*: temporum 12 Carsidius *Reinesius*: Carsius (*cf.* 6 48 = 54) 18 Lamia *B*: lamina 19 claritudine *B*: claritudini 22 cois uetustum *B*: uetustus tum 25 qua *R*: ea qua conditus 27 romanas 30 quaestibus 32 temptari os cum

levissimae apud vulgus oblectationis, eo flagitiorum et virium venisse, ut auctoritate patrum coercendum sit. Pulsi tum histriones Italia.

Idem annus alio quoque luctu Caesarem adfecit, al- 15
terum ex geminis Drusi liberis extinguendo, neque minus morte amici. Is fuit Lucilius Longus, omnium illi tristium laetorumque socius, unusque e senatoribus Rhodii secessus comes. Ita, quamquam novo homini, censorium funus, effigiem apud forum Augusti publica pecunia patres decrevere, aput quos etiam tum cuncta tractabantur, adeo ut procurator Asiae Lucilius Capito accusante provincia... causam dixerit, magna cum adseveratione principis, non se ius nisi in servitia et pecunias familiares dedisse: quod si vim praetoris usurpasset manibusque militum usus foret, spreta in eo mandata sua: audirent socios. Ita reus cognito negotio damnatur. Ob quam ultionem, et quia priore anno in C. Silanum vindicatum erat, decrevere Asiae urbes templum Tiberio matrique eius ac senatui. Et permissum statuere; egitque Nero grates ea causa patribus atque avo, laetas inter audientium adfectiones, qui recenti memoria Germanici illum aspici, illum audiri rebantur. Aderantque iuveni modestia ac forma principe viro digna, notis in eum Seiani odiis ob periculum gratiora.

Sub idem tempus de flamine Diali in locum Servii Ma- 16
luginensis defuncti legendo, simul roganda nova lege disseruit Caesar. Nam patricios confarreatis parentibus genitos tres simul nominari, ex quis unus legeretur, vetusto more; neque adesse, ut olim, eam copiam, omissa confarreandi adsuetudine aut inter paucos retenta. Pluresque eius rei causas adferebat, potissimam penes incuriam virorum feminarumque: accedere et ipsius caerimoniae difficultates, quae consulto vitarentur; et quoniam exiret e iure patrio qui id fla-

1 leuissime *uulgus : uulgum 2 ut *supplevere Victorius et L, unde in margine Medicei rc. m.* tum *B* : dum 4 *adfecit : adficit 11 ...*causam : causam (*suppleo* coram senatu causam) dixerat 13 pecunias *B* : pecunia pretoris 24 Seruii *B* : serui 31 accedere et *Iac. Gronovius* : accederet 32 qũo (quando *B*) flaminium *B* : flamoniũ

minium apisceretur quaeque in manum flaminis conveniret,... Ita medendum senatus decreto aut lege, sicut Augustus quaedam ex horrida illa antiquitate ad praesentem usum flexisset. Igitur tractatis religionibus placitum instituto flaminum nihil demutari: sed lata lex, qua flaminica Dialis sacrorum causa in potestate viri, cetera promisco feminarum iure ageret. Et filius Maluginensis patri suffectus. Vtque glisceret dignatio sacerdotum, atque ipsis promptior animus foret ad capessendas caerimonias, decretum Corneliae virgini, quae in locum Scantiae capiebatur, sestertium vicies, et quotiens Augusta theatrum introisset, ut sedes inter Vestalium consideret.

17 Cornelio Cethego Visellio Varrone consulibus pontifices eorumque exemplo ceteri sacerdotes, cum pro incolumitate principis vota susciperent, Neronem quoque et Drusum isdem dis commendavere, non tam caritate iuvenum quam adulatione, quae moribus corruptis perinde anceps, si nulla et ubi nimia est. Nam Tiberius haud umquam domui Germanici mitis, tum vero aequari adulescentes senectae suae inpatienter indoluit; accitosque pontifices percontatus est, num id precibus Agrippinae aut minis tribuissent. Et illi quidem, quamquam abnuerent, modice perstricti: etenim pars magna e propinquis ipsius aut primores civitatis erant: ceterum in senatu oratione monuit in posterum, nequis mobiles adulescentium animos praematuris honoribus ad superbiam extolleret. Instabat quippe Seianus, incusabatque deductam civitatem ut civili bello; esse qui se partium Agrippinae vocent, ac ni resistatur, fore pluris; neque aliud gliscentis discordiae remedium quam si unus alterve maxime prompti
18 subverterentur. Qua causa C. Silium et Titium Sabinum adgreditur. Amicitia Germanici pernutiosa utrique, Silio et quod ingentis exercitus septem per annos moderator, partisque apud Germaniam triumphalibus Sacroviriani belli victor, quanto maiore mole procideret, plus formidinis in alios dispergebatur.

P. Ch. 24

1 *conueniret,... : conueniret (*fortasse excidit* contra tendere parentes) 7 utquae 10 scantie cupiebatur HS. $\overline{XX}$. 12 cōs. 16 perinde *R* : ꝑinde 19 pontificis 20 praecibus 25 deductam 27 aliut 29 ·G· *corr* 30 *pernutiosa : pnitiosa 33 procideret *R* : ꝓcederet

Credebant plerique auctam offensionem ipsius intemperantia, immodice iactantis suum militem in obsequio duravisse, cum alii ad seditiones prolaberentur; neque mansurum Tiberio imperium, si iis quoque legionibus cupido novandi fuisset. Destrui per haec fortunam suam Caesar inparemque tanto merito rebatur. Nam beneficia eo usque laeta sunt, dum videntur exsolvi posse: ubi multum antevenere, pro gratia odium redditur. Erat uxor Silio Sosia Galla, caritate Agrippinae in- 19
visa principi. Hos corripi dilato ad tempus Sabino placitum, inmissusque Varro consul, qui paternas inimicitias obtendens odiis Seiani per dedecus suum gratificabatur. Precante reo brevem moram, dum accusator consulatu abiret, adversatus est Caesar: solitum quippe magistratibus dum privatis dicere; nec infringendum consulis ius, cuius vigiliis niteretur nequod res publica detrimentum caperet. Proprium id Tiberio fuit scelera nuper reperta priscis verbis obtegere. Igitur multa adseveratione, quasi aut legibus cum Silio ageretur aut Varro *rei Romanae* consul aut illud res publica esset, coguntur patres. Silente reo vel, si defensionem coeptaret, non occultante cuius ira premeretur, conscientia belli Sacrovir diu dissimulatus, victoria per avaritiam foedata et uxor Sosia arguebantur. Nec dubie repetundarum criminibus haerebant, sed cuncta quaestione maiestatis exercita, et Silius imminentem damnationem voluntario fine praevertit. Saevitum tamen in bona, non ut stipendiariis pecuniae 20
redderentur, quorum nemo repetebat, sed liberalitas Augusti avulsa, conputatis singillatim quae fisco petebantur. Ea prima Tiberio erga pecuniam alienam diligentia fuit. Sosia in exilium pellitur Asinii Galli sententia, qui partem bonorum publicandam, pars ut liberis relinqueretur censuerat. Contra M'. Lepidus quartam *partem* accusatoribus secundum necessitudinem legis, cetera liberis concessit. Hunc ego Lepidum temporibus illis gravem et sapientem virum fuisse

5 inparem que 6 beneficia *B* : ueneficia 10 coñs. 11 sum praecante 15 proprium *B* : quo prium 17 *Varro rei Romanae : uarro 18 illut 22 socia 31 M'. *L et Borghesi* : *M* *quartam partem : quartam

comperior: nam pleraque ab saevis adulationibus aliorum in melius flexit. Neque tamen temperamenti egebat, cum aequabili auctoritate et gratia aput Tiberium viguerit. Vnde dubitare cogor, fato et sorte nascendi, ut cetera, ita principum inclinatio in hos, offensio in illos, an sit aliquid in nostris consiliis, liceatque inter abruptam contumaciam et deforme obsequium pergere iter ambitione ac periculis vacuum. At Messalinus Cotta, haud minus claris maioribus, sed animo diversus, censuit cavendum senatus consulto, ut quamquam insontes magistratus et culpae alienae nescii provincialibus uxorum criminibus perinde quam suis plecterentur.

21 Actum dehinc de Calpurnio Pisone, nobili ac feroci viro. Is namque, ut rettuli, cessurum se urbe ob factiones accusatorum in senatu clamitaverat, et spreta potentia Augustae trahere in ius Vrgulaniam domoque principis excire ausus erat. Quae in praesens Tiberius civiliter habuit: sed in animo revolvente iras, etiam si impetus offensionis languerat, memoria valebat. Pisonemque..Granius secreti sermonis incusavit adversum maiestatem habiti, adiecitque in domo eius venenum esse, eumque gladio accinctum introire curiam. Quod ut atrocius vero tramissum: ceterorum, quae multa cumulabantur, receptus est reus, neque peractus ob mortem opportunam. Relatum et de Cassio Severo exule, qui sordidae originis, maleficae vitae, sed orandi validus, per immodicas inimicitias ut iudicio iurati senatus Cretam amoveretur effecerat; atque illic eadem actitando recentia veteraque odia advertit, bonisque exutus, interdicto igni atque aqua, saxo Seripho consenuit.

22 Per idem tempus Plautius Silvanus praetor incertis causis Aproniam coniugem in praeceps iecit, tractusque ad Caesarem ab L. Apronio socero turbata mente respondit,

1 seuis 5 illo 6 contumatiam 7 Ad 11 perinde *B* : ꝑinde 13 rettuli *B* : retuli 14 accussatorum 18 Pisonemque.. : Pisonem que (Pisonem Q. *L, ego malim* Pisonemque C. Granius) Granius *L* : grauius secreti *B* : secretis 20 accingtum 21 caeterorum quae *R* : ceterorum q; 23 opportunam *B* : oportunam 25 efficerat 27 exsutus 28 Seriphio *B* 30 aproniem preceps

tamquam ipse somno gravis atque eo ignarus, et uxor sponte mortem sumpsisset. Non cunctanter Tiberius pergit in domum, visit cubiculum, in quo reluctantis et impulsae vestigia cernebantur. Refert ad senatum, datisque iudicibus Vrgulania, Silvani avia, pugionem nepoti misit. Quod perinde creditum quasi principis monitu ob amicitiam Augustae cum Vrgulania. Reus frustra temptato ferro venas praebuit exsolvendas. Mox Numantina, prior uxor eius, accusata iniecisse carminibus et veneficiis vecordiam marito, insons iudicatur.

Is demum annus populum Romanum longo adversum 23
Numidam Tacfarinatem bello absolvit. Nam priores duces ubi impetrando triumphalium insigni sufficere res suas crediderant, hostem omittebant; iamque tres laureatae in urbe statuae, et adhuc raptabat Africam Tacfarinas, auctus Maurorum auxiliis, qui Ptolemaeo, Iubae filio, iuventa incurioso libertos regios et servilia imperia bello mutaverant. Erat illi praedarum receptor ac socius populandi rex Garamantum, non ut cum exercitu incederet, sed missis levibus copiis quae ex longinquo in maius audiebantur; ipsaque e provincia, ut quis fortunae inops, moribus turbidus, promptius ruebant, quia Caesar post res a Blaeso gestas, quasi nullis iam in Africa hostibus, reportari nonam legionem iusserat, nec pro consule eius anni P. Dolabella retinere ausus erat, iussa principis magis quam incerta belli metuens.
Igitur Tacfarinas disperso rumore rem Romanam aliis quo- 24
que ab nationibus lacerari, eoque paulatim Africa decedere, ac posse reliquos circumveniri, si cuncti quibus libertas servitio potior incubuissent, auget vires positisque castris Thubursicum oppidum circumsidet. At Dolabella contracto quod erat militum, terrore nominis Romani, et quia Numidae peditum aciem ferre nequeunt, primo sui incessu solvit obsidium locorumque opportuna permunivit; simul principes Musulamiorum defectionem coeptantes securi percutit.

5 pugione^{m} 6 principes^{i} 9 insons siiudicatur 13 ubi *L*: sub 16 ptolemeo 20 exlonginquo 21 fortune 30 Thubursicum *Nipperdey*: thubuscum ad^{t} 34 ceptates

Dein quia pluribus adversum Tacfarinatem expeditionibus cognitum, non gravi nec uno incursu consectandum hostem vagum, excito cum popularibus rege Ptolemaeo quattuor agmina parat, quae legatis aut tribunis data; et praedatorias manus delecti Maurorum duxere: ipse consultor aderat om-
25 nibus. Nec multo post adfertur Numidas aput castellum semirutum, ab ipsis quondam incensum, cui nomen Auzea, positis mapalibus consedisse, fisos loco, quia vastis circum saltibus claudebatur. Tum expeditae cohortes alaeque, quam in partem ducerentur ignarae, cito agmine rapiuntur. Simulque coeptus dies, et concentu tubarum ac truci clamore aderant semisomnos in barbaros, praepeditis Numidarum equis aut diversos pastus pererrantibus. Ab Romanis confertus pedes, dispositae turmae, cuncta proelio provisa: hostibus contra omnium nesciis non arma, non ordo, non consilium, sed pecorum modo trahi occidi capi. Infensus miles memoria laborum et adversum eludentes optatae totiens pugnae, se quisque ultione et sanguine explebant. Differtur per manipulos, Tacfarinatem omnes, notum tot proeliis, consectentur: non nisi duce interfecto requiem belli fore. At ille deiectis circum stipatoribus vinctoque iam filio et effusis undique Romanis, ruendo in tela captivitatem haud inulta morte
26 effugit, isque finis armis inpositus. Dolabellae petenti abnuit triumphalia Tiberius, Seiano tribuens, ne Blaesi, avunculi eius, laus obsolesceret. Sed neque Blaesus ideo inlustrior, et huic negatus honor gloriam intendit: quippe minore exercitu insignis captivos, caedem ducis bellique confecti famam deportarat. Sequebantur et Garamantum legati, raro in urbe visi, quos Tacfarinate caeso perculsa gens et culpae nescia ad satis faciendum populo Romano miserat. Cognitis dehinc Ptolemaei per id bellum studiis,

3 rege Ptolemaeo *B*: recepto leameo 10 ignare 14 turamae proelia 17 eludentes *B*: eludentis (eludentis, pugnae *Nipperdey*) 18 se quisque *B*: siquis 20 ducei deiectis *Gronovius*: delectis 22 inulta *B*: multa 23 potenti 24 trumphalia *fortasse* id tribuens 27 exercitum 30 non nescia *Iac. Gronovius*, culpae conscia *L*, c. socia *Nipperdey* P. R. 31 ptolomei

repetitus ex vetusto more honos, missusque e senatoribus qui scipionem eburnum, togam pictam, antiqua patrum munera, daret regemque et socium atque amicum appellaret.

Eadem aestate moti per Italiam servilis belli semina 27
fors oppressit. Auctor tumultus T. Curtisius, quondam praetoriae cohortis miles, primo coetibus clandestinis aput Brundisium et circumiecta oppida, mox positis propalam libellis ad libertatem vocabat agrestia per longinquos saltus et ferocia servitia, cum velut munere deum tres biremes adpulere ad usus commeantium illo mari. Et erat isdem regionibus Cutius Lupus quaestor, cui provincia vetere ex more Cales evenerant: is disposita classiariorum copia coeptantem cum maxime coniurationem disiecit. Missusque a Caesare propere Staius tribunus cum valida manu ducem ipsum et proximos audacia in urbem traxit, iam trepidam ob multitudinem familiarum, quae gliscebat inmensum, minore in dies plebe ingenua.

Isdem consulibus miseriarum ac saevitiae exemplum 28
atrox, reus pater, accusator filius (nomen utrique Vibius Serenus) in senatum inducti sunt, ab exilio retractus inluvieque ac squalore obsitus et tum catena vinctus pater, orante filio: praeparatus adulescens multis munditiis, alacri vultu, structas principi insidias, missos in Galliam concitores belli index idem et testis dicebat, adnectebatque Caecilium Cornutum praetorium ministravisse pecuniam; qui taedio curarum, et quia periculum pro exitio habebatur, mortem in se festinavit. At contra reus nihil infracto ani-

1 more honos, missusque *Doederlein* : more omissusque (mos, missusque *L*) 4 moti *Pluygers* : mota 5 oppresit T̃ Curtilius *Reinesius* quõdam 9 ferocia *B* : feroricia 11 cutius (r) 12 Cales *L* : calles euenerant *Haase* : euenerat 13 cum (tum) coniurationem *B* : coniuratione acesare 15 audatia (audaciae *B*) trepidam *R* : trepida op (b) 16 familiarum quae *B* : familiarumque 18 cõs. seuitiae 19 accussator utrique *Muretus et L* : uiriq; 21 et tamen *potius* pater orante *Freher* : poranti (perorante *Mommsen*, pater perorante *Nipperdey*) 22 praeparatus *Venturius* : praeparatur 23 concito res 26 tedio

mo obversus in filium quatere vincla, vocare ultores deos, ut sibi quidem redderent exilium, ubi procul tali more ageret, filium autem quandoque supplicia sequerentur. Adseverabatque innocentem Cornutum et per falsa exterritum; idque facile intellectu, nisi proderentur alii: non enim se caedem principis et res novas uno socio cogitasse.

29 Tum accusator Cn. Lentulum et Seium Tuberonem nominat, magno pudore Caesaris, cum primores civitatis, intimi ipsius amici, Lentulus senectutis extremae, Tubero defecto corpore, tumultus hostilis et turbandae rei publicae accerserentur. Sed hi quidem statim exempti: in patrem ex servis quaesitum, et quaestio adversa accusatori fuit. Qui scelere vecors, simul vulgi rumore territus, robur et saxum aut parricidarum poenas minitantium, cessit urbe. Ac retractus Ravenna exsequi accusationem adigitur, non occultante Tiberio vetus odium adversum exulem Serenum. Nam post damnatum Libonem missis ad Caesarem litteris exprobraverat suum tantum studium sine fructu fuisse, addideratque quaedam contumacius quam tutum aput aures superbas et offensioni proniores. Ea Caesar octo post annos rettulit, medium tempus varie arguens, etiamsi tormenta pervicacia servorum contra eve-

30 nissent. Dictis dein sententiis ut Serenus more maiorum puniretur, quo molliret invidiam, intercessit. Gallus Asinius Gyaro aut Donusa claudendum cum censeret, id quoque aspernatus est, egenam aquae utramque insulam referens, dandosque vitae usus cui vita concederetur. Ita Serenus Amorgum reportatur. Et quia Cornutus sua manu ceciderat, actum de praemiis accusatorum abolendis, siquis maiestatis postulatus ante perfectum iudicium se ipse vita privavisset. Ibaturque in eam sententiam, ni durius contraque morem suum palam pro accusatoribus Caesar in-

2 tale 4 per falsa *Acidalius* : falsa (falso *Muretus et Vrsinus*) 5 *nisi : si (ni *Neue, iterum Madvig Em. Liv. p.* 90) 6 *fortasse* principi 7 accussator C· N· 10 publice 12 scelere 15 cultante 18 contumatius 20 uarię 21 peruicatia 24 cum *Muretus addidit, sed ante* Gallus, *ante* Gyaro *Nipperdey* 25 referrens 27 Amorgum *R* : amor cum (Amorcum *B*) 28 premiis. *mox* premia 30 in eam *B* : meam *pr* ni durius *B* : medurius 31 accussatoribus

ritas leges, rem publicam in praecipiti conquestus esset: subverterent potius iura quam custodes eorum amoverent. Sic delatores, genus hominum publico exitio repertum et ne poenis quidem umquam satis coercitum, per praemia eliciebantur.

His tam adsiduis tamque maestis modica laetitia in- 31
tericitur, quod C. Cominium, equitem Romanum, probrosi in se carminis convictum, Caesar precibus fratris, qui senator erat, concessit. Quo magis mirum habebatur gnarum meliorum, et quae fama clementiam sequeretur, tristiora malle. Neque enim socordia peccabat; nec occultum est, quando ex veritate, quando adumbrata laetitia facta imperatorum celebrentur. Quin ipse, compositus alias et velut eluctantium verborum, solutius promptiusque eloquebatur, quotiens subveniret. At P. Suillium, quaestorem quondam Germanici, cum Italia arceretur convictus pecuniam ob rem iudicandam cepisse, amovendum in insulam censuit, tanta contentione animi, ut iure iurando obstringeret e re publica id esse. Quod aspere acceptum ad praesens mox in laudem vertit regresso Suillio; quem vidit sequens aetas praepotentem venalem, et Claudii principis amicitia diu prospere, numquam bene usum. Eadem poena in Catum Firmium senatorem statuitur, tamquam falsis maiestatis criminibus sororem petivisset. Catus, ut rettuli, Libonem inlexerat insidiis, deinde indicio perculerat. Eius operae memor Tiberius, sed alia praetendens, exilium deprecatus est: quo minus senatu pelleretur non obstitit.

Pleraque eorum, quae rettuli quaeque referam, parva 32
forsitan et levia memoratu videri non nescius sum: sed nemo annales nostros cum scriptura eorum contenderit, qui veteres populi Romani res conposivere. Ingentia illi bella, expugnationes urbium, fusos captosque reges, aut, si quando ad interna praeverterent, discordias consulum adversum tribunos,

4 ne poenis *Bekker*: poenis 5 elicebantur 8 prębus 13 caelebrentur 14 solucius 18 *ut iure iurando: uteiurando (ut et iurando *B*) e. r. P. 24 Libonem *B*: tibonem indicio *Vertranius*: iudicio 30 ueteris *Freinsheim coll.* 1 1 31 cõpossiuere (composuere *B*) 32 siquando

agrarias frumentariasque leges, plebis et optimatium certamina libero egressu memorabant: nobis in arto et inglorius labor; immota quippe aut modice lacessita pax, maestae urbis res [et princeps proferendi imperii incuriosus erat]. Non tamen sine usu fuerit introspicere illa primo aspectu levia, ex quis magnarum saepe rerum motus oriuntur.

33 Nam cunctas nationes et urbes populus aut primores aut singuli regunt: delecta ex iis et consociata rei publicae forma laudari facilius quam evenire, vel, si evenit, haud diuturna esse potest. Igitur ut olim plebe valida, vel cum patres pollerent, noscenda vulgi natura et quibus modis temperanter haberetur, senatusque et optimatium ingenia qui maxime perdidicerant, callidi temporum et sapientes credebantur, sic converso statu, neque alia re Romana quam si unus imperitet, haec conquiri tradique in rem fuerit, quia pauci prudentia honesta ab deterioribus, utilia ab noxiis discernunt, plures aliorum eventis docentur. Ceterum ut profutura, ita minimum oblectationis adferunt. Nam situs gentium, varietates proeliorum, clari ducum exitus retinent ac redintegrant legentium animum: nos saeva iussa, continuas accusationes, fallaces amicitias, pernutiem innocentium et easdem exitii causas coniungimus, obvia rerum similitudine et satietate. Tumque antiquis scriptoribus rarus obtrectator, neque refert cuiusquam Punicas Romanasve acies laetius extuleris: at multorum, qui Tiberio regente poenas vel infamiam subiere, posteri manent. Vtque familiae ipsae iam extinctae sint, reperies qui ob similitudinem morum aliena malefacta sibi obiectari putent. Etiam gloria ac virtus infensos habet, ut nimis ex propinquo diversa arguens. Sed ad coepta redeo.

2 c arto 3 immota *B* : immo ita 4 *[et — erat] imperi 6 sepe 8 his *B* consociata *Ernesti* : consciata 11 noscendi a 14 re Romana *L* : rerum 17 *malim* eventibus; *cf.* 2 26, 12 31, *H.* 1 4, *A.* 22 18 oblectationes l 21 *pernutiem : permitiem 22 exitii *Pichena* : exitu 23 sacietate *tumque : tum quod (tum [quod] *Nipperdey*) Romanasne *Nipp.* 25 ad poenas uel infamiam *Heraeus* : poenam uel infamias (poenam uel infamiam *L*) 26 utque 29 ut nimis *Muretus et L* : utanimis n 30 *ad coepta : ancepto (ad incepta *B*, ad inceptum *Halm*)

Cornelio Cosso Asinio Agrippa consulibus Cremutius 34
Cordus postulatur, novo ac tunc primum audito crimine, p. Ch. 25
quod editis annalibus laudatoque M. Bruto C. Cassium Romanorum ultimum dixisset. Accusabant Satrius Secundus et Pinarius Natta, Seiani clientes. Id pernutiabile reo, et Caesar truci vultu defensionem accipiens, quam Cremutius, relinquendae vitae certus, in hunc modum exorsus est. 'Verba mea, patres conscripti, arguuntur: adeo factorum innocens sum. Sed neque haec in principem aut principis parentem, quos lex maiestatis amplectitur: Brutum et Cassium laudavisse dicor, quorum res gestas cum plurimi composuerint, nemo sine honore memoravit. Titus Livius, eloquentiae ac fidei praeclarus in primis, Cn. Pompeium tantis laudibus tulit, ut Pompeianum eum Augustus appellaret; neque id amicitiae eorum offecit. Scipionem, Afranium, hunc ipsum Cassium, hunc Brutum nusquam latrones et parricidas, quae nunc vocabula inponuntur, saepe ut insignis viros nominat. Asinii Pollionis scripta egregiam eorundem memoriam tradunt; Messalla Corvinus imperatorem suum Cassium praedicabat: et uterque opibusque et honoribus perviguere. Marci Ciceronis libro, quo Catonem caelo aequavit, quid aliud dictator Caesar quam rescripta oratione, velut apud iudices, respondit? Antonii epistulae, Bruti contiones falsa quidem in Augustum probra, set multa cum acerbitate habent; carmina Bibaculi et Catulli referta contumeliis Caesarum leguntur: sed ipse divus Iulius, ipse divus Augustus et tulere ista et reliquere, haud facile dixerim, moderatione magis an sapientia. Namque spreta exolescunt: si irascare, adgnita videntur. Non 35
attingo Graecos, quorum non modo libertas, set etiam libido impunita; aut siquis advertit, dictis dicta ultus est. Sed maxime solutum et sine obtrectatore fuit prodere de iis, quos mors odio aut gratiae exemisset. Num enim armatis

1 cōs. 5 *pernutiabile : pmitiabile 8 P· C· 11 cum posuerint 13 C· N· 16 b prutum 17 uocabulum a im ponuntur insignis *B* : insigni 18 messalla (*v. ad* 1 8) 20 *opibusque et : opibusque atque (opibus atque *Acidalius*) 22 ludices 26 relinquere 28 spręta exolescunt 29 set etiam *Spengel* : etiam 32 enim *Halm* : eum (cum *B*)

Cassio et Bruto ac Philippenses campos optinentibus belli civilis causa populum per contiones incendo? an illi quidem septuagesimum ante annum perempti, quomodo imaginibus suis noscuntur, quas ne victor quidem abolevit, sic partem memoriae apud scriptores retinent? Suum cuique decus posteritas rependit; nec derunt, si damnatio ingruit, qui non modo Cassii et Bruti, sed et [etiam] mei meminerint.' Egressus dein senatu vitam abstinentia finivit. Libros per aediles cremandos censuere patres: set manserunt occultati et editi. Quo magis socordiam eorum inridere libet, qui praesenti potentia credunt extingui posse etiam sequentis aevi memoriam. Nam contra punitis ingeniis gliscit auctoritas, neque aliud externi reges aut qui eadem saevitia usi sunt, nisi dedecus sibi atque illis gloriam peperere.

36 Ceterum postulandis reis tam continuus annus fuit, ut feriarum Latinarum diebus praefectum urbis Drusum, auspicandi gratia tribunal ingressum, adierit Calpurnius Salvianus in Sextum Marium: quod a Caesare palam increpitum causa exilii Salviano fuit. Obiecta publice Cyzicenis incuria caerimoniarum divi Augusti, additis violentiae criminibus adversum cives Romanos. Et amisere libertatem, quam bello Mithridatis meruerant, circumsessi nec minus sua constantia quam praesidio Luculli pulso rege. At Fonteius Capito, qui pro consule Asiam curaverat, absolvitur, conperto ficta in eum crimina per Vibium Serenum. Neque tamen id Sereno noxae fuit, quem odium publicum tutiorem faciebat. Nam ut quis destrictior accusator, velut sacrosanctus erat: leves ignobiles poenis adficiebantur.

37 Per idem tempus Hispania alterior missis ad senatum legatis oravit, ut exemplo Asiae delubrum Tiberio matrique eius exstrueret. Qua occasione Caesar, validus alioqui spernendis honoribus et respondendum ratus iis quorum rumore

1 philipensens 3 peremti 4 ne *Gronovius*: nec adoleuit 6 rependunt 7 *sed et [etiam]: sedet etiam (*sic;* sed etiam *B*) 9 sed *L*: et 10 socordiam *B*: socordia 11 sequentis aeui *B*: sequente saeculi 12 aliut 13 saeuiti ausi 15 reistam *pr* 19 publicae 21 quem 22 mithiridatis 27 destrictior 31 alio qui

arguebatur in ambitionem flexisse, huiuscemodi orationem coepit. 'Scio, patres conscripti, constantiam meam a plerisque desideratam, quod Asiae civitatibus nuper idem istud petentibus non sim adversatus. Ergo et prioris silentii defensionem, et quid in futurum statuerim, simul aperiam. Cum divus Augustus sibi atque urbi Romae templum apud Pergamum sisti non prohibuisset, qui omnia facta dictaque eius vice legis observem, placitum iam exemplum promptius secutus sum, quia cultui meo veneratio senatus adiungebatur. Ceterum ut semel recepisse veniam habuerit, ita omnis per provincias effigie numinum sacrari ambitiosum, superbum; et vanescet Augusti honor, si promiscis adulationibus vulgatur. Ego me, patres conscripti, mortalem esse et hominum 38
officia fungi satisque habere, si locum principem impleam, et vos testor et meminisse posteros volo; qui satis superque memoriae meae *id* tribuent, ut maioribus meis *me* dignum, rerum vestrarum providum, constantem in periculis, offensionum pro utilitate publica non pavidum credant. Haec mihi in animis vestris templa, hae pulcherrimae effigies et maniurae. Nam quae saxo struuntur, si iudicium posterorum in odium vertit, pro sepulcris spernuntur. Proinde socios cives, et deos ipsos precor, hos ut mihi ad finem usque vitae quietam et intellegentem humani divinique iuris mentem duint, illos ut, quandoque concessero, cum laude et bonis recordationibus facta atque famam nominis mei prosequantur.' Perstititque posthac secretis etiam sermonibus aspernari talem sui cultum. Quod alii modestiam, multi, quia diffideret, quidam ut degeneris animi interpretabantur. Optumos quippe mortalium altissima cupere: sic Herculem et Liberum apud Graecos, Quirinum apud nos deum numero additos: melius Augustum, qui speraverit. Cetera principibus statim adesse: unum insatiabiliter parandum, prosperam sui memoriam: nam contemptu famae contemni virtutes.

2 ·P· C· 7 ego, qui *potius* oña ficta 10 p oñs p (omnes per *Nipperdey*, per omnes *B*) 11 sacrari *L* : sacra 13 ·P· C· et *B* : et|et 16 *meae id : meae *meis me : meis 20 posterorum *R* : posteriorum 21 sepulchris 22 deos ipsos *Pichena* : deos et deos ipsos 28 interpraetabantur 30 grecos

39 At Seianus nimia fortuna socors, et muliebri insuper cupidine incensus, promissum matrimonium flagitante Livia, componit ad Caesarem codicillos: moris quippe tum erat quamquam praesentem scripto adire. Eius talis forma fuit. Benivolentia patris Augusti et mox plurimis Tiberii iudiciis ita insuevisse *se*, ut spes votaque sua non prius ad deos quam ad principum aures conferret. Neque fulgorem honorum umquam precatum: excubias ac labores, ut unum e militibus, pro incolumitate imperatoris malle. Ac tamen quod pulcherrimum, adeptum, ut coniunctione Caesaris dignus crederetur: hinc initium spei. Et quoniam audiverit Augustum in conlocanda filia non nihil etiam de equitibus Romanis consultavisse, ita, si maritus Liviae quaereretur, haberet in animo amicum sola necessitudinis gloria usurum. Non enim exuere inposita munia: satis aestimare firmari domum adversum iniquas Agrippinae offensiones, idque liberorum causa: nam sibi multum superque vitae fore, quod tali cum principe exple-
40 visset. Ad ea Tiberius, laudata pietate Seiani suisque in eum beneficiis modice percursis, cum tempus tamquam ad integram consultationem petivisset, adiunxit: ceteris mortalibus in eo stare consilia, quid sibi conducere putent; principum diversam esse sortem, quibus praecipua rerum ad famam derigenda. Ideo se non illuc decurrere quod promptum rescriptu, posse ipsam Liviam statuere, nubendum post Drusum an in penatibus isdem tolerandum haberet; esse illi matrem et aviam, propiora consilia. Simplicius acturum, de inimicitiis primum Agrippinae, quas longe acrius arsuras, si matrimonium Liviae velut in partes domum Caesarum distraxisset. Sic quoque erumpere aemulationem feminarum, eaque discordia nepotes suos convelli: quid si intendatur certamen tali coniugio? 'Falleris enim, Seiane, si te mansurum in eodem ordine putas, et Liviam, quae C. Caesari, mox Druso nupta fuerit, ea mente acturam, ut cum equite Romano senescat. Ego ut sinam, credisne passuros qui fratrem eius, qui

6 *se : om 7 principum *B* : principē 9 incolimitate actamen quo (At tamen quod *B*) 13 haberet ianimo 14 exsuere 19 beneficiis 22 derigenda

patrem maioresque nostros in summis imperiis videre? vis tu quidem istum intra locum sistere: sed illi magistratus et primores, qui *ad* te, invito *te,* perrumpunt omnibusque de rebus consulunt, excessisse iam pridem equestre fastigium longeque antisse patris mei amicitias non occulti ferunt, perque invidiam tui me quoque incusant. At enim Augustus filiam suam equiti Romano tradere meditatus est. Mirum Hercule, si, cum in omnis curas distraheretur immensumque attolli provideret quem coniunctione tali super alios extulisset, C. Proculeium et quosdam in sermonibus habuit insigni tranquillitate vitae, nullis rei publicae negotiis permixtos. Sed si dubitatione Augusti movemur, quanto validius est quod Marco Agrippae, mox mihi conlocavit? Atque ego haec pro amicitia non occultavi: ceterum neque tuis neque Liviae destinatis adversabor. Ipse quid intra animum volutaverim, quibus adhuc necessitudinibus inmiscere te mihi parem, omittam ad praesens referre: id tantum aperiam, nihil esse tam excelsum, quod non virtutes istae tuusque in me animus mereantur, datoque tempore vel in senatu vel in contione non reticebo. Rursum Seianus, non iam de matrimonio, sed altius me- 41
tuens, tacita suspitionum, vulgi rumorem, ingruentem invidiam deprecatur. Ac ne adsiduos in domum coetus arcendo infringeret potentiam aut receptando facultatem criminantibus praeberet, huc flexit, ut Tiberium ad vitam procul Roma amoenis locis degendam impelleret. Multa quippe providebat: sua in manu aditus, litterarumque magna ex parte se arbitrum fore, cum per milites commearent; mox Caesarem vergente iam senecta, secretoque loci mollitum, munia imperii facilius tramissurum; et minui sibi invidiam adempta salutantum turba, sublatisque inanibus vera potentiae augeri. Igitur paulatim negotia urbis, populi adcursus, multitudinem adfluentium increpat, extollens laudibus quietem et solitudinem, quis

1 maioresque *B* : maioreque 3 *ad te : te *inuito te : inuitę 4 per idem *(sic)* longeque *R* : legeque 5 perquem 8 destraheretur 16 nessitudinibus 18 uirtutis *fortasse* tuae tuusque 20 iam *Muretus et Faernus* : tam 21 suspicionũ 24 praberet flexit *B* : elexit 30 inanibus *B* : manibus uera potentiae *Paschalius et Heinsius* : uera potentia (ueram potentiam *Muretus*) augeri *R* : augere

abesse taedia et offensiones ac praecipua rerum maxime
42 agitari. Ac forte habita per illos dies de Votieno Montano, celebris ingenii viro, cognitio cunctantem iam Tiberium perpulit ut vitandos crederet patrum coetus vocesque, quae plerumque verae et graves coram ingerebantur. Nam postulato Votieno ob contumelias in Caesarem dictas, testis Aemilius, e militaribus viris, dum studio probandi cuncta refert et, quamquam inter obstrepentes, magna adseveratione nititur, audivit Tiberius probra quis per occultum lacerabatur, adeoque perculsus est, ut semet vel statim vel in cognitione purgaturum clamitaret, precibusque proximorum, adulatione omnium aegre componeret animum. Et Votienus quidem maiestatis poenis adfectus est: Caesar obiectam sibi adversus reos inclementiam eo pervicacius amplexus, Aquiliam adulterii delatam cum Vario Ligure, quamquam Lentulus Gaetulicus, consul designatus, lege Iulia damnasset, exilio punivit, Apidiumque Merulam, quod in acta divi Augusti non iuraverat, albo senatorio erasit.

43 Auditae dehinc Lacedaemoniorum et Messeniorum legationes de iure templi Dianae Limnatidis, quod suis a maioribus suaque in terra dicatum Lacedaemonii firmabant annalium memoria vatumque carminibus, sed Macedonis Philippi, cum quo bellassent, armis ademptum, ac post C. Caesaris et M. Antonii sententia redditum. Contra Messenii veterem inter Herculis posteros divisionem Peloponnesi protulere, suoque regi Denthaliatem agrum, in quo id delubrum, cessisse; monimentaque eius rei sculpta saxis et aere prisco manere. Quod si vatum aut annalium ad testimonia vocentur, plures sibi ac locupletiores esse; neque Philippum *pro* potentia sed ex vero statuisse: idem regis Antigoni, idem imperatoris

1 tedia maximae 5 postulato *B in annot.*: postulatio 10 *semet uel: seuel uel (se uel *B*) 15 caetulicus 19 audite 20 deiure Limnatidis *L*: liminatidis 23 cum quo *B*: cumque ademptum *B*: adeptum 24 messeni 25 hercules 26 regi Dentheliatem *L*: recident heliatem (a *rere correctum*, *cf. Nipperdey*) 27 rei sculpta *B*: reis culpa 28 aut annalium *Heraeus*: annalium (annaliumque *Ernesti*) 29 locupletiores *L*: locupletioris *pro potentia: potentia 30 exuero

Mummii iudicium; sic Milesios permisso publice arbitrio, postremo Atidium Geminum, praetorem Achaiae, decrevisse. Ita secundum Messenios datum. Et Segestani aedem Veneris montem aput Erycinum, vetustate dilapsam, restaurari postulavere, nota memorantes de origine eius et laeta Tiberio. Suscepitque curam libens ut consanguineus. Tunc tractatae Massiliensium preces, probatumque P. Rutilii exemplum: namque eum legibus pulsum civem sibi Zmyrnaei addiderant. Quo iure Vulcatius Moschus, exul in Massilienses receptus, bona sua rei publicae eorum ut patriae reliquerat.

Obiere eo anno viri nobiles Cn. Lentulus et L. Do- 44
mitius. Lentulo super consulatum et triumphalia de Getis gloriae fuerat bene tolerata paupertas, dein magnae opes innocenter partae et modeste habitae. Domitium decoravit pater civili bello maris potens, donec Antonii partibus, mox Caesaris misceretur. Avus Pharsalica acie pro optumatibus ceciderat. Ipse delectus cui minor Antonia, Octavia genita, in matrimonium daretur, post exercitu flumen Albim transcendit, longius penetrata Germania quam quisquam priorum, easque ob res insignia triumphi adeptus est. Obiit et L. Antonius, multa claritudine generis, sed inprospera. Nam patre eius Iulo Antonio ob adulterium Iuliae morte punito, hunc admodum adulescentulum, sororis nepotem, seposuit Augustus in civitatem Massiliensem, ubi specie studiorum nomen exilii tegeretur. Habitus tamen supremis honor, ossaque tumulo Octaviorum inlata per decretum senatus.

Isdem consulibus facinus atrox in citeriore Hispania 45
admissum a quodam agresti nationis Termestinae. Is praetorem provinciae L. Pisonem, pace incuriosum, ex inproviso in itinere adortus uno vulnere in mortem adfecit; ac pernicitate equi profugus, postquam saltuosos locos attigerat,

1 iuditium publicae 2 postrem 4 Erycinum *Heinsius*: erycum dilapsam *Ernesti*: delapsam 6 *suscepitque: suscepit (*cf.* 1 51 *et* 65 *et* 75, 3 14 *et* 42 *et* 71 *et* 74 *cet.*) 7 rutillii 8 zmyrnei 9 receptos bona sua rei *B*: bonasuarie 11 C N 12 de Getis *B*: degetes 14 partae *L*: paratae modestae 16 pharssalica 17 delectus *Pichena*: deiectus (electus *B*) 22 Iulo *L*: iulio morte 24 spetie 27 istem facimus 28 Termestinae: Is *B*: ter maestina eis

dimisso equo per derupta et avia sequentis frustratus est. Neque diu fefellit: nam prenso ductoque per proximos pagos equo, cuius foret cognitum. Et repertus cum tormentis edere conscios adigeretur, voce magna sermone patrio frustra se interrogari clamitavit: adsisterent socii ac spectarent; nullam vim tantam doloris fore, ut veritatem eliceret. Idemque cum postero *die* ad quaestionem retraheretur, eo nisu proripuit se custodibus saxoque caput adflixit, ut statim exanimaretur. Sed Piso Termestinorum dolo caesus habetur: quippe pecunias e publico interceptas acrius quam ut tolerarent barbari cogebat.

46 Lentulo Gaetulico C. Calvisio consulibus decreta triumphi insignia Poppaeo Sabino, contusis Thraecum gentibus, qui montium editis sine cultu atque eo ferocius agitabant. Causa motus, super hominum ingenia, quod pati dilectus et validissimum quemque militiae nostrae dare aspernabantur, ne regibus quidem parere nisi ex libidine soliti, aut, si mitterent auxilia, suos ductores praeficere nec nisi adversum accolas belligerare. Ac tum rumor incesserat fore ut disiecti aliisque nationibus permixti diversas in terras traherentur. Sed antequam arma inciperent, misere legatos amicitiam obsequiumque memoraturos, et mansura haec, si nullo novo onere temptarentur: sin ut victis servitium indiceretur, esse sibi ferrum et iuventutem et promptum libertati aut ad mortem animum. Simul castella rupibus indita conlatosque illuc parentes et coniuges ostentabant, bellumque impeditum arduum
47 cruentum minitabantur. At Sabinus, donec exercitus in unum conduceret, datis mitibus responsis, postquam Pomponius Labeo e Moesia cum legione, rex Rhoemetalces cum auxiliis popularium, qui fidem non mutaverant, venere, addita praesenti copia ad hostem pergit, compositum iam per angustias saltuum. Quidam audentius apertis in collibus visebantur, quos

1 fraistratus 4 si 7 *postero die : postero *quaestionem : quaesitionem 8 exanimaretur *B* : examinaretur 9 permestinorum habebatur *Pluggers* quippe *Bezzenberger* : qui (quia *Pichena*) 12 .cō. 14 sine cultu *Bezzenberger* : incultu (inculti *B*) 15 *ingenia : ingeniū 21 miserere 26 impedituum 28 postquam — uenere *Iac. Gronovius* : quam — uenire

dux Romanus acie suggressus haud aegre pepulit, sanguine barbarorum modico ob propinqua suffugia. Mox castris in loco communitis valida manu montem occupat, angustum et aequali dorso continuum usque ad proximum castellum, quod magna vis armata aut incondita tuebatur. Simul in ferocissimos, qui ante vallum more gentis cum carminibus et tripudiis persultabant, mittit delectos sagittariorum. Ii dum eminus grassabantur, crebra et inulta vulnera fecere: propius incedentes eruptione subita turbati sunt receptique subsidio Sugambrae cohortis, quam Romanus promptam ad pericula nec minus cantuum et armorum tumultu trucem haud procul instruxerat. Translata dehinc castra hostem propter, re- 48
lictis aput priora munimenta Thraecibus, quos nobis adfuisse memoravi. Iisque permissum vastare urere, trahere praedas, dum populatio lucem intra sisteretur noctemque in castris tutam et vigilem capesserent. Id primo servatum: mox versi in luxum, et raptis opulenti, omittere stationem lascivia epularum, aut somno et vino procumbere. Igitur hostes, incuria eorum conperta, duo agmina parant, quorum altero populatores invaderentur, alii castra Romana adpugnarent, non spe capiendi, sed ut clamore telis, suo quisque periculo intentus, sonorem alterius proelii non acciperent. Tenebrae insuper delectae augendam ad formidinem. Sed qui vallum legionum temptabant, facile pelluntur; Thraecum auxilia repentino incursu territa, cum pars munitionibus adiacerent, plures extra palarentur, tanto infensius caesi, quanto perfugae et proditores ferre arma ad suum patriaeque servitium incusabantur. Postera die Sabinus exercitum aequo loco ostendit, 49
si barbari successu noctis alacres proelium auderent. Et postquam castello aut coniunctis tumulis non degrediebantur, obsidium coepit per praesidia, quae opportune iam muniebat; dein fossam loricamque contexens quattuor milia passuum

5 at *Rhenanus* 8 proprius 10 Sugambrae *L*: sugranbrae (Sycambrae *B*) 13 theecib; 16 uersi in *B*: uersun 17 raptis opulenti *stationem: statione (stationes *B*) lasciui aepularũ 22 *acciperent: acciperet deiectae 24 Threcum 28 sibinus 30 degrediebantur *Pichena*: degrediebatur (digrediebantur *R*) 31 opportune immuniebat *Freinsheim, ut* 11 19

ambitu amplexus est; tum paulatim, ut aquam pabulumque eriperet, contrahere claustra artaque circumdare; et struebatur agger, unde saxa hastae ignes propinquum iam in hostem iacerentur. Sed nihil aeque quam sitis fatigabat, cum ingens multitudo bellatorum inbelliumque uno reliquo fonte uterentur; simulque armenta [,ut mos barbaris,] iuxta clausa egestate pabuli exanimari; adiacere corpora hominum, quos vulnera, quos sitis peremerat; pollui cuncta sanie odore contactu. Rebusque turbatis malum extremum discordia accessit, his deditionem, aliis mortem et mutuos inter se ictus parantibus. Et erant qui non inultum exitium sed eruptionem suaderent [neque ignobiles, quamvis diversi sententiis].

50 Verum e ducibus Dinis, provectus senecta et longo usu vim atque clementiam Romanam edoctus, ponenda arma, unum adflictis id remedium disserebat, primusque se cum coniuge et liberis victori permisit: secuti aetate aut sexu inbecilli et quibus maior vitae quam gloriae cupido. At iuventus Tarsam inter et Turesim distrahebatur. Vtrique destinatum cum libertate occidere, sed Tarsa properum finem, abrumpendas pariter spes ac metus clamitans, dedit exemplum demisso in pectus ferro; nec defuere qui eodem modo oppeterent. Turesis sua cum manu noctem opperitur, haud nescio duce nostro; igitur firmatae stationes densioribus globis. Et ingruebat nox nimbo atrox, hostisque clamore turbido, modo per vastum silentium, incertos obsessores effecerat, cum Sabinus circumire, hortari ne ad ambigua sonitus aut simulationem quietis casum insidiantibus aperirent, sed sua quisque munia servarent immoti telisque non in falsum

51 iactis. Interea barbari catervis decurrentes nunc in vallum manualia saxa, praeustas sudes, decisa robora iacere, nunc virgultis et cratibus et corporibus exanimis complere fossas, quidam pontis et scalas ante fabricati inferre propugnaculis, eaque prensare detrahere, et adversum resistentis comminus niti. Miles contra deturbare telis, pellere umbonibus, mura-

5 *inbelliumque : inbellium 6 simulque *Vrsinus et L (L etiam* simul equi *coniecit)* : simul eque *(sic;* simul aeque *B)* *[ut mos barbaris] 12 *[neque—sententiis] 26 Sabinus *B* : absinus 27 cassum 30 manu alia 32 pontis 33 eaque

lia pila, congestas lapidum moles provolvere. His partae victoriae spes et, si cedant, insignitius flagitium, illis extrema iam salus et adsistentes plerisque matres et coniuges earumque lamenta addunt animos. Nox aliis in audaciam, aliis ad formidinem opportuna; incerti ictus, vulnera inprovisa; suorum atque hostium ignoratio et montis anfractu repercussae velut a tergo voces adeo cuncta miscuerant, ut quaedam munimenta Romani quasi perrupta omiserint. Neque tamen pervasere hostes nisi admodum pauci: ceteros, deiecto promptissimo quoque aut saucio, adpetente iam luce trusere in summa castelli, ubi tandem coacta deditio. Et proxima sponte incolarum recepta: reliquis, quo minus vi aut obsidio subigerentur, praematura montis Haemi et saeva hiemps subvenit.

At Romae commota principis domo, ut series futuri in 52
Agrippinam exitii inciperet, Claudia Pulchra, sobrina eius, postulatur accusante Domitio Afro. Is recens praetura, modicus dignationis, et quoquo facinore properus clarescere, [crimen inpudicitiae], adulterum Furnium, veneficia in principem et devotiones obiectabat. Agrippina semper atrox, tum et periculo propinquae accensa, pergit ad Tiberium, ac forte sacrificantem patri repperit. Quo initio invidiae non eiusdem ait mactare divo Augusto victimas et posteros eius insectari. Non in effigies mutas divinum spiritum transfusum: sed imaginem veram, caelesti sanguine ortam, intellegere discrimen, suscipere sordes. Frustra Pulchram praescribi, cui sola exitii causa sit quod Agrippinam stulte prorsus ad cultum delegerit, oblita Sosiae ob eadem adflictae. Audita haec raram occulti pectoris vocem elicuere, correptamque Graeco versu admonuit non ideo laedi, quia non regnaret. Pulchra et Furnius damnantur. Afer primoribus oratorum additus, divulgato ingenio et secuta adseveratione Caesaris, qua suo iure disertum eum appellavit. Mox capessendis accusatio-

5 opportuna *B*: oportuna 6 anfracture percussae 7 atergo 9 nisadmodum deiecto *Orelli*: delecto 12 incolarum *in annot. B*: incorum (ipsorum *Haase*) 19 *[crimen inpudicitiae] 21 propinq: 22 reperit *Ernesti* 24 se *Muretus pro* sed maginẽ 25 sanguinẽ 33 desertum accussationibus

nibus aut reos tutando prosperiore eloquentiae quam morum fama fuit, nisi quod aetas extrema multum etiam eloquentiae dempsit, dum fessa mente retinet silentii inpatientiam.
53 At Agrippina pervicax irae, et morbo corporis implicata, cum viseret eam Caesar, profusis diu ac per silentium lacrimis, mox invidiam et preces orditur: subveniret solitudini, daret maritum; habilem adhuc iuventam sibi, neque aliud probis quam ex matrimonio solacium; esse in civitate, *qui memores* Germanici coniugem ac liberos eius recipere dignarentur. Sed Caesar non ignarus, quantum ex se peteretur, ne tamen offensionis aut metus manifestus foret, sine responso quamquam instantem reliquit. Id ego, a scriptoribus annalium non traditum, repperi in commentariis Agrippinae filiae, quae Neronis principis mater vitam suam et casus suorum posteris
54 memoravit. Ceterum Seianus maerentem et inprovidam altius perculit, immissis qui per speciem amicitiae monerent paratum ei venenum, vitandas soceri epulas. Atque illa simulationum nescia, cum propter discumberet, non vultu aut sermone flecti, nullos attingere cibos, donec advertit Tiberius, forte an quia audiverat; idque quo acrius experiretur, poma, ut erant adposita, laudans nurui sua manu tradidit. Aucta ex eo suspitio Agrippinae, et intacta ore servis tramisit. Nec tamen Tiberii vox coram secuta, sed obversus ad matrem non mirum ait, siquid severius in eam statuisset, a qua veneficii insimularetur. Inde rumor parari exitium, neque id imperatorem palam audere, secretum ad perpetrandum quaeri.
55 Sed Caesar quo famam averteret, adesse frequens senatui, legatosque Asiae, ambigentes quanam in civitate templum statueretur, pluris per dies audivit. Vndecim urbes certabant, pari ambitione, viribus diversae. Neque multum distantia inter se memorabant de vetustate generis, studio in populum Romanum per bella Persi et Aristonici aliorumque regum. Verum Hypaepeni Trallianique Laodicenis ac

2 extremam 7 aliut 8 probris *Petersen* *qui memores Germanici : ..... germanici (*cf.* 2 79) 10 ex se *Wurm* : exre publica (*sic*) netamen 21 sua *R* : suae 24 siquit 25 ueneficia *pr* 26 sed secretum *Halm* 33 Hypaepeni Tralianique *B* : hypae penitrali tanique

Magnetibus simul tramissi ut parum validi; ne Ilienses quidem, cum parentem urbis Romae Troiam referrent, nisi antiquitatis gloria pollebant. Paulum addubitatum, quod Alicarnasii mille et ducentos per annos nullo motu terrae nutavisse sedes suas vivoque in saxo fundamenta templi adseveraverant. Pergamenos eo, *quo* ipso nitebantur, aedem Augusto ibi sitam, satis adeptos creditum. Ephesii Milesiique, hi Apollinis, illi Dianae caerimonia occupavisse civitates visi. Ita Sardianos inter Zmyrnaeosque deliberatum. Sardiani decretum Etruriae recitavere ut consanguinei: nam Tyrrhenum Lydumque Atye rege genitos ob multitudinem divisisse gentem; Lydum patriis in terris resedisse, Tyrrheno datum novas ut conderet sedes; et ducum e nominibus indita vocabula illis per Asiam, his in Italia; auctamque adhuc Lydorum opulentiam missis in Graeciam populis, cui mox a Pelope nomen. Simul litteras imperatorum et icta nobiscum foedera bello Macedonum ubertatemque fluminum suorum, temperiem caeli ac dites circum terras memorabant. At Zmyrnaei, repetita vetustate, seu Tantalus Iove ortus illos, sive Theseus divina et ipse stirpe, sive una Amazonum condidisset, transcendere ad ea quis maxime fidebant in populum Romanum officiis, missa navali copia non modo externa ad bella, sed quae in Italia tolerabantur; seque primos templum urbis Romae statuisse, M. Porcio consule, magnis quidem iam populi Romani rebus, nondum tamen ad summum elatis, stante adhuc Punica urbe et validis per Asiam regibus. Simul L. Sullam testem adferebant, gravissimo in discrimine exercitus ob asperitatem hiemis et penuriam vestis, cum id Zmyrnam in contionem nuntiatum foret, omnes qui adstabant detraxisse corpori tegmina nostrisque legionibus misisse. Ita rogati sententiam patres Zmyrnaeos praetulere. Censuitque Vibius Marsus, ut M'. Lepido, cui ea provincia obvenerat, super numerum legaretur, qui templi curam susciperet. Et quia Lepidus ipse deligere per mo-

56

1 ne Ilienses *B* : nellienses 3 alicarnasii 6 *eo, quo : eo (quo *Haase*) aede—sita *L* 8 cerimonia 11 diuisisse *B* : diuise 13 nouos 16 apelope icta *R* : dicta 17 nobis cum 30 oñs 32 Marsus *R* : marcus M'. *Borghesi* : M·

destiam abnuebat, Valerius Naso e praetoriis sorte missus est.

57 Inter quae diu meditato prolatoque saepius consilio tandem Caesar in Campaniam *secessit*, specie dedicandi templa apud Capuam Iovi, apud Nolam Augusto, sed certus procul urbe degere. Causam abscessus quamquam secutus plurimos auctorum ad Seiani artes rettuli, quia tamen caede eius patrata sex postea annos pari secreto coniunxit, plerumque *ambigere* permoveor, num ad ipsum referri verius sit, saevitiam ac libidinem cum factis promeret, locis occultantem. Erant qui crederent in senectute corporis quoque habitum pudori fuisse: quippe illi praegracilis et incurva proceritas, nudus capillo vertex, ulcerosa facies ac plerumque medicaminibus interstincta; et Rhodi secreto vitare coetus, recondere voluptates insuerat. Traditur etiam matris inpotentia extrusus, quam dominationis sociam aspernabatur neque depellere poterat, cum dominationem ipsam donum eius accepisset. Nam dubitaverat Augustus Germanicum, sororis nepotem et cunctis laudatum, rei Romanae imponere, sed precibus uxoris evictus Tiberio Germanicum, sibi Tiberium
58 adscivit. Idque Augusta exprobrabat, reposcebat. Profectio arto comitatu fuit: unus senator consulatu functus, Cocceius Nerva, cui legum peritia, eques Romanus praeter Seianum ex inlustribus Curtius Atticus, ceteri liberalibus studiis praediti, ferme Graeci, quorum sermonibus levaretur. Ferebant periti caelestium iis motibus siderum excessisse Roma Tiberium, ut reditus illi negaretur. Vnde exitii causa multis fuit, properum finem vitae coniectantibus vulgantibusque: neque enim tam incredibilem casum providebant, ut undecim per annos libens patria careret. Mox patuit breve confinium artis et falsi, veraque quam obscuris tegerentur. Nam in urbem non regressurum haud forte dictum: ceterorum nescii egere, cum propinquo rure aut litore et saepe moenia urbis adsidens extremam senectam com-

3 interq: 4 *secessit : *om* (concessit *Otto*, abscessit *Haim*) 8 *plerumque ambigere : plerumque 10 occultantem *R* : occultantis 15 inpotenti a 16 *extrusus : extrusũ 18 dubutauerat 24 curcius 28 fuit *glossa Heinsio iudice* 32 *fortasse* in urbem eum

pleverit. Ac forte illis diebus oblatum Caesari anceps peri- 59
culum auxit vana rumoris, praebuitque ipsi materiem cur amicitiae constantiaeque Seiani magis fideret. Vescebantur in villa cui vocabulum Speluncae, mare Amunclanum inter et Fundanos montes, nativo in specu. Eius os lapsis repente saxis obruit quosdam ministros: hinc metus in omnes et fuga eorum qui convivium celebrabant. Seianus genu vultuque et manibus super Caesarem suspensus opposuit sese incidentibus, atque habitu tali repertus est a militibus qui subsidio venerant. Maior ex eo, et, quamquam exitiosa suaderet, ut non sui anxius, cum fide audiebatur. Adsimulabatque iudicis partes adversum Germanici stirpem, subditis qui accusatorum nomina sustinerent, maximeque insectarentur Neronem proximum successioni et, quamquam modesta iuventa, plerumque tamen quid inpraesentiarum conduceret oblitum, dum a libertis et clientibus, apiscendae potentiae properis, exstimulatur ut erectum et fidentem animi *se* ostenderet: velle id populum Romanum, cupere exercitus, neque ausurum contra Seianum, qui nunc patientiam senis et segnitiam iuvenis iuxta insultet. Haec atque talia audienti nihil quidem pravae 60
cogitationis, sed interdum voces procedebant contumaces et inconsultae, quas adpositi custodes exceptas auctasque cum deferrent, neque Neroni defendere daretur, diversae insuper sollicitudinum formae oriebantur. Nam alius occursum eius vitare, quidam salutatione reddita statim averti, plerique inceptum sermonem abrumpere, insistentibus contra inridentibusque qui Seiano fautores aderant. Enimvero Tiberius torvus, aut falsum renidens, vultu: seu loqueretur seu taceret iuvenis, crimen ex silentio, ex voce. Ne nox quidem secura, cum uxor vigilias somnos suspiria matri Liviae atque illa Seiano patefaceret; qui fratrem quoque Neronis Drusum traxit in partes, spe obiecta principis loci, si priorem aetate et iam labefactum demovisset. Atrox Drusi ingenium, super cupidinem potentiae et solita fratribus odia, accendebatur

4 Amuclanum *R* et *add. Bezzenberger* (Fundanosque *B*) 6 oīs 15 in presentia rum conduceret *B*: conducet 17 *se ostenderet: ostenderet 20 praue 21 procidebant *Haase* 27 aberant

invidia, quod mater Agrippina promptior Neroni erat. Neque tamen Seianus ita Drusum fovebat, ut non in eum quoque semina futuri exitii meditaretur, gnarus praeferocem et insidiis magis opportunum.

61 Fine anni excessere insignes viri Asinius Agrippa, claris maioribus quam vetustis vitaque non degener, et Q. Haterius, familia senatoria, eloquentiae, quoad vixit, celebratae: monimenta ingenii eius haud perinde retinentur. Scilicet impetu magis quam cura vigebat; utque aliorum meditatio et labor in posterum valescit, sic Haterii canorum illud et profluens cum ipso simul extinctum est.

62 M. Licinio L. Calpurnio consulibus ingentium bellorum P. Ch. 27 cladem aequavit malum inprovisum: [eius initium simul et finis exstitit]. Nam coepto apud Fidenas amphitheatro Atilius quidam libertini generis, quo spectaculum gladiatorum celebraret, neque fundamenta per solidum subdidit, neque firmis nexibus ligneam compagem superstruxit, ut qui non abundantia pecuniae nec municipali ambitione, sed in sordidam mercedem id negotium quaesivisset. Adfluxere avidi talium, imperitante Tiberio procul voluptatibus habiti, virile ac muliebre secus, omnis aetas, ob propinquitatem loci effusius; unde gravior pestis fuit, conferta moles, dein convulsa dum ruit intus aut in exteriora effunditur, inmensamque vim mortalium, spectaculo intentos aut qui circum adstabant, praeceps trahit atque operit. Et illi quidem, quos principium stragis in mortem adflixerat, ut tali *in* sorte, cruciatum effugere: miserandi magis quos abrupta parte corporis nondum vita deseruerat; qui per diem visu, per noctem ululatibus et gemitu coniuges aut liberos noscebant. Iam ceteri fama exciti, hic fratrem, propinquum ille, alius parentes lamentari. Etiam quorum diversa de causa amici aut necessarii aberant,

4 opportunum *B* : oportunum 5 insignis 6 Q. Haterius *B* : quę haterius 7 quą ad (*sic*) 8 ingeni 10 illut 12 cōs. 13 *[eius—exstitit] 14 *Fidenas : fidenā amphitheatro *B* : amphitheatrū 15 gladiatorum 18 abundantia *B* : habundantia sordidam mercedem *Pichena* : sordida mercede 21 effusius *L* : effusus 22 *moles : mole [illegible]is *B* : staggis *tali in : tali 29 poscebant *Neue*

pavere tamen; nequedum comperto quos illa vis perculisset, latior ex incerto metus. Vt coepere dimoveri obruta, concursus 63
ad exanimos complectentium, osculantium; et saepe certamen, si confusior facies, sed par forma aut aetas errorem adgnoscentibus fecerat. Quinquaginta hominum milia eo casu debilitata vel obtrita sunt; cautumque in posterum senatus consulto, nequis gladiatorium munus ederet, cui minor quadringentorum milium res, neve amphitheatrum imponeretur nisi solo firmitatis spectatae. Atilius in exilium actus est. Ceterum sub recentem cladem patuere procerum domus, fomenta et medici passim praebiti, fuitque urbs per illos dies, quamquam maesta facie, veterum instituti similis, qui magna post proelia saucios largitione et cura sustentabant.

Nondum ea clades exoleverat, cum ignis violentia 64
urbem ultra solitum adfecit, deusto monte Caelio; feralemque annum ferebant, et ominibus adversis susceptum principi consilium absentiae, qui mos vulgo, fortuita ad culpam trahentes, ni Caesar obviam isset tribuendo pecunias ex modo detrimenti. Actaeque ei grates apud senatum ab inlustribus, famaque *aucta* apud populum, quia sine ambitione aut proximorum precibus ignotos etiam et ultro accitos munificentia iuverat. Adduntur sententiae ut mons Caelius in posterum Augustus appellaretur, quando cunctis circum flagrantibus sola Tiberii effigies, sita in domo.. Iunii senatoris, inviolata mansisset. Evenisse id olim Claudiae Quintae, eiusque statuam vim ignium bis elapsam maiores apud aedem matris deum consecravisse. Sanctos acceptosque numinibus Claudios, et augendam caerimoniam loco, in quo tantum in principem honorem di ostenderint. Haud fuerit absurdum tra- 65
dere montem eum antiquitus Querquetulanum cognomento fuisse, quod talis silvae frequens fecundusque erat, mox Cae-

1 perculisset *B*: periculis sed 4 et *B* 7 ne quis munus *B*: manus 10 recentam *pr* 11 praebiti *B*: praebeti 12 instituti (s *a manu Beroaldi*) 14 Nondum *B*: Nam dū exsoleuerat 16 ominibus *B*: omnibus 19 grates *B*: gratis 20 *aucta apud: apud (*vulgo* ab inlustribus famaque ap. p.) 21 praecibus 24 *..Iunii: iunii (*fuit*, puto*, D. Iunii) 27 consegrauisse 29 dī *pr* ostenderint *L*: ostenderent 30 querq; tulanum

lium appellitatum a Caele Vibenna, qui dux gentis Etruscae cum auxilium postulatum tulisset, sedem eam acceperat a Tarquinio Prisco, seu quis alius regum dedit: nam scriptores in eo dissentiunt. Cetera non ambigua sunt, magnas eas copias per plana etiam ac foro propinqua habitavisse, unde Tuscum vicum e vocabulo advenarum dictum.

66 Sed ut studia procerum et largitio principis adversum casus solacium tulerant, ita accusatorum maior in dies et infestior vis sine levamento grassabatur; corripueratque Varum Quintilium, divitem et Caesari propinquum, Domitius Afer, Claudiae Pulchrae, matris eius, condemnator, nullo mirante quod diu egens et parto nuper praemio male usus plura ad flagitia accingeretur. Publium Dolabellam socium delationis extitisse miraculo erat, quia claris maioribus et Varo conexus suam ipse nobilitatem, suum sanguinem perditum ibat. Restitit tamen senatus, et opperiendum imperatorem censuit, quod unum urgentium malorum suffugium in tempus erat.

67 At Caesar dedicatis per Campaniam templis, quamquam edicto monuisset nequis quietem eius interrumperet, concursusque oppidanorum disposito milite prohiberentur, perosus tamen municipia et colonias omniaque in continenti sita, Capreas se in insulam abdidit, trium milium freto ab extremis Surrentini promuntorii diiunctam. Solitudinem eius placuisse maxime crediderim, quoniam inportuosum circa mare et vix modicis navigiis pauca subsidia; neque adpulerit quisquam nisi gnaro custode. Caeli temperies hieme mitis obiectu montis, quo saeva ventorum arcentur; aestas in favonium obversa et aperto circum pelago peramoena; prospectabatque pulcherrimum sinum, antequam Vesuvius mons ardescens faciem loci verteret. Graecos ea tenuisse Capreasque Telebois habitatas fama tradit. Sed tum Tiberius

1 acaele uibenna 2 *postulatum tulisset : appellatum tauisset (tulisset *Muretus et L*, ductauisset *Ferrettus*) 6 aduenarum *B* : aduenabum 8 casus *Heinsius* : casum telerant accussatorum 11 comdemnator 12 maliusus 15 connexus *L* : conixius (connixus *B*) 17 molorum 20 interrumperet *Heraeus* : inrumperet 23 addidit 24 promuntirii 27 gnaro *B* : grano 32 tele lebois

duodecim villarum nominibus et molibus insederat, quanto intentus olim publicas ad curas, tanto occultior in luxus et malum otium resolutus. Manebat quippe suspitionum et credendi temeritas, quam Seianus augere etiam in urbe suetus acrius turbabat non iam occultis adversum Agrippinam et Neronem insidiis. Quis additus miles nuntios introitus, aperta secreta velut in annales referebat, ultroque struebantur qui monerent perfugere ad Germaniae exercitus vel celeberrimo fori effigiem divi Augusti amplecti populumque ac senatum auxilio vocare. Eaque spreta ab illis, velut pararent, obiciebantur.

Iunio Silano et Silio Nerva consulibus foedum anni 68
principium incessit tracto in carcerem inlustri equite Ro- p. Ch. 28
mano, Titio Sabino, ob amicitiam Germanici: neque enim omiserat coniugem liberosque eius percolere, sectator domi, comes in publico, post tot clientes unus eoque apud bonos laudatus et gravis iniquis. Hunc Latinius Latiaris, Porcius Cato, Petilius Rufus, M. Opsius, praetura functi, adgrediuntur, cupidine consulatus, ad quem non nisi per Seianum aditus; neque Seiani voluntas nisi scelere quaerebatur. Compositum inter ipsos ut Latiaris, qui modico usu Sabinum contingebat, strueret dolum, ceteri testes adessent, deinde accusationem inciperent. Igitur Latiaris iacere fortuitos primum sermones, mox laudare constantiam, quod non, ut ceteri, florentis domus amicus adflictam deseruisset; simul honora de Germanico, Agrippinam miserans, disserebat. Et postquam Sabinus, ut sunt mobiles in calamitate mortalium animi, effudit lacrimas, iunxit questus, audentius iam onerat Seianum, saevitiam superbiam spes eius. Ne in Tiberium quidem convicio abstinet; iique sermones, tamquam vetita miscuissent, speciem artae amicitiae fecere. Ac iam ultro Sabinus quaerere Latiarem, ventitare domum, dolores suos quasi ad fidissimum deferre. Consultant quos memoravi, quonam modo ea plu- 69
rium auditu acciperentur. Nam loco in quem coibatur servanda

2 occultos *Gronovius*, occultiores *Weissenborn* 12 cõs. 17 portius 18 Petilius *L* : petitius 27 *mobiles : moles (molles *B*) 28 quaestus saeuita am *pr* 31 fecere *Muretus et Faernus* : facere

solitudinis facies; et si pone fores adsisterent, metui eis visus, sonitus aut forte ortae suspitiones erant. Tectum inter et laquearia tres senatores, haud minus turpi latebra quam detestanda fraude, sese abstrudunt, foraminibus et rimis aurem admovent. Interea Latiaris repertum in publico Sabinum, velut recens cognita narraturus, domum et in cubiculum trahit; praeteritaque et instantia, quorum adfatim copia, ac novos terrores cumulat. Eadem ille et diutius, quanto maesta, ubi semel prorupere, difficilius reticentur. Properata inde accusatio, missisque ad Caesarem litteris ordinem fraudis suumque ipsi dedecus narravere. Non alias magis anxia et pavens civitas, egens *verborum* adversum proximos; congressus conloquia, notae ignotaeque aures vitari; etiam muta atque inanima, tectum et parietes circumspectabantur. Sed Caesar, sollemnia incipientis anni kalendis Ianuariis epistula precatus, vertit in Sabinum, corruptos quosdam libertorum *eius* et petitum se arguens, ultionemque haud obscure poscebat. Nec mora quin decerneretur; et trahebatur damnatus, quantum obducta veste et adstrictis faucibus niti poterat, clamitans sic inchoari annum, has Seiano victimas cadere. Quo intendisset oculos, quo verba acciderent, fuga vastitas, deseri itinera fora. Et quidam regrediebantur ostentabantque se rursum, id ipsum paventes quod timuissent. Quem enim diem vacuum poena, ubi inter sacra et vota, quo tempore verbis etiam profanis abstineri mos esset, vincla et laqueus inducantur? Non inprudentem Tiberium tantam invidiam adisse, set quaesitum meditatumque, nequid impedire credatur quo minus novi magistratus, quo modo delubra et altaria, sic carcerem recludant. Secutae insuper litterae grates agentis, quod hominem infensum rei publicae punivissent, adiecto trepidam sibi vitam, suspectas inimicorum insidias,

1 solitudinis *B* : solitudines *metui eis : metus (metui *Ernesti*) 2 suspitiones *B* : suspicionis 8 quanto *B* : qaranto 11 ipsi *B* : ipse 12 *egens uerborum : egens (se tegens *Vertranius*, etiam *Ferrettus*) 15 K. Ianuariis *Faernus* : ianuarius 17 *eius et : et 21 accideret *R* : acciperent 22 regrediebantur *B* : regrediebatur 26 inprudentem *R* : prudentem 27 adisse, set *Wurm* : adisset 28 quomi minus 29 Saecutae 31 adiecto *B* : adiecti

nullo nominatim conpellato: neque tamen dubitabatur in Neronem et Agrippinam intendi.

Ni mihi destinatum foret suum quaeque in annum re- 71
ferre, avebat animus antire statimque memorare exitus, quos Latinius atque Opsius ceterique flagitii eius repertores habuere, non modo postquam C. Caesar rerum potitus est, sed incolumi Tiberio, qui scelerum ministros ut perverti ab aliis nolebat, ita plerumque satiatus, et oblatis in eandem operam recentibus, veteres et praegraves adflixit: verum has atque alias sontium poenas in tempore trademus. Tum censuit Asinius Gallus, cuius liberorum Agrippina matertera erat, petendum a principe ut metus suos senatui fateretur amoverique sineret. Nullam aeque Tiberius, ut rebatur, ex virtutibus suis quam dissimulationem diligebat: eo aegrius accepit recludi quae premeret. Sed mitigavit Seianus, non Galli amore, verum ut cunctationes principis opperiretur, gnarus lentum in meditando, ubi prorupisset, tristibus dictis atrocia facta coniungere.

Per idem tempus Iulia mortem obiit, quam neptem Augustus convictam adulterii damnaverat, proieceratque in insulam Trimerum, haud procul Apulis litoribus. Illic viginti annis exilium toleravit Augustae ope sustentata, quae florentes privignos cum per occultum subvertisset, misericordiam erga adflictos palam ostentabat.

Eodem anno Frisii, transrhenanus populus, pacem 72
exuere, nostra magis avaritia quam obsequii inpatientes. Tributum iis Drusus iusserat modicum pro angustia rerum, ut in usus militares coria boum penderent, non intenta cuiusquam cura quae firmitudo, quae mensura, donec Olennius, e primipilaribus, regendis Frisiis inpositus terga urorum delegit, quorum ad formam acciperentur. Id aliis quoque nationibus arduum apud Germanos difficilius tolerabatur, quis ingentium beluarum feraces saltus, modica domi armenta sunt. Ac primo boves ipsos, mox agros, postremo corpora coniugum aut liberorum servitio tradebant. Hinc ira et questus et,

7 incolomi 8 nollebat 15 praemeret 16 opperiretur *Muretus*: aperirentur 20 proleceratque (*voluit* proIeceratque) 30 delegit *B*: deiegit 35 quaestus

postquam non subveniebatur, remedium ex bello. Rapti qui tributo aderant milites et patibulo adfixi: Olennius infensos fuga praevenit, receptus castello cui nomen Flevum; et haud spernenda illic civium sociorumque manus litora Oceani prae-
73 sidebat. Quod ubi L. Apronio, inferioris Germaniae pro praetore, cognitum, vexilla legionum e superiore provincia, peditumque et equitum auxiliarium delectos accivit ac simul utrumque exercitum Rheno devectum Frisiis intulit, soluto iam castelli obsidio et ad sua tutanda degressis rebellibus. Igitur proxima aestuaria aggeribus et pontibus traducendo graviori agmini firmat. Atque interim repertis vadis alam Canninefatem, et quod peditum Germanorum inter nostros merebat, circumgredi terga hostium iubet, qui iam acie compositi pellunt turmas sociales equitesque legionum subsidio missos. Tum tres leves cohortes ac rursum duae, dein tempore interiecto alarius eques inmissus: satis validi, si simul incubuissent, per intervallum adventantes neque constantiam addiderant turbatis et pavore fugientium auferebantur. Ceterum Accio Labeoni, legato quintae legionis, quod reliquum auxiliorum tradit. Atque ille, dubia suorum re in anceps tractus, missis nuntiis vim legionum inplorabat. Prorumpunt quintani ante alios et acri pugna hoste pulso recipiunt cohortis alasque fessas vulneribus. Neque dux Romanus ultum iit aut corpora humavit, quamquam multi tribunorum praefectorumque et insignes centuriones cecidissent. Mox compertum a transfugis nongentos Romanorum apud lucum, quem Baduhennae vocant, pugna in posterum *diem* extracta confectos, et aliam quadringentorum manum, occupata Cruptoricis. quondam stipendiarii, villa, postquam proditio metuebatur, mutuis ictibus procubuisse.

74 Clarum inde inter Germanos Frisium nomen, dissimu-

1 subueniebatur *R et Muretus*: subueniebat 5 proṗtore 9 castelli *R*: castello digressis *B* (*cf. c.* 74) 12 canni nefatem 14 pellunt *R*: pelluntur 15 leues *B*: leue *in rasura* 16 alarius *Freinsheim*: acrius 18 auferaebantur *ceterum Accio: cethecio (Cethego *L*) 22 acri *B*: agri pulso *B*: pulsa 23 faessas 26 Baduennae *requirit Müllenhoff in Diarn. antiq. Germ. VIIII p.* 241 27 *posterum diem: posterum confectos *B*: confeltos 28 Cruptorigis *Otto* 29 stipendiarii *B*: stipendiari

lante Tiberio damna, ne cui bellum permitteret. Neque senatus in eo cura, an imperii extrema dehonestarentur: pavor internus occupaverat animos, cui remedium adulatione quaerebatur. Ita quamquam diversis super rebus consulerentur, aram Clementiae, aram Amicitiae effigiesque circum Caesaris ac Seiani censuere, crebrisque precibus efflagitabant visendi sui copiam facerent. Non illi tamen in urbem aut propinqua urbi degressi sunt: satis visum omittere insulam et in proximo Campaniae aspici. Eo venire patres eques, magna pars plebis, anxii erga Seianum, cuius durior congressus, atque eo per ambitum et societate consiliorum parabatur. Satis constabat auctam ei adrogantiam foedum illud in propatulo servitium spectanti; quippe Romae sueti discursus, et magnitudine urbis incertum, quod quisque ad negotium pergat: ibi *in* campo aut litore iacentes nullo discrimine noctem ac diem iuxta gratiam aut fastus ianitorum perpetiebantur, donec id quoque vetitum: et revenere in urbem trepidi, quos non sermone, non visu dignatus erat, quidam male alacres, quibus infaustae amicitiae gravis exitus imminebat.

Ceterum Tiberius neptem Agrippinam, Germanico or- 75
tam, cum coram Cn. Domitio tradidisset, in urbe celebrari nuptias iussit. In Domitio super vetustatem generis propinquum Caesaribus sanguinem delegerat: nam is aviam Octaviam et per eam Augustum avunculum praeferebat.

3 internus *R*: internos 6 praecibus 13 illud in propatulo *B*: illum in ꝑpatibulo 14 magnitudine *R*: magnitudini 15 *ibi in: ibi 17 id quoque *Muretus*: idque 19 infaustae *B*: infastae 22 ·C̄N· 25 praeferebat. FINIT LIBER IIII· INCIPIT LIBER ·V·

LIBER V.

BREVIARIVM. Cap. 1—5. Annus 29 a Ch., 16 imperatoris Tiberii, praeruptae iam et urgentis dominationis initium. Livia Augusta vita decedit, eoque Tiberii insolentia, Seiani cupido imperandi crescit. Agrippina et Nero principis litteris accusantur, sed atrox patrum sententia fatali quodam motu unius senatoris et favore populi impeditur. Altera igitur Caesaris epistula venit, acrior et repetitis probris in nurum et nepotem, cuncta tamen integra sibi postulantis.

Ceterae eiusdem anni res, item omnes anni tricesimi p. Ch., quo L. Cassius Longinus et M. Vinicius consules erant, etiam pleraeque anni proximi a Tacito perscriptae interciderunt. Desideramus igitur quae porro molitus sit Seianus augendae potentiae, quibus artibus perpulerit Tiberium, ut Agrippinam in insulam Pandatariam relegaret, Neronem in propinqua Pontia clausum interficeret (a. 30), Drusum in ima parte Palatii attineret; non legimus expositum quomodo idem Seianus per intervalla temporis eo processerit, ut ipse non solum collega principis in consulatu legeretur et socius imperii haberetur, sed praesens in luce urbis ageret ferretque omnia, Tiberius parvae insulae dominus videretur. Tandem Caesar hominis cupidinem suspectavit, dein Antoniae, Germanici matris, indicio perspexit, postremum dolo irretitum Macronis ope evertit Tiberio Caesare atque Aelio Seiano consulibus (a. 31). Seiani a senatu damnati caedem sequitur ingens strages amicorum et propinquorum, exardescit plebis ira, cohortes praetoriae paene in seditionem prolabuntur. Conf. Dionis Cassii LVIII 4—16, Suetonii Tib. 54 et 64—65, Iosephi Antiq. Iud. XVIII 6, Iuvenalis X 61—94.

1 Rubellio et Fufio consulibus, quorum utrique Geminus
A. D. 29 cognomentum erat, Iulia Augusta mortem obiit, aetate extrema, nobilitatis per Claudiam familiam et adoptione Liviorum Iuliorumque clarissimae. Primum ei matrimonium et liberi fuere cum Tiberio Nerone, qui bello Perusino profugus, pace inter Sex. Pompeium ac triumviros pacta in urbem rediit. Exin Caesar cupidine formae aufert marito, incertum an invitam, adeo properus ut ne spatio quidem ad enitendum dato penatibus suis gravidam induxerit. Nullam posthac subolem edidit, sed sanguini Augusti per coniunctionem Agrippinae et Germanici adnexa communes pronepotes habuit. Sanctitate domus priscum ad morem, comis ultra quam antiquis feminis probatum, mater inpotens, uxor facilis et cum artibus mariti, simulatione filii bene composita. Funus eius modicum, testamentum diu inritum fuit. Laudata est

1 Ab excessu diui Augusti. Rubellio cõs. 5 Perusino *B*: pusinio 9 induxerit *B*: induxerat *pr*

pro Rostris a C. Caesare pronepote, qui mox rerum potitus est.

At Tiberius, quod supremis in matrem officiis defuisset, 2
nihil mutata amoenitate vitae, magnitudinem negotiorum per litteras excusavit, honoresque memoriae eius ab senatu large decretos quasi per modestiam imminuit, paucis admodum receptis, et addito ne caelestis religio decerneretur: sic ipsam maluisse. Quin et parte eiusdem epistulae increpuit amicitias muliebres, Fufium consulem oblique perstringens. Is gratia Augustae floruerat, aptus alliciendis feminarum animis, dicax idem et Tiberium acerbis facetiis inridere solitus, quarum apud praepotentes in longum memoria est.

Ceterum ex eo praerupta iam et urgens dominatio: 3
nam incolumi Augusta erat adhuc perfugium, quia Tiberio inveteratum erga matrem obsequium, neque Seianus audebat auctoritati parentis antire: tunc velut frenis exsoluti proruperunt, missaeque in Agrippinam ac Neronem litterae, quas pridem allatas et cohibitas ab Augusta credidit vulgus: haud enim multum post mortem eius recitatae sunt. Verba inerant quaesita asperitate: sed non arma, non rerum novarum studium, amores iuvenum et inpudicitiam nepoti obiectabat. In nurum ne id quidem confingere ausus, adrogantiam oris et contumacem animum incusavit, magno senatus pavore ac silentio, donec pauci, quis nulla ex honesto spes (et publica mala singulis in occasionem gratiae trahuntur), ut referretur postulavere, promptissimo Cotta Messalino cum atroci sententia. Sed aliis a primoribus maximeque a magistratibus trepidabatur: quippe Tiberius etsi infense invectus cetera ambigua reliquerat. Fuit in senatu Iunius Rusticus, conponendis 4
patrum actis delectus a Caesare, eoque meditationes eius introspicere creditus. Is fatali quodam motu (neque enim ante specimen constantiae dederat), seu prava sollertia, dum imminentium oblitus incerta pavet, inserere se dubitantibus ac monere consules ne relationem inciperent; disserebatque

1 a C. Caesare *B*: accaesare 18 sed *Acidalius* 19 multo *Heinsius* (*cf.* 12 4) 22 confingere *B*: confringere 26 postolauere 27 maximaeque 30 meditationes *R*: meditationis 34 consulens

brevibus momentis summa verti posse; quandoque *e* Germanici *stirpe* exitium poenitentiae seris. Simul populus effigies Agrippinae ac Neronis gerens circumsistit curiam, faustisque in Caesarem ominibus falsas litteras et principe invito exitium domui eius intendi clamitat. Ita nihil triste illo die patratum. Ferebantur etiam sub nominibus consularium fictae in Seianum sententiae, exercentibus plerisque per occultum atque eo procacius libidinem ingeniorum. Vnde illi ira violentior et materies criminandi: spretum dolorem principis ab senatu, descivisse populum; audiri iam et legi novas contiones, nova patrum consulta; quid reliquum nisi ut caperent ferrum et, quorum imagines pro vexillis secuti forent, duces imperatoresque deligerent? Igitur Caesar, repetitis adversum nepotem et nurum probris increpitaque per edictum plebe, questus aput patres quod fraude unius senatoris imperatoria maiestas elusa publice foret, integra tamen sibi cuncta postulavit. Nec ultra deliberatum quo minus non quidem extrema decernerent (id enim vetitum), sed paratos ad ultionem vi principis *se* impediri testarentur.

1 *e Germanici stirpe exitium poenitentiae seris: germanicis titium paenitentiae senis (e Germanicis exitium paenitentiae seris *Bezzenberger*, domus Germanici exitium paenitentiae esse seni *Nipperdey*, Germanici exitium paenitentiae esse seni *Ruperti*) 3 faustisque *Muretus et Vrsinus*: festisq; 4 ominibus *B*: omnibus 8 procatius 9 criminandi *B*: crimandi 14 quęstus 19 *se impediri: impediri testarentur. *tum trium quattuorce litterarum spatium vacuum ac novus versus a* Quattuor.

LIBER VI.

BREVIARIVM. Flagitia*) Liviae sive Livillae, uxoris Drusi, per Apicatam, Seiani coniugem, patefacta, et puniti facinoris conscii; in senatu *quattuor et quadraginta orationes* super ea re habitae. Tum postulantur amici nonnuli Seiani, ex quibus unus (nomen in lacuna delituit) magno animo inter amicos gladio incubuit. P. Vitellius levi vulnere et aegritudine animi in custodia vitam finivit, Pomponius Secundus adversa patienter tolerat (1—3=V 6—8). Reliqui Seiani liberi occisi (4). Falsus Drusus Asiam et Achaiam exterret. Fine anni discordia consulum suffectorum, Fulcinii Trionis et Memmii Reguli, in senatu erumpit (5—6=V 10—11).

C. 7—20=1—14. Annus tricesimus secundus a Ch. n., Tiberii imperatoris undevicesimus. Foedae novaeque Caesaris libidines (7=1). Patrum adulationes mitigando pavori principis et huius epistula (8—9=2—3). Plures iterum accusati, inter eos M. Terentius, cuius libera defensio refertur (10—14=4—8). Sed alias ob causas novae accusationes et caedes (15—16=9—10). L. Piso, praefectus urbi, moritur; per eam occasionem de origine et progressu huius praefecturae (16—17=10—11). De libro quodam Sibullae deliberatio senatus principi haud probata (18=12). Ob gravitatem annonae prope seditionem ventum, mox tumultuosa plebis efflagitatio publica auctoritate composita (19=13). Fine anni rursum caedes crimine coniurationis cum Seiano susceptae (20—14).

C. 21—33=15—27. Annus a Ch. 33, principatus Tiberii 20. Germanici filiae nuptum datae, M. Vinicio Iulia, Drusilla L. Cassio. Senatus ludibrio habitus a principe (21=15). Qui pecunias fenore auctitabant in periculum adducti; malo fenebri frustra obviam itum tam apud maiores quam his temporibus; Caesaris liberalitate hi metus repressi et refecta fides (22—23=16—17). Redeunt accusationes maiestatis, atque uno edicto omnes ob conscientiam facinoris Seiani in carcere custoditi necantur (24—25=18—19). C. Caesar, post occisum Neronem et Drusum exitio destinatum unus ex filiis Germanici reliquus, Claudiam, M. Silani filiam, coniugem accipit, immanem animum subdola modestia tegit. De Galba praesagium Tiberii: quo is magistro artem Chaldaeorum didicerit, item nonnulla de scientia illorum (26—28=20—22). Asinius Gallus egestate cibi peremptus, Drusi mors miseranda, Agrippinae finis, Tiberii saevitia et immanitas animi nullis iam velamentis tecta (29—31=23—25). Nerva iureconsultus moriendi consilium capit et exequitur; Agrippinae pernicies Plancinam trahit (32=26). Pars publici maeroris fuit, quod Iulia, quondam uxor Neronis, in domum Rubellii Blandi denupsit. Fine anni moriuntur illustres viri, Aelius Lamia, Pomponius Flaccus, M'. Lepidus (33=27).

C. 34—36=28—30. Annus a Ch. 34, imperatoris Tiberii 21. Phoenix avis in Aegyptum venit; super eo miraculo veterum narrationes (34=28). Romae accusationes et mortes; sed Lentulus Gaetulicus, superioris Ger-

*) Quae nunc discreta quinto libro et sexto leguntur, ea in codice Mediceo uno libro quinto continentur. Sed rerum copia duos libros postulari recte vidit Lipsius, idem tamen libri sexti initium non vere a septimo eius capite inchoavit, ut undecim capita, non quinque, in libro quinto numerarentur: nam hoc si sic esset, finis libri quinti et initium sexti, ut factum est in prioribus libris, in eo codice indicata forent. Quod indicium cum non compareat, hoc in lacuna libri quinti perisse patet, ut intellexit Fr. Haase in Philologo III 152 sq. Liber quintus finem habuit post cladem Seiani et stragem amicorum eius. Sextus coepit a detectis Liviae flagitiis. In utriusque libri confiniis finem et principium anni Tacitus non observavit, sed graves casus et rerum atrocium momenta secutus est. Novum ordinem et veterem Lipsii suis numeris distinxi.

maniae legatus, audacia sua tempestiva dicitur effugisse exitium (35—36=29—30).

C. 37—45=31—39. Annus a Ch. tricesimus quintus. Nobiles Parthi, superbiam Artabani regis exosi, Romam veniunt regemque poscunt Phrahaten et accipiunt; qui in Syria morbo obiit. Iam Tiridaten Caesar mittit aemulum Artabano, ac reciperandae Armeniae Hiberum Mithridaten deligit. L. Vitellius, tunc legatus Syriae, his rebus agendis praepositus prisca virtute agit (37—38=31—32). Ex regulis prior Mithridates Armenia potitur (39—41=33—35). Artabanus tota mole regni ultum it, sed frustra, ac struente Vitellio res eius adeo versae sunt, ut in longinqua Scythiae aufugeret (42=36). Tiridates in regnum Parthorum a Vitellio deducitur (43=37). In urbe virorum illustrium damnationes et caedes. Fine anni Poppaeus Sabinus fato concessit (44—45=38—39).

C. 46—51=40—45. Annus a Ch. 36, imperatoris Tiberii 23. Vibuleni Agrippae accusatio et finis atrox; C. Galba et duo Blaesi sponte cadunt, Caesaris contumeliam mortis signum intellegentes, item Aemilia Lepida 46=40). Cilices agrestes, in regulum Archelaum rebelles, repressi vi Romana. Tiridates in regnum Parthorum acceptus et insigni regio evinctus est: sed proceres Parthorum ad Artabanum profugum tendunt eumque reducunt, fugiente Tiridate et in Syriam regrediente (47—50=41—44). Eodem anno deustus Aventinus et pars Circi, quod damnum suo aere Tiberius levavit (51=45).

C. 51—57=45—51). Imperatoris Tiberii menses postremi tres. De successore deliberatio et dubitatio principis, consilium cui impar fato permittentis. C. Caesaris ingenium, potentia Macronis. Tiberius providus futurorum et infelix (51—52=45—46). In urbe semina iaciuntur etiam post Tiberium caedibus. Viri nobiles periculis infestati, in his Arruntius, qui capto moriendi consilio dissuadentibus amicis instantia mala vatis in modum praedixit (53—54=47—48). Papinius iacto in praeceps corpore decedit, mater eius in exilium pellitur (55=49). Tiberium corpus et vires, nondum dissimulatio deserit. Charicles medicus propinquum principis finem intellegit, Tiberius celat; qui ultra solitum in epulis discumbens septimum decimum Kal. Apriles creditus est expirasse; mox reviviscens Macronis iussu iniecta veste oppressus est (56=50). Origo eius et mores variis temporibus varii (57=51)

1 (V 6) p. Ch. 31 Quattuor et quadraginta orationes super ea re habitae, ex quis ob metum paucae, plures adsuetudine..... 'mihi pudorem aut Seiano invidiam allaturum censui. Versa est fortuna, et ille quidem, qui collegam et generum adsciverat, sibi ignoscit: ceteri, quem per dedecora fovere, cum scelere insectantur. Miserius sit ob amicitiam accusari an amicum accusare, haud discreverim. Non crudelitatem, non clementiam cuiusquam experiar, sed liber et mihi ipsi probatus antibo periculum. Vos obtestor ne memoriam nostri per maerorem quam laeti retineatis, adiciendo me quoque iis

2 adsuetudine. mihi] *sine lacuna* 6 insectantur *B* : insectanter 7 clementiam *B* : dementiam 8 *fortasse* ipse 10 merorem

qui fine egregio publica mala effugerunt.' Tunc singulos, 2
ut cuique adsistere adloqui animus erat, retinens aut dimit- (V 7)
tens partem diei absumpsit, multoque adhuc coetu et cunctis intrepidum vultum eius spectantibus, cum superesse tempus novissimis crederent, gladio quem sinu abdiderat incubuit. Neque Caesar ullis criminibus aut probris defunctum insectatus est, cum in Blaesum multa foedaque incusavisset. Relatum inde de P. Vitellio et Pomponio Secundo. Illum 3
indices arguebant claustra aerarii, cui praefectus erat, et (V 8)
militarem pecuniam rebus novis obtulisse; huic a Considio, praetura functo, obiectabatur Aelii Galli amicitia, qui punito Seiano in hortos Pomponii quasi fidissimum ad subsidium perfugisset. Neque aliud periclitantibus auxilii quam in fratrum constantia fuit, qui vades extitere. Mox crebris prolationibus spem ac metum iuxta gravatus Vitellius, petito per speciem studiorum scalpro, levem ictum venis intulit vitamque aegritudine animi finivit. At Pomponius multa morum elegantia et ingenio inlustri, dum adversam fortunam aequus tolerat, Tiberio superstes fuit. Placitum posthac ut 4
in reliquos Seiani liberos adverteretur, vanescente quamquam (V 9)
plebis ira ac plerisque per priora supplicia lenitis. Igitur portantur in carcerem, filius imminentium intellegens, puella adeo nescia, ut crebro interrogaret, quod ob delictum et quo traheretur; neque facturam ultra et posse se puerili verbere moneri. Tradunt temporis eius auctores, quia triumvirali supplicio adfici virginem inauditum habebatur, a carnifice laqueum iuxta conpressam; exim oblisis faucibus id aetatis corpora in Gemonias abiecta.

Per idem tempus Asia atque Achaia exterritae sunt 5
acri magis quam diuturno rumore, Drusum, Germanici (V 10)
filium, apud Cycladas insulas, mox in continenti visum. Et erat iuvenis hau dispari aetate, quibusdam Caesaris libertis velut agnitus; per dolumque comitantibus *aliis*, alliciebantur ignari fama nominis et promptis Graecorum animis ad nova

3 absumpsit *B*: adsumpsit 7 blesum 10 C. Considio *Wurm* 11 Aelii *L*: uelii 13 perfuguisset 14 exstitere 24 puerilimo 25 moneri *B*: monerit 32 haud ispari 33 dolum qui *aliis, alliciebantur: alliciebantur

et mira: quippe elapsum custodiae pergere ad paternos exercitus, Aegyptum aut Syriam invasurum, fingebant simul credebantque. Iam iuventutis concursu, iam publicis studiis frequentabatur, laetus praesentibus et inanium specie, cum auditum id Poppaeo Sabino. Is Macedoniae tum intentus Achaiam quoque curabat. Igitur quo vera seu falsa antiret, Toronaeum Thermaeumque sinum praefestinans, mox Euboeam, Aegaei maris insulam, et Piraeum Atticae orae, dein Corinthiense litus angustiasque Isthmi evadit; marique alio Nicopolim, Romanam coloniam, ingressus, ibi demum cognoscit sollertius interrogatum, quisnam foret, dixisse M. Silano genitum, et multis sectatorum dilapsis ascendisse navem tamquam Italiam peteret. Scripsitque haec Tiberio, neque nos originem finemve eius rei ultra comperimus.

6 (V 11) Exitu anni diu aucta discordia consulum erupit. Nam Trio, facilis capessendis inimicitiis et foro exercitus, ut segnem Regulum ad opprimendos Seiani ministros oblique perstrinxerat. Ille, nisi lacesseretur, modestiae retinens, non modo rettudit collegam, sed ut noxium coniurationis ad disquisitionem trahebat. Multisque patrum orantibus, ponerent odia in pernutiem itura, mansere infensi ac minitantes, donec magistratu abirent.

7 (VI 1) p. Ch. 32 Cn. Domitius et Camillus Scribonianus consulatum inierant, cum Caesar, tramisso quod Capreas et Surrentum interluit freto, Campaniam praelegebat, ambiguus an urbem intraret, seu, quia contra destinaverat, speciem venturi simulans. Et saepe in propinqua degressus, aditis iuxta Tiberim hortis, saxa rursum et solitudinem maris repetivit, pudore scelerum et libidinum, quibus adeo indomitis exarserat, ut more regio pubem ingenuam stupris pollueret. Nec formam tantum et decora corpora, set in his modestam pueritiam, in aliis imagines maiorum incitamentum cupidinis habebat. Tuncque primum ignota antea vocabula reperta sunt sellariorum et spintriarum ex foeditate loci ac multiplici

1 elapsum *R* : lapsum 4 specie *Heinsius* : spe 5 Poppaeo *R* : pompeio (*cf.* 1 80, 4 46) 7 Toronaeum Thermaeumque *B* : toroneum termeumque (*nonne* Thermaeumue?) 8 Piraeum *B* 9 chorintiense 12 delapsis *pr* 21 *pernutiem : permitiem 23 ·C·N· 27 degressus. 34 spintriarum *B* : p. sintriarum

patientia; praepositique servi, qui conquirerent pertraherent, dona in promptos, minas adversum abnuentes et, si retinuerant propinquus aut parens, vim raptus suaque ipsi libita velut in captos exercebant.

At Romae principio anni, quasi recens cognitis Liviae 8 flagitiis ac non pridem etiam punitis, atroces sententiae di- (2) cebantur, in effigies quoque ac memoriam eius; et bona Seiani ablata aerario ut in fiscum cogerentur, tamquam referret. Scipiones haec et Silani et Cassii, isdem ferme aut paulum inmutatis verbis, adseveratione multa censebant, cum repente Togonius Gallus, dum ignobilitatem suam magnis nominibus inserit, per deridiculum auditur. Nam principem orabat deligere senatores, ex quis viginti sorte ducti et ferro accincti, quotiens curiam inisset, salutem eius defenderent. Crediderat nimirum epistulae subsidio sibi alterum ex consulibus poscentis, ut tutus a Capreis urbem peteret. Tiberius tamen, ludibria seriis permiscere solitus, egit gratis benevolentiae patrum: sed quos omitti posse, quos deligi? semperne eosdem an subinde alios? et honoribus perfunctos an iuvenes, privatos an e magistratibus? quam deinde speciem fore sumentium in limine curiae gladios? neque sibi vitam tanti. si armis tegenda foret. Haec adversus Togonium verbis moderans, neque ultra *quam ut* abolitionem sententiae suaderet.

At Iunium Gallionem, qui censuerat ut praetoriani actis 9 stipendiis ius apiscerentur in quattuordecim ordinibus se- (3) dendi, violenter increpuit, velut coram rogitans, quid illi cum militibus, quos neque dicta imperiti oratoris neque praemia nisi ab imperatore accipere par esset. Repperisse prorsus quod divus Augustus non providerit: an potius discordiam et seditionem a satellite Seiani quaesitam, qua rudes animos nomine honoris ad corrumpendum militiae morem propelleret? Hoc pretium Gallio meditatae adulationis tulit, statim

1 pacientia conquirerent *Doederlein ad* 2 11 : quirerent (quaererent *B*) 2 *retinuerant : retinuerent (retinerent *B*) 6 sententiae *B* : sentiae 7 in effigies *B* : infigies 8 tamquam *L* : tam referret scipiones 13 *immo* centum senatores 18 delegi 19 alio sed hon. 22 uerbis *B* : urbis 23 *ultra quam ut : ultra (ut ultra *Doederlein*) suadere *B* 25 stipendiis *B* : stipendii 27 *imperiti oratoris : imperatoris 32 precium (*sic*) meditate

curia, deinde Italia exactus; et quia incusabatur facile toleraturus exilium delecta Lesbo, insula nobili et amoena, retrahitur in urbem custoditurque domibus magistratuum. Isdem litteris Caesar Sextium Paconianum praetorium perculit, magno patrum gaudio, audacem maleficum, omnium secreta rimantem, delectumque ab Seiano cuius ope dolus C. Caesari pararetur. Quod postquam patefactum, prorupere concepta pridem odia, et summum supplicium decernebatur, ni professus indicium foret. Vt vero Latinium Latiarem inde
(4) aggressus est, accusator ac reus iuxta invisi gratissimum spectaculum praebebant. Latiaris, ut rettuli, praecipuus olim circumveniendi Titii Sabini et tunc luendae poenae primus fuit. Inter quae Haterius Agrippa consules anni prioris invasit, cur mutua accusatione intenta nunc silerent: metum prorsus et noxiam conscientiam pro foedere haberi: at non patribus reticenda quae audivissent. Regulus manere tempus ultionis, seque coram principe exsecuturum; Trio aemulationem inter collegas et, siqua discordes iecissent, melius obliterari respondit. Vrgente Agrippa Sanquinius Maximus, e consularibus, oravit senatum, ne curas imperatoris conquisitis insuper acerbitatibus augerent: sufficere ipsum statuendis remediis. Sic Regulo salus et Trioni dilatio exitii quaesita. Haterius invisior fuit, quia somno aut libidinosis vigiliis marcidus, et ob segnitiam quamvis crudelem principem non metuens, inlustribus viris pernutiem inter ganeam ac stupra
11 meditabatur. Exim Cotta Messalinus, saevissimae cuiusque
(5) sententiae auctor, eoque inveterata invidia, ubi primum facultas data, arguitur pleraque: *Gaiam* C. Caesarem quasi incertae virilitatis, et cum die natali Augustae inter sacerdotes

4 Sextium Paconianum *L ex* 6 45 = 39 : extium pagonianum 6 ab *Weissenborn* : ad (a *B*) 8 pridem *Faernus* : pidem 9 Latinium *B ex* 4 68 : lucanium *inde aggressus : ingressus (aggressus *R*) 10 accussator ac reus *Muretus et Vrsinus* : acrius 11 praebebant *Muretus et Vrsinus* : praebebantur 12 titii is abini *pr* 13 interque haterius 15 noxiam conscientiam *Pichena* : noxiam conscientiae (noxam conscientiae *R*, noxae conscientiam *Groslotius*) 16 redicenda 20 necuras necuras 25 *pernutiem : permutiem 28 peraeque *Heinsius* *Gaiam C. : C. (Caiam *Freinsheim*) incertae *Freinsheim* : incerta (incestae *B*)

epularetur, novendialem eam cenam dixisse; querensque de potentia M'. Lepidi ac L. Arruntii, cum quibus ob rem pecuniariam disceptabat, addidisse: 'illos quidem senatus, me autem tuebitur Tiberiolus meus.' Quae cuncta a primoribus civitatis revincebatur, iisque instantibus, ad imperatorem provocavit. Nec multo post litterae adferuntur, quibus in modum defensionis, repetito inter se atque Cottam amicitiae principio crebrisque eius officiis commemoratis, ne verba prave detorta neu convivalium fabularum simplicitas in crimen duceretur postulavit. Insigne visum est earum Caesaris litterarum initium: 12
nam his verbis exorsus est: 'quid scribam vobis, patres con- (6)
scripti, aut quomodo scribam aut quid omnino non scribam hoc tempore, di me deaeque peius perdant quam perire me cotidie sentio, si scio.' Adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. Neque frustra praestantissimus sapientiae firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus et ictus, quando ut corpora verberibus, ita saevitia libidine, malis consultis animus dilaceretur. Quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant quin tormenta pectoris suasque ipse poenas fateretur.

Tum facta patribus potestate statuendi de Caesio Aeliano 13
senatore, qui plurima adversum Cottam prompserat, placitum (7)
eandem poenam inrogari quam in Aruseium et Sanquinium, accusatores L. Arruntii; quo non aliud honorificentius Cottae evenit, qui nobilis quidem, set egens ob luxum, per flagitia infamis, sanctissimis Arruntii artibus dignitate ultionis aequabatur.

Q. Servaeus posthac et Minucius Thermus inducti, Servaeus praetura functus et quondam Germanici comes, Minucius equestri loco, modeste habita Seiani amicitia; unde illis

1 querensq: 2 M'. *L et Borghesi*: ·M· 4 quae cuncta] neque cuncta (eaque cuncta *Pichena; Iac. Gronovius*: illos quidem senatus, me autem? Tuebitur Tiberiolus meus me: quae cuncta) 7 amicitiae *B*: amicitia 11 ·P·C· 12 quomodo *B ex Suetonii Tib.* 67: quando 13 di mide ae quae (*sic*) 16 adfirmare *Muretus* tirannorum 18 seuitia 20 quiin 21 *Caesio Aeliano: caesiliano (Caeciliano *L*) 23 sanguunnium (qui) 26 ultionis aequabatur *B*: ultioni sequebatur 28 minutius, *et sic paulo post*

maior miseratio. Contra Tiberius praecipuos ad scelera increpans admonuit C. Cestium patrem dicere senatui quae sibi scripsisset; suscepitque Cestius accusationem. Quod maxime exitiabile tulere illa tempora, cum primores senatus infimas etiam delationes exercerent, alii propalam, multi per occultum; neque discerneres alienos a coniunctis, amicos ab ignotis, quid repens aut vetustate obscurum: perinde in foro, in convivio, quaqua de re locuti incusabantur, ut quis praevenire et reum destinare properat, pars ad subsidium sui, plures infecti quasi valitudine et contactu. Sed Minucius et Servaeus damnati indicibus accessere. Tractique sunt in casum eundem Iulius Africanus e Santonis [Gallica civitate], Seius Quadratus: originem non repperi. Neque sum ignarus a plerisque scriptoribus omissa multorum pericula et poenas, dum copia fatiscunt aut, quae ipsis nimia et maesta fuerant, ne pari taedio lecturos adficerent verentur: nobis pleraque digna cognitu obvenere, quamquam ab aliis incelebrata.

14 (8) Nam ea tempestate, qua Seiani amicitiam ceteri falso exuerant, ausus est eques Romanus M. Terentius, ob id reus, amplecti, ad hunc modum apud senatum ordiendo: 'fortunae quidem meae fortasse minus expediat adgnoscere crimen quam abnuere: sed utcumque casura res est, fatebor et fuisse me Seiano amicum, et ut essem expetisse, et postquam adeptus eram laetatum. Videram collegam patris *sui* regendis praetoriis cohortibus, mox urbis et militiae munia simul obeuntem. Illius propinqui et adfines honoribus augebantur; ut quisque Seiano intimus, ita ad Caesaris amicitiam validus: contra quibus infensus esset, metu ac sordibus conflictabantur. Nec quemquam exemplo adsumo: cunctos, qui novissimi consilii expertes fuimus, meo unius discrimine defendam. Non enim Seianum Vulsiniensem, set Claudiae et Iuliae domus partem, quas adfinitate occupaverat, tuum, Caesar, generum, tui

7 perinde *R*: ꝑinde 9 properarat *Heinsius* 11 serueus tractatique 12 *[Gallica ciu.] 15 aut quae *B*: autque mesta 16 laecturos 19 eques Romanus *B*: eque romanos terrentius 20 amplectit *pr* (eam amplecti *potius*) ad hūc *B*: adhuc fortune 21 ad noscere (*sic*) 24 colligam *patris sui: patris 31 sed *R*: et

consulatus socium, tua officia in re publica capessentem colebamus. Non est nostrum aestimare quem supra ceteros et quibus de causis extollas: tibi summum rerum iudicium dedere, nobis obsequii gloria relicta est. Spectamus porro quae coram habentur, cui ex te opes honores, quis plurima iuvandi nocendive potentia, quae Seiano fuisse nemo negaverit. Abditos principis sensus, et siquid occultius parat, exquirere inlicitum anceps: nec ideo adsequare. Ne, patres conscripti, ultimum Seiani diem, sed sedecim annos cogitaveritis. Etiam Satrium atque Pinarium venerabamur; libertis quoque ac ianitoribus eius notescere pro magnifico accipiebatur. Quid ergo? indistincta haec defensio et promisca dabitur? immo iustis terminis dividatur. Insidiae in rem publicam, consilia caedis adversum imperatorem puniantur: de amicitia et officiis idem finis et te, Caesar, et nos absolverit.' Constantia orationis, et quia repertus erat qui efferret quae omnes animo agitabant, eo usque potuere, ut accusatores eius, additis quae ante deliquerant, exilio aut morte multarentur. (9)

Secutae dehinc Tiberii litterae in Sex. Vistilium praetorium, quem Druso fratri percarum in cohortem suam transtulerat. Causa offensionis Vistilio fuit, seu composuerat quaedam in C. Caesarem ut impudicum, sive ficto habita fides. Atque ob id convictu principis prohibitus cum senili manu ferrum temptavisset, obligat venas, precatusque per codicillos, immiti rescripto [venas] resolvit. Acervatim ex eo Annius Pollio, Appius Silanus, Scauro Mamerco simul ac Sabino Calvisio, maiestatis postulantur, et Vinicianus Pollioni patri adiciebatur, clari genus et quidam summis honoribus. Contremuerantque patres (nam quotus quisque adfinitatis aut amicitiae tot inlustrium virorum expers erat?), ni *Iulius* Cel-

1 consolatus capissentem 3 iuditium 5 exte 8 ·P·C· 10 *Pinarium : pomponiũ 11 ianitonibus noctestere 13 insidie 15 officiis *B* : officis 19 Vistilium *Nipperdey* : uestilium, *sed* 21. uistilio (*cf.* 2 85) 20 quęm 24 temtauisset obligat *Baiter* : ob legatu (obligauit *B*) 25 immiti *R* : immitti *[uenas] 27 caluisio *B* : clauisio uinicianus, *mox* uiciniani 28 adicebatur atque idem *Nipperdey* contremuerant que (*sic*) 30 *Iulius Celsus : celsus (*cf. c.* 20)

sus, urbanae cohortis tribunus, tum inter indices, Appium et Calvisium discrimini exemisset. Caesar Pollionis ac Viniciani Scaurique causam, ut ipse cum senatu nosceret, distulit, datis quibusdam in Scaurum tristibus notis.

16 (10) Ne feminae quidem exortes periculi. Quando occupandae rei publicae argui non poterant, ob lacrimas incusabantur; necataque est anus Fufia, Fufii Gemini mater, quod filii necem flevisset. Haec aput senatum: nec secus aput principem Vescularius Flaccus ac Iulius Marinus ad mortem aguntur, e vetustissimis familiarium, Rhodum secuti et aput Capreas individui, Vescularius insidiarum in Libonem internuntius; Marino participe usus Seianus Curtium Atticum oppresserat. Quo laetius acceptum sua exempla in consultores recidisse.

Per idem tempus L. Piso pontifex, rarum in tanta claritudine, fato obiit, nullius servilis sententiae sponte auctor, et quotiens necessitas ingrueret, sapienter moderans. Patrem ei censorium fuisse memoravi; aetas ad octogesimum annum processit; decus triumphale in Thraecia meruerat. Sed praecipua ex eo gloria, quod praefectus urbi recens continuam potestatem et insolentia parendi graviorem mire tem-

17 (11) peravit. Namque antea, profectis domo regibus ac mox magistratibus, ne urbs sine imperio foret, in tempus deligebatur qui ius redderet ac subitis mederetur; feruntque ab Romulo Dentrem Romulium, post ab Tullo Hostilio Numam Marcium et ab Tarquinio Superbo Spurium Lucretium inpositos. Dein consules mandabant; duratque simulacrum, quotiens ob ferias Latinas praeficitur qui consulare munus usurpet. Ceterum Augustus bellis civilibus Cilnium Maecenatem, equestris ordinis, cunctis apud Romam atque Italiam praeposuit: mox rerum potitus ob magnitudinem populi ac tarda

2 calusium 5 *quando : qua (quia *Muretus*) 7 *Fufia : utia (Vibia *Nipperdey*) Fufii *L ex* 5 2 : fugii 9 Flaccus *Pichena ex* 2 28 : atticus atmortem 10 familiarium *B* : familiarum 12 *participe usus : participis (participe *B*) 16 obiid 19 inthraeciam eruerat 22 profectis domo *R* : praefectis demum 25 Numam *R* : mumã 29 Cilnium *L* : cilliniũ

legum auxilia sumpsit e consularibus qui coerceret servitia et quod civium audacia turbidum, nisi vim metuat. Primusque Messala Corvinus eam potestatem et paucos intra dies finem accepit, quasi nescius exercendi; tum Taurus Statilius, quamquam provecta aetate, egregie toleravit; dein Piso viginti per annos pariter probatus publicoque funere ex decreto senatus celebratus est.

18 Relatum inde ad patres a Quintilio Varo, tribuno plebei, de libro Sibullae, quem Caninius Gallus quindecimvir re-(12) cipi inter ceteros eiusdem vatis et ea de re senatus consultum postulaverat. Quo per discessionem facto misit litteras Caesar, modice tribunum increpans ignarum antiqui moris ob iuventam. Gallo exprobrabat, quod scientiae caerimoniarumque vetus incerto auctore, ante sententiam collegii, non, ut adsolet, lecto per magistrum aestimatoque carmine, apud infrequentem senatum egisset. Simul commonefecit, quia multa vana sub nomine celebri vulgabantur, sanxisse Augustum, quem intra diem ad praetorem urbanum deferrentur neque haberi privatim liceret. Quod a maioribus quoque decretum erat post exustum sociali bello Capitolium, quaesitis Samo Ilio Erythris, per Africam etiam ac Siciliam et Italicas colonias, carminibus Sibullae, una seu plures fuere, datoque sacerdotibus negotio, quantum humana opĕ potuissent, vera discernere. Igitur tunc quoque notioni quindecimvirum is liber subicitur.

19 Isdem consulibus gravitate annonae iuxta seditionem ventum, multaque et plures per dies in theatro licentius(13) efflagitata quam solitum adversum imperatorem. Quis commotus incusavit magistratus patresque, quod non publica auctoritate populum coercuissent, addiditque quibus ex pro-

3 Messala] *v. ad* 1 8 5 decem *L*, XV *Ernesti* 6 *publicoque : publico (*sic non plene expressit scriba Medicei codicis vetus illud* PVBLICOQ:) 8 *Quintilio Varo : quintiliano (*cf.* 4 66) 9 sibullę. *mox* sibillę quindecimuir *B* : quindecimuirũ 15 magistrum *Sirker* : magistros estimatoque 16 commonefecit *B* : cum mune fecit 19 neue *Ernesti* *haberi : habere 21 Sami Ilii *potius* Erythris *B* : erytry thrys affricã *pr* 24 quindecim uirum 27 *fortasse* pluris, *ut* 3 33 *et* 74, 4 55 (*cf.* 1 3, 4 37), *sed* 11 20 *est* plures per prouincias, 6 13=19 plures per dies 30 *ex : et (e *B*) prouintiis

vinciis et quanto maiorem quam Augustus rei frumentariae copiam advectaret. Ita castigandae plebi compositum senatus consultum prisca severitate, neque segnius consules edixere. Silentium ipsius non civile, ut crediderat, sed in superbiam accipiebatur.

20 (14) Fine anni Geminius, Celsus, Pompeius, equites Romani, caecidere coniurationis crimine: ex quis Geminius prodigentia opum ac mollitia vitae amicus Seiano nihil ad serium. Et Iulius Celsus tribunus in vinclis laxatam catenam et *collo* circumdatam in diversum tendens suam ipse cervicem perfregit. At Rubrio Fabato, tamquam desperatis rebus Romanis Parthorum ad misericordiam fugeret, custodes additi. Sane is repertus aput fretum Siciliae, retractusque per centurionem, nullas probabiles causas longinquae peregrinationis adferebat: mansit tamen incolumis, oblivione magis quam clementia.

21 (15) Ser. Galba L. Sulla consulibus, diu quaesito quos neptibus suis maritos destinaret Caesar, postquam instabat virginum aetas, L. Cassium, M. Vinicium legit. Vinicio oppidanum genus: Calibus ortus, patre atque avo consularibus, cetera equestri familia erat, mitis ingenio et comptae facundiae. Cassius plebeii Romae generis, verum antiqui honoratique, et severa patris disciplina eductus facilitate saepius quam industria commendabatur. Huic Drusillam, Vinicio Iuliam, Germanico genitas, coniungit, superque ea re senatui scribit, levi cum honore iuvenum. Dein redditis absentiae causis admodum vagis flexit ad graviora et offensiones ob rem publicam coeptas, utque Macro praefectus tribunorumque et centurionum pauci secum introirent, quotiens curiam ingrederetur, petivit. Factoque large et sine praescriptione generis aut numeri senatus consulto ne tecta quidem urbis, adeo publicum consilium numquam adiit, deviis plerumque itineribus ambiens patriam et declinans.

P. Ch. 33

6 *fortasse* C. Geminius, C. Celsus, P. Pompeius 7 caecidere 8 mollicia 9 *collo circumd. : circumdatam 13 sane is *Puteanus* : sanus 14 longinq; peregrinationes 17 cõs. 22 rome 23 disciplinae ductus 24 uinio 26 scripit *pr*, scribit *corr* 28 susceptas *Muretus* 31 urbes 33 ambiens *R* : ambigens

Interea magna vis accusatorum in eos inrupit, qui pe- 22
cunias fenore auctitabant adversum legem dictatoris Caesa-(16)
ris, qua de modo credendi possidendique intra Italiam ca-
vetur, omissam olim, quia privato usui bonum publicum post-
ponitur. Sane vetus urbi fenebre malum et seditionum dis-
cordiarumque creberrima causa, eoque cohibebatur antiquis
quoque et minus corruptis moribus. Nam primum duodecim
tabulis sanctum, nequis unciario fenore amplius exerceret,
cum antea ex libidine locupletium agitaretur. Dein rogatione
tribunicia ad semuncias redacta, postremo vetita versura.
Multisque plebis scitis obviam itum fraudibus, quae totiens
repressae miras per artes rursum oriebantur. Sed tum *C.*
Gracchus praetor, cui ea quaestio evenerat, multitudine peri-
clitantium subactus rettulit ad senatum, trepidique patres
(neque enim quisquam tali culpa vacuus) veniam a principe
petivere. Eo concedente annus in posterum sexque menses
dati, quis secundum iussa legis rationes familiares quisque
componerent. Hinc inopia rei nummariae, commoto simul 23
omnium aere alieno, et quia tot damnatis bonisque eorum (17)
divenditis signatum argentum fisco vel aerario attinebatur.
Ad hoc senatus praescripserat, duas quisque fenoris partes
in agris per Italiam conlocaret, debitores totidem aeris alieni
statim solverent. Sed creditores in solidum appellabant,
nec decorum appellatis minuere fidem. Ita primo concur-
satio et preces, dein strepere praetoris tribunal, eaque quae
remedio quaesita, venditio et emptio, in contrarium mutari,
quia feneratores omnem pecuniam mercandis agris condide-
rant. Copiam vendendi secuta vilitate, quanto quis obaera-
tior, aegrius distrahebant, multique fortunis provolvebantur;
eversio rei familiaris dignitatem ac famam in praeceps da-
bat, donec tulit opem Caesar disposito per mensas milies
sestertio factaque mutuandi copia sine usuris per triennium,

2 faenore, *mox* faenebrae, *tum* faenore, *c.* 17 faenoris, *dein* faeneratores (*cf. ad* 3 40) 4 omissam *L*: omissa 7 *primum: primo (*hoc natum ex* primũ) 10 semuntias redacta *B*: redactu (redactum *Halm*) usura *Muretus* 12 *C. Gracchus: gracchus 16 eo *Pichena*: et (*cf.* 8 *et* eo) 17 quis *B*: qui familiares *B*: familiar s 20 diuenditis *B*: deuenditis 22 debitores—soluerent *Nipperdey ex Sueton. Tib.* 48: *om* 29 fortunus 30 in *Muretus*: *om*

si debitor populo in duplum praediis cavisset. Sic refecta fides, et paulatim privati quoque creditores reperti. Nec venditio agrorum exercita ad formam senatus consulti, acribus, ut ferme talia, initiis, incurioso fine.

24 (18) Dein redeunt priores metus postulato maiestatis Considio Proculo, qui nullo pavore diem natalem celebrans raptus in curiam pariterque damnatus interfectusque *est;* et sorori eius Sanciae aqua atque igni interdictum accusante Q. Pomponio. Is moribus inquies haec et huiuscemodi a se factitari praetendebat, ut parta apud principem gratia periculis Pomponii Secundi fratris mederetur. Etiam in Pompeiam Macrinam exilium statuitur, cuius maritum Argolicum, socerum Laconem, e primoribus Achaeorum, Caesar adfixerat. Pater quoque, inlustris eques Romanus, ac frater praetorius, cum damnatio instaret, se ipsi interfecere. Datum erat crimini, quod Theophanen Mytilenaeum, proavum eorum, Cn. Magnus inter intimos habuisset, quodque defuncto Theo-

25 (19) phani caelestes honores Graeca adulatio tribuerat. Post quos Sex. Marius, Hispaniarum ditissimus, defertur incestasse filiam et saxo Tarpeio deicitur. Ac ne dubium haberetur magnitudinem pecuniae malo vertisse, *aerarias* aurariasque eius, quamquam publicarentur, sibimet Tiberius seposuit. Inritatusque suppliciis cunctos, qui carcere attinebantur accusati societatis cum Seiano, necari iubet. Iacuit inmensa strages, omnis sexus, omnis aetas, inlustres ignobiles, dispersi aut aggerati. Neque propinquis aut amicis adsistere inlacrimare, ne visere quidem diutius dabatur, sed circumiecti custodes et in maerorem cuiusque intenti corpora putrefacta adsectabantur, dum in Tiberim traherentur, ubi fluitantia aut ripis adpulsa non cremare quisquam, non contingere. Interciderat sortis humanae commercium vi metus, quantumque saevitia glisceret, miseratio arcebatur.

2 *nec uenditio : neque emitio (neque emptio *B*) 7 *est; et : et (est *Bezzenberger; cf.* c. 26=20) 15 interfecere *B* : interficere 16 theophanen, *mox* theo phani mitylenaeum (*corr* mytyl.) 17 C·N. 19 incestasse *B* : incertasse 21 *aerarias aurariasque : aurariasque (aurarias aerariasque *Bezzenberger*, aurarias argentariasque *vel* ferrariasque *Weissenborn*) 29 intiberī

Sub idem tempus C. Caesar, discedenti Capreas avo 26
comes, Claudiam, M. Silani filiam, coniugio accepit, imma-(20)
nem animum subdola modestia tegens, non damnatione matris, non exilio fratrum rupta voce; qualem diem Tiberius induisset, pari habitu *adesse*, hau multum distantibus verbis. Vnde mox scitum Passieni oratoris dictum percrebruit, neque meliorem umquam servum neque deteriorem dominum fuisse.

Non omiserim praesagium Tiberii de Servio Galba tum consule; quem accitum et diversis sermonibus pertemptatum postremo Graecis verbis in hanc sententiam adlocutus est 'et tu, Galba, quandoque degustabis imperium,' seram ac brevem potentiam significans, scientia Chaldaeorum artis, cuius apiscendae otium aput Rhodum, magistrum Thrasullum habuit, peritiam eius hoc modo expertus. Quotiens 27
super tali negotio consultaret, edita domus parte ac liberti(21)
unius conscientia utebatur. Is litterarum ignarus, corpore valido, per avia ac derupta (nam saxis domus imminet) praeibat eum, cuius artem experiri Tiberius statuisset, et regredientem, si vanitatis aut fraudum suspitio incesserat, in subiectum mare praecipitabat, ne index arcani existeret. Igitur Thrasullus isdem rupibus inductus postquam percunctantem commoverat, imperium ipsi et futura sollerter patefaciens, interrogatur an suam quoque genitalem horam comperisset, quem tum annum, qualem diem haberet. Ille positus siderum ac spatia dimensus haerere primo, dein pavescens et, quantum introspiceret, magis ac magis trepidus admirationis et metus, postremo exclamat ambiguum sibi ac prope ultimum discrimen instare. Tum complexus eum Tiberius praescium periculorum et incolumem fore gratatur, quaeque dixerat oracli vice excipiens inter intimos amicorum tenet.

Sed mihi haec ac talia audienti in incerto iudicium est, 28
(22)

4 exitio *Nipperdey, sed cf. c.* 29 5 *habitu adesse : habitu 10 hãc *B* : hac est *add. Ernesti* 15 super tali *Pichena* : superta 19 suspicio 21 thrasullumsdem *pr* (Thrasullus iisdem *B*) 22 solerter 25 spacia pauescens *Iac. Gronovius* : pauescen te (pauescere *B*) 29 sed *Acidalius* 30 uice *B* : uici *excipiens : eiccipiens (accipiens *B*)

fatone res mortalium et necessitate immutabili an forte volvantur. Quippe sapientissimos veterum, quique sectam eorum aemulantur, diversos reperias, ac multis insitam opinionem non initia nostri, non finem, non denique homines dis curae; ideo creberrime et tristia in bonos, laeta apud deteriores esse. Contra alii fatum quidem congruere rebus putant, sed non e vagis stellis, verum apud principia et nexus naturalium causarum; ac tamen electionem vitae nobis relinquunt, quam ubi elegeris, certum imminentium ordinem. Neque mala vel bona quae vulgus putet: multos, qui conflictari adversis videantur, beatos, at plerosque, quamquam magnas per opes, miserrimos, si illi gravem fortunam constanter tolerent, hi prospera inconsulte utantur. Ceterum plurimis mortalium non eximitur *opinio*, quin primo cuiusque ortu ventura destinentur, sed quaedam secus quam dicta sint cadere, fallaciis ignara dicentium: ita corrumpi fidem artis, cuius clara documenta et antiqua aetas et nostra tulerit. Quippe a filio eiusdem Thrasulli praedictum Neronis imperium in tempore memorabitur, ne nunc incepto longius abierim.

29 Isdem consulibus Asinii Galli mors vulgatur, quem [23] egestate cibi peremptum hau dubium, sponte an necessitate, incertum habebatur. Consultusque Caesar an sepeliri sineret, non erubuit permittere ultroque incusare casus, qui reum abstulissent, antequam coram convinceretur: scilicet medio triennio defuerat tempus subeundi iudicium consulari seni, tot consularium parenti. Drusus deinde exstinguitur, cum se miserandis alimentis, mandendo e cubili tomentum, nonum ad diem detinuisset. Tradidere quidam praescriptum fuisse Macroni, si arma ab Seiano temptarentur, extractum custodiae iuvenem (nam in Palatio attinebatur) ducem populo imponere. Mox, quia rumor incedebat fore ut nurui ac nepoti conciliaretur Caesar, saevitiam quam poenitentiam

3 repericcs, *corr. vetere m.* reperiecs (reperies *B*) 5 creberrime et *Ernesti*: creberrima et (creberrima *Freinsheim*) 14 *opinio, quin: quin 15 destinentur *B*: distinentur 20 aberrem *Heinsius* 22 haudubium an *Vrsinus*: uel 28 *tomentum: tomento 30 exstractũ 32 nurui *L*: nuru 33 poenitentiam *B*: paenitentiam

maluit. Quin et invectus in defunctum probra corporis, 30
exitiabilem in suos, infensum rei publicae animum obiecit,[24]
recitarique factorum dictorumque eius descripta per dies
iussit, quo non aliud atrocius visum: adstitisse tot per annos
qui vultum, gemitus, occultum etiam murmur exciperent, et
potuisse avum audire legere, in publicum promere vix fides,
nisi quod Attii centurionis et Didymi liberti epistulae servorum nomina praeferebant, ut quis egredientem cubiculo
Drusum pulsaverat exterruerat. Etiam sua verba centurio
saevitiae plena, tamquam egregium, vocesque deficientis
adiecerat, quis primo alienationem mentis simulans [quasi
per dementiam] funesta Tiberio, mox, ubi exspes vitae fuit,
meditatas compositasque diras inprecabatur, ut quemadmodum
nurum filiumque [fratris] et nepotes *necasset*, domumque om-
nem caedibus complevisset, ita poenas nomini generique maiorum et posteris exsolveret. Obturbabant quidem patres specie detestandi: sed penetrabat pavor et admiratio, callidum
olim et tegendis sceleribus obscurum huc confidentiae venisse,
ut tamquam dimotis parietibus ostenderet nepotem sub ver-
bere centurionis, inter servorum ictus, extrema vitae alimenta frustra orantem.

Nondum is dolor exoleverat, cum de Agrippina audi- 31
tum, quam interfecto Seiano spe sustentatam provixisse[25]
reor, et postquam nihil de saevitia remittebatur, voluntate
exstinctam, nisi si negatis alimentis adsimulatus est finis,
qui videretur sponte sumptus. Enimvero Tiberius foedissimis criminationibus exarsit, impudicitiam arguens et Asinium
Gallum adulterum, eiusque morte ad taedium vitae conpulsam. Sed Agrippina aequi inpatiens, dominandi avida, viri-
libus curis feminarum vitia exuerat. Eodem die defunctam,
quo biennio ante Seianus poenas luisset, memoriaeque id
prodendum addidit Caesar, iactavitque quod non laqueo
strangulata neque in Gemonias proiecta foret. Actae ob
id grates, decretumque ut quintum decimum kal. Novem-

4 aliut 7 Didymi *B* : dedymi 11 [quasi per dem.] *Ruperti*
14 *[fratris] *nepotes necasset* : nepotes 17 dedestandi 18 degendis 24 seuitia 32 lactauitque 34 grates *B* : gratis K̃

bris, utriusque necis die, per omnis annos donum Iovi sacraretur.

32 (26) Haud multo post Cocceius Nerva, continuus principi suo, omnis divini humanique iuris sciens, integro statu, corpore inlaeso, moriendi consilium cepit. Quod ut Tiberio cognitum, adsidere, causas requirere, addere preces, fateri postremo grave conscientiae, grave famae suae, si proximus amicorum nullis moriendi rationibus vitam fugeret. Aversatus sermonem Nerva abstinentiam cibi coniunxit. Ferebant gnari cogitationum eius, quanto propius mala rei publicae viseret, ira et metu, dum integer, dum intemptatus, honestum finem voluisse.

Ceterum Agrippinae pernuties, quod vix credibile, Plancinam traxit. Nupta olim Cn. Pisoni et palam laeta morte Germanici, cum Piso caderet, precibus Augustae nec minus inimicitiis Agrippinae defensa erat. Vt odium et gratia desiere, ius valuit; petitaque criminibus haud ignotis, sua manu sera magis quam inmerita supplicia persolvit.

33 (27) Tot luctibus funesta civitate pars maeroris fuit, quod Iulia, Drusi filia, quondam Neronis uxor, denupsit in domum Rubellii Blandi, cuius avum Tiburtem equitem Romanum plerique meminerant. Extremo anni mors Aelii Lamiae funere censorio celebrata, qui administrandae Suriae imagine tandem exsolutus urbi praefuerat. Genus illi decorum, vivida senectus; et non permissa provincia dignationem addiderat. Exim Flacco Pomponio, Suriae pro praetore, defuncto, recitantur Caesaris litterae, quis incusabat egregium quemque et regendis exercitibus idoneum abnuere id munus, seque ea necessitudine ad preces cogi, per quas consularium aliqui capessere provincias adigerentur, oblitus Arruntium, ne in Hispaniam pergeret, decimum iam annum attineri. Obiit eodem anno et M'. Lepidus, de cuius moderatione atque sapientia in prioribus libris satis conlocavi. Neque nobilitas diutius demonstranda est: quippe Aemilium genus fecundum bono-

1 oĩs, *et sic statim pro genetico omnis* 3 *principi suo : principis (principi *Heinsius; cf. H.* 1 31, *tum* 4 36, 11 5) 13 *pernuties : pmities 14 C N 15 praecibus 28 exercitibus *Aldus* : exercitus *corr. vetere m.* exercitubus 29 necessititudine 32 M'. *L et Borghesi* : M

rum civium, et qui eadem familia corruptis moribus, inlustri tamen fortuna egere.

Paulo Fabio L. Vitellio consulibus post longum saecu- 34
lorum ambitum avis phoenix in Aegyptum venit praebuit- (28)
que materiem doctissimis indigenarum et Graecorum multa p. Ch. 34
super eo miraculo disserendi. De quibus congruunt et plura ambigua, sed cognitu non absurda, promere libet. Sacrum Soli id animal, et ore ac distinctu pinnarum a ceteris avibus diversum, consentiunt qui formam eius effinxere: de numero annorum varia traduntur. Maxime vulgatum quingentorum spatium: sunt qui adseverent mille quadringentos sexaginta unum interici; prioresque alii Sesoside primum, post Amaside dominantibus, dein Ptolemaeo, qui ex Macedonibus tertius regnavit, in civitatem cui Heliopolis nomen advolavisse, multo ceterarum volucrum comitatu novam faciem mirantium. Sed antiquitas quidem obscura: inter Ptolemaeum ac Tiberium minus ducenti quinquaginta anni fuerunt. Vnde nonnulli falsum hunc phoenicem neque Arabum e terris credidere, nihilque usurpavisse ex iis, quae vetus memoria firmavit. Confecto quippe annorum numero, ubi mors propinquet, suis in terris struere nidum eique vim genitalem adfundere, ex qua fetum oriri; et primam adulto curam sepeliendi patris, neque id temere, sed sublato murrae pondere temptatoque per longum iter, ubi par oneri, par meatui sit, subire patrium corpus inque Solis aram perferre atque adolere. Haec incerta et fabulosis aucta: ceterum aspici aliquando in Aegypto eam volucrem non ambigitur.

At Romae caede continua Pomponius Labeo, quem 35
praefuisse Moesiae rettuli, per abruptas venas sanguinem (29)
effudit; aemulataque est coniunx Paxaea. Nam promptas eiusmodi mortes metus carnificis faciebat, et quia damnati publicatis bonis sepultura prohibebantur, eorum qui de se statuebant humabantur corpora, manebant testamenta, pretium festinandi. Sed Caesar missis ad senatum litteris

3 cōs. seculorum 5 grecorum 9 effinxere *Pichena*: effinere (definiere *B*) 12 *alii: aliter (alites *R*, alios ter *Spengel*, alios tres *Halm*) Sesoside *Iac. Gronovius ex Diodoro* 1 53: esse sosi de (*sic*) 13 ptolemeo, *mox* ptolemeum 19 *iis: his 24 itinere *Heinsius* 29 rectuli

disseruit morem fuisse maioribus, quotiens dirimerent amicitias, interdicere domo eumque finem gratiae ponere: id se repetivisse in Labeone, atque illum, quia male administratae provinciae aliorumque criminum arguebatur, culpam invidia velavisse, frustra conterrita uxore, quam etsi nocentem periculi tamen expertem fuisse. Mamercus dein Scaurus rursum postulatur, insignis nobilitate et orandis causis, vita probrosus. Nihil hunc amicitia Seiani, sed labefecit haud minus validum ad exitia Macronis odium, qui easdem artes occultius exercebat; detuleratque argumentum tragoediae a Scauro scriptae, additis versibus qui in Tiberium flecterentur: verum ab Servilio et Cornelio accusatoribus adulterium Liviae, magorum sacra obiectabantur. Scaurus, ut dignum veteribus Aemiliis, damnationem anteiit, hortante Sextia uxore, quae incitamentum mortis et particeps fuit.

36 (630) Ac tamen accusatores, si facultas incideret, poenis adficiebantur, ut Servilius Corneliusque perdito Scauro famosi, quia pecuniam a Vario Ligure omittendae delationis ceperant, in insulas interdicto igni atque aqua demoti sunt. Et Abudius Ruso, functus aedilitate, dum Lentulo Gaetulico, sub quo legioni praefuerat, periculum facessit, quod is Seiani filium generum destinasset, ultro damnatur atque urbe exigitur. Gaetulicus ea tempestate superioris Germaniae legiones curabat, mirumque amorem adsecutus erat, effusae clementiae, modicus severitate, et proximo quoque exercitui per L. Apronium socerum non ingratus. Vnde fama constans ausum mittere ad Caesarem litteras, adfinitatem sibi cum Seiano hau sponte sed consilio Tiberii coeptam; perinde se quam Tiberium falli potuisse, neque errorem eundem illi sine fraude, aliis exitio habendum. Sibi fidem integram et, si nullis insidiis peteretur, mansuram; successorem non aliter quam indicium mortis accepturum. Firmarent velut foedus, quo princeps ceterarum rerum poteretur, ipse provinciam retineret. Haec, mira quamquam, fidem ex eo trahebant,

1 diseruit 3 administrate prouintię 4 arguebatur *Ernesti*: urgebatur 12 ab *B*: ad 14 anteiit *Halm*: anteit hortante Sextia *L*: hortantes exitia (h. Sextia *B*) 21 is Seiani *L*: isse Iam 28 hausponte 33 prouintiam

quod unus omnium Seiani adfinium incolumis multaque gratia mansit, reputante Tiberio publicum sibi odium, extremam aetatem, magisque fama quam vi stare res suas.

C. Cestio M. Servilio consulibus nobiles Parthi in urbem venere, ignaro rege Artabano. Is metu Germanici fidus Romanis, aequabilis in suos, mox superbiam in nos, saevitiam in populares sumpsit, fretus bellis, quae secunda adversum circumiectas nationes exercuerat, et senectutem Tiberii ut inermem despiciens avidusque Armeniae, cui defuncto rege Artaxia Arsacen, liberorum suorum veterrimum, inposuit, addita contumelia et missis qui gazam a Vonone relictam in Syria Ciliciaque reposcerent; simul veteres Persarum ac Macedonum terminos, seque invasurum possessa a Cyro et post Alexandro per vaniloquentiam ac minas iaciebat. Sed Parthis mittendi secretos nuntios validissimus auctor fuit Sinnaces, insigni familia ac perinde opibus, et proximus huic Abdus, ademptae virilitatis. Non despectum id apud barbaros ultroque potentiam habet. Ii adscitis et aliis primoribus, quia neminem gentis Arsacidarum summae rei inponere poterant, interfectis ab Artabano plerisque aut nondum adultis, Phrahaten, regis Phrahatis filium, Roma poscebant: nomine tantum et auctore opus, ut sponte Caesaris, ut genus Arsacis ripam apud Euphratis cerneretur. Cupitum id Tiberio: ornat Phrahaten accingitque paternum ad fastigium, destinata retinens, consiliis et astu res externas moliri, arma procul habere. Interea cognitis insidiis Artabanus tardari metu *modo*, modo cupidine vindictae inardescere. Et barbaris cunctatio servilis, statim exequi regium videtur: valuit tamen utilitas, ut Abdum specie amicitiae vocatum ad epulas lento veneno inligaret, Sinnacen dissimulatione ac donis, simul per negotia moraretur. Et Phrahates

37 (31)

38 (32)

3 ui stare *B*: uisitare 4 C *pr, corr* G cõs. 8 exercuerat *B*: execreuerat 10 *fortasse* uetustissimum 12 ciliaque 14 *a Cyro: icyro (*cf. 13 34*:* primum Cyro *Bader*) 20 artano 21 *Phrahaten. regis Phrahatis: phraaten regis phraatis 23 arsaces 24 cubitum *Phrahaten: phraaten 25 astu *B*: asatu 27 *metu modo: modo (modo tardari metu *Muretus*) 28 exequi 29 spetie 31 *Phrahates: phraates

aput Syriam, dum omisso cultu Romano, cui per tot annos insueverat, instituta Parthorum adsumit, patriis moribus impar morbo absumptus est. Sed non Tiberius omisit incepta: Tiridaten, sanguinis eiusdem, aemulum Artabano, reciperandaeque Armeniae Hiberum Mithridaten deligit conciliatque fratri Pharasmani, qui gentile imperium obtinebat; et cunctis quae apud Orientem parabantur L. Vitellium praefecit. Eo de homine hau sum ignarus sinistram in urbe famam, pleraque foeda memorari, ceterum regendis *in* provinciis prisca virtute egit. Vnde regressus et formidine C. Caesaris, familiaritate Claudii turpe in servitium mutatus exemplar aput posteros adulatorii dedecoris habetur, cesseruntque prima postremis, et bona iuventae senectus flagitiosa obliteravit.
39 At ex regulis prior Mithridates Pharasmanem perpulit dolo
(38) et vi conatus suos iuvare, repertique corruptores ministros Arsacis multo auro ad scelus cogunt; simul Hiberi magnis copiis Armeniam inrumpunt et urbe Artaxata potiuntur. Quae postquam Artabano cognita, filium Oroden ultorem parat; dat *pecuniam* Parthorumque copias, mittit qui auxilia mercede facerent. Contra Pharasmanes adiungere Albanos, accire Sarmatas, quorum sceptuchi utrimque donis acceptis more gentico diversa induere. Sed Hiberi locorum potentes Caspia via Sarmatam in Armenios raptim effundunt. At qui Parthis adventabant, facile arcebantur, cum alios incessus hostis clausisset, unum reliquum mare inter et extremos Albanorum montes aestas impediret, quia flatibus etesiarum implentur vada: hibernus auster revolvit fluctus pulsoque in-
40 trorsus freto brevia litorum nudantur. Interim Oroden, so-
(39) ciorum inopem, auctus auxilio Pharasmanes vocare ad pugnam et detrectantem incessere, adequitare castris, infensare pabula; ac saepe in modum obsidii stationibus cingebat, do-

2 *adsumit : insumit (sumit *L*) 3 absumptus *B* : adsumptus tiridatem 5 mithridanten diligit 8 hausum ignarus 9 *regendis in : regendis (in regendis *Otto*) 16 simul haberi 18 orodem 19 *dat pecuniam Parthorumque : dat parthorum que (datque Parthorum *B*, dat Parthorum *Dübner*, dat Parthorum Ariorumque *Bezzenberger*) 21 accire *Gronovius* : accipere 23 effundunt *B* : effunt 28 nudantur 31 in *add. Muretus* *fortasse* castra cingebat

nec Parthi contumeliarum insolentes circumsisterent regem, poscerent proelium. Atque illis sola in equite vis: Pharasmanes et pedite valebat. Nam Hiberi Albanique saltuosos locos incolentes duritiae patientiaeque magis insuevere; feruntque se Thessalis ortos, qua tempestate Iaso post avectam Medeam genitosque ex ea liberos inanem mox regiam Aeetae vacuosque Colchos repetivit. Multaque de nomine eius et oraclum Phrixi celebrant; nec quisquam ariete sacrificaverit, credito vexisse Phrixum, sive id animal seu navis insigne fuit. Ceterum derecta utrimque acie Parthus imperium Orientis, claritudinem Arsacidarum, contraque ignobilem Hiberum, mercennario milite disserebat; Pharasmanes integros semet a Parthico dominatu, quanto maiora peterent, plus decoris victores aut, si terga darent, flagitii atque periculi laturos; simul horridam suorum aciem, picta auro Medorum agmina, hinc viros, inde praedam ostendere. Enimvero apud Sarmatas non una vox ducis: se 41
quisque stimulant ne pugnam per sagittas sinerent: impetu[55]
et comminus praeveniendum. Variae hinc bellantium species, cum Parthus sequi vel fugere pari arte suetus distraheret turmas, spatium ictibus quaereret, Sarmatae omisso arcu, quo brevius valent, contis gladiisque ruerent, modo equestris proelii more frontis et tergi vices, aliquando [,ut conserta acies,] corporibus et pulsu armorum pellerent pellerentur. Iamque et Albani Hiberique prensare detrudere, ancipitem pugnam hostibus facere, quos super eques et propioribus vulneribus pedites adflictabant. Inter quae Pharasmanes Orodesque, dum strenuis adsunt aut dubitantibus subveniunt, conspicui eoque gnari, clamore telis equis concurrunt, instantius Pharasmanes: nam vulnus per galeam adegit. Nec iterare valuit, praelatus equo et fortissimis satellitum protegentibus saucium: fama tamen occisi falso credita exterruit Parthos victoriamque concessere. Mox Artabanus tota mole 42
regni ultum it. Peritia locorum ab Hiberis melius pugna-[56]

7 Aeetae *B* : aetae 12 mercenario *L* 18 inirent *B* 19 com minus speties 21 spacium 22 equestris *R* : equites tres 23 *[ut—acies] 27 inter quae *B* : interque 31 ualuit *B* : ualnut 32 saucim 34 *ultum it : ultimi id (ultum iit *L*; *cf. c.* 43 = 37) ad

tum; nec ideo abscedebat, ni contractis legionibus Vitellius et subdito rumore, tamquam Mesopotamiam invasurus, metum Romani belli fecisset. Tum omissa Armenia, versaeque Artabani res, inliciente Vitellio desererent regem saevum in pace et adversis proeliorum exitiosum. Igitur Sinnaces, quem antea infensum memoravi, patrem Abdagaesen aliosque occultos consilii et tunc continuis cladibus promptiores ad defectionem trahit, adfluentibus paulatim qui metu magis quam benivolentia subiecti repertis auctoribus sustulerant animum. Nec iam aliud Artabano reliquum quam si qui externorum corpori custodes aderant, suis quisque sedibus extorres, quis neque boni intellectus neque mali cura, sed mercede aluntur ministri sceleribus. His adsumptis in longinqua et contermina Scythiae fugam maturavit, spe auxilii, quia Hyrcanis Carmaniisque per adfinitatem innexus erat: atque interim posse Parthos absentium aequos, praesentibus mobiles, ad poenitentiam mutari. 43 At Vitellius profugo Artabano et flexis ad novum (37) regem popularium animis, hortatus Tiridaten parata capessere, robur legionum sociorumque ripam ad Euphratis ducit. Sacrificantibus, cum hic more Romano suovetaurilia daret, ille equum placando amni adornasset, nuntiavere accolae Euphraten nulla imbrium vi sponte et inmensum attolli, simul albentibus spumis in modum diadematis sinuare orbes, auspicium prosperi transgressus. Quidam callidius interpretabantur, initia conatus secunda neque diuturna, quia eorum quae terra caelove portenderentur certior fides, fluminum instabilis natura simul ostenderet omina raperetque. Sed ponte navibus effecto tramissoque exercitu, primus Ornospades multis equitum milibus in castra venit, exul quondam et Tiberio, cum Delmaticum bellum conficeret, haud inglorius auxiliator, eoque civitate Romana donatus, mox repetita amicitia regis multo apud eum honore, praefectus campis qui Euphrate et Tigre, inclutis amnibus, circumflui Mesopotamiae nomen acceperunt. Neque multo post Sinnaces auget copias,

2 subdidorum ore 7 consilii *Faernus*: consilit 17 poenitentiam *B*: paenitentiam 20 romane 21 amni *B*: anni 24 prosperi *R*: prospere calldius interpraetabantur 27 omina *B*: omnia

et columen partium Abdagaeses gazam et paratus regios adicit. Vitellius ostentasse Romana arma satis ratus monet Tiridaten primoresque, hunc, *ut* Phrahatis avi, ut altoris Caesaris, quae utrubique pulchra, meminerit, illos, obsequium in regem, reverentiam in nos, decus quisque suum et fidem retinerent. Exim cum legionibus in Syriam remeavit.

Quae duabus aestatibus gesta coniunxi, quo requiesceret animus a domesticis malis: non enim Tiberium, quamquam triennio post caedem Seiani, quae ceteros mollire solent, tempus preces satias mitigabant, quin incerta vel abolita pro gravissimis et recentibus puniret. Eo metu Fulcinius Trio, ingruentis accusatores hau perpessus, supremis tabulis multa et atrocia in Macronem ac praecipuos libertorum Caesaris conposuit, ipsi fluxam senio mentem et continuo abscessu velut exilium obiectando. Quae ab heredibus occultata recitari Tiberius iussit, patientiam libertatis alienae ostentans et contemptor suae infamiae, an scelerum Seiani diu nescius mox quoquo modo dicta vulgari malebat veritatisque, cui adulatio officit, per probra saltem gnarus fieri. Isdem diebus Granius Marcianus senator, a C. Graccho maiestatis postulatus, vim vitae suae attulit; Tariusque Gratianus, praetura functus, lege eadem extremum ad supplicium damnatus est. 44 (38)

Nec dispares Trebellieni Rufi et Sextii Paconiani exitus: nam Trebellienus sua manu cecidit, Paconianus in carcere ob carmina illic in principem factitata strangulatus est. Haec Tiberius non mari, ut olim, divisus neque per longinquos nuntios accipiebat, sed urbem iuxta, eodem ut die vel noctis interiectu litteris consulum rescriberet, quasi aspiciens undantem per domos sanguinem aut manus carnificum. Fine anni Poppaeus Sabinus concessit vita, modicus originis, principum amicitia consulatum ac triumphale decus adeptus maximisque provinciis per quattuor et viginti annos inpo- 45 (39)

2 Vitellius *B* : uitellelis 3 *hunc ut : hũc *Phrahatis : phraatis et altoris *R* 4 quaeque *Neue* utrobique *B* 6 exim 9 caedaem 10 sacias 12 hau[d] 13 im 19 Istem 20 a C.] a. C *pr* (*corr* G) 22 damnatus est *Nipperdey* : dammatus 31 poppaeius

situs, nullam ob eximiam artem, sed quod par negotiis neque supra erat.

46 Quintus Plautius Sex. Papinius consules sequuntur. Eo (40) anno neque quod L. Aruseius.... morte adfecti forent, ad- p. h. 36 suetudine malorum ut atrox advertebatur, sed exterruit quod Vibulenus Agrippa, eques Romanus, cum perorassent accusatores, in ipsa curia depromptum sinu venenum hausit, prolapsusque ac moribundus festinatis lictorum manibus in carcerem raptus est, faucesque iam exanimis laqueo vexatae. Ne Tigranes quidem, Armenia quondam potitus ac tunc reus, nomine regio supplicia civium effugit. At C. Galba consularis et duo Blaesi voluntario exitu cecidere, Galba tristibus Caesaris litteris provinciam sortiri prohibitus: Blaesis sacerdotia, integra eorum domo destinata, convulsa distulerat, tunc ut vacua contulit in alios, quod signum mortis intellexere et exsecuti sunt. At Aemilia Lepida, quam iuveni Druso nuptam rettuli, crebris criminibus maritum insectata, quamquam intestabilis, tamen impunita agebat, dum superfuit pater Lepidus: post a delatoribus corripitur ob servum adulterum, nec dubitabatur de flagitio; ergo omissa defensione finem vitae sibi posuit.

47 Per idem tempus Clitarum natio, Cappadoci Archelao (41) subiecta, quia nostrum in modum deferre census, pati tributa adigebatur, in iuga Tauri montis abscessit locorumque ingenio sese contra imbelles regis copias tutabatur, donec M. Trebellius legatus, a Vitellio, praeside Syriae, cum quattuor milibus legionariorum et delectis auxiliis missus, duos collis, quos barbari insederant (minori Cadra, alteri Davara nomen est), operibus circumdedit et erumpere ausos ferro, ceteros siti ad deditionem coegit.

3 Quintus *R* : quintius plaucius 4 Aruseius.... *Doederlein* : aruseius *sententiam sic explevcrim* : neque quod L. Aruseius exul rediret neque quod eo accusante multi morte adfecti forent) 6 romanos S ma manibus 10 potitus *B* : positus 12 Blaesi *Aurelius et Freinsheim* : blaesii 13 sacerdocia 16 *at : et 18 intestabilis *B* : intestabiles 22 Clitarum *R in margine* (*ibi est* Citarum siue Clitarum natio) : cietarum nacio 23 triputa *pr* 29 *fortasse* ferro caecidit, ceteros

At Tiridates volentibus Parthis Nicephorium et Anthemusiada ceterasque urbes, quae Macedonibus sitae Graeca vocabula usurpant, Halumque et Artemitam, Parthica oppida, recepit, certantibus gaudio qui Artabanum, Scythas inter eductum, ob saevitiam exsecrati come Tiridatis ingenium Romanas per artes sperabant. Plurimum adulationis Seleucenses induere. 48
civitas potens, septa muris neque in barbarum corrupta, sed [42]
conditoris Seleuci retinens. Trecenti opibus aut sapientia delecti ut senatus, sua populo vis. Et quotiens concordes agunt, spernunt Parthum: ubi dissensere, dum sibi quisque contra aemulos subsidium vocant, accitus in partem adversum omnes valescit. Id nuper acciderat Artabano regnante, qui plebem primoribus tradidit ex suo usu: nam populi imperium iuxta libertatem, paucorum dominatio regiae libidini propior est. Tum adventantem Tiridaten extollunt veterum regum honoribus, et quos recens aetas largius invenit; simul probra in Artabanum fundebant, materna origine Arsaciden, cetera degenerem. Tiridates rem Seleucensem populo permittit. Mox consultans, quonam die sollemnia regni capesseret, litteras Phrahatis et Hieronis, qui validissimas praefecturas optinebant, accipit, brevem moram precantium. Placitumque opperiri viros praepollentis, atque interim Ctesiphon sedes imperii petita: sed ubi diem ex die prolatabant, multis coram et adprobantibus, Surena patrio more Tiridaten insigni regio evinxit. Ac si statim interiora ceterasque nationes petivisset, 49
oppressa cunctantium dubitatio et omnes in unum cedebant: [43]
adsidendo castellum, in quod pecuniam et paelices Artabanus contulerat, dedit spatium exuendi pacta. Nam Phrahates et Hiero, et si qui alii delectum capiendo diademati diem hau concelebraverant, pars metu, quidam invidia in Abdagaesen,

2 quae a *Muretus* 3 Parthica *B*: parthico 4 Artabanum *B*: arca banum (*sic*) 9 quoties 10 *spernunt Parthum: spernuntur parthus (spernitur Parthus *R*, spernuntur Parthi, sed *Weissenborn*) 11 oñs 13 blebem *pr* 17 materne 18 degenerem *B*: degenere 20 *Phrahatis: phraatis praefecturas *B*: praefecturis 22 opperiri *B*: operiri ·C· tesiphõ 23 ex die *B*: exdiem 24 tiridaten *B*: tiridan 26 dubitatione omnes *Freinsheim* 27 adsitendo 28 exsuendi *Phrahates: phraates 29 hau *Baiter*: haci (haud *Pichena*) 30 abdaesen

qui tum aula et novo rege potiebatur, ad Artabanum vertere; isque in Hyrcanis repertus est, inluvie obsitus et alimenta arcu expediens. Ac primo, tamquam dolus pararetur, territus, ubi data fides reddendae dominationi venisse, adlevat animum et quae repentina mutatio exquirit. Tum Hiero pueritiam Tiridatis increpat, neque penes Arsaciden imperium, sed inane nomen apud inbecillum externa mollitia, vim in Abdagaesis domo. Sensit vetus regnandi falsos in amore odia non
(44) fingere. Nec ultra moratus, quam dum Scytharum auxilia conciret, pergit properus et praeveniens inimicorum astus, amicorum poenitentiam; neque exuerat pedorem, ut vulgus miseratione adverteret. Non fraus, non preces, nihil omissum quo *minus* ambiguos inliceret, prompti firmarentur. Iamque multa manu propinquus Seleuciae adventabat, cum Tiridates simul fama atque ipso Artabano perculsus distrahi consiliis, iret contra an bellum cunctatione tractaret. Quibus proelium et festinati casus placebant, disiectos et longinquitate itineris fessos ne animo quidem satis ad obsequium coaluisse disserunt, proditores nuper hostesque eius, quem rursum foveant. Verum Abdagaeses regrediendum in Mesopotamiam censebat, ut amne obiecto, Armeniis interim Elymaeisque et ceteris a tergo excitis, aucti copiis socialibus et quas dux Romanus misisset, fortunam temptarent. Ea sententia valuit, quia plurima auctoritas penes Abdagaesen et Tiridates ignavus ad pericula erat. Sed fugae specie discessum; ac principio a gente Arabum facto ceteri domos abeunt vel in castra Artabani, donec Tiridates cum paucis in Syriam revectus pudore proditionis omnes exsolvit.

51 Idem annus gravi igne urbem adfecit, deusta parte
(45) circi, quae Aventino contigua, ipsoque Aventino; quod dam-

4 *adleuat : adleuatur 7 *inbecillum : inbellum *pr*, inbellem *corr vetere m.* 9 dum *R* : tum 11 poenitentiam *B* : paenitentiam exsuerat pędorem *Mediceus, sed cf.* pēdis *et* pēdiculus, pēdiculosus *et* pēdicularius, *etiam* pēdico, *quod falso scribitur* paedico *uulgus : uulgum 12 *quo minus : quo 14 *propinquus : propinqua aduentabant 15 perculsus *R* : percussus 16 p̃liũ 17 iteneris 18 opsequium *pr* 20 abdagaesis 21 elymeisque atergo 24 atpericula 25 a gente *B* : agenti 26 in castra *B* : in irastra 28 oĩs 29 adfecit *Wurm* : adficit

num Caesar ad gloriam vertit exsolutis domuum et insularum pretiis. Milies sestertium illa munificentia conlocatum, tanto acceptius in vulgus, quanto modicus privatis aedificationibus. Ne publice quidem nisi duo opera struxit, templum Augusto et scenam Pompeiani theatri; eaque perfecta, contemptu ambitionis an per senectutem, hau dedicavit. Sed aestimando cuiusque detrimento quattuor progeneri Caesaris, Cn. Domitius, Cassius Longinus, M. Vinicius, Rubellius Blandus delecti, additusque nominatione consulum P. Petronius. Et pro ingenio cuiusque quaesiti decretique in principem honores; quos omiserit receperitve, in incerto fuit ob propinquum vitae finem.

Neque enim multo post supremi Tiberio consules, Cn. Acerronius C. Pontius, magistratum occepere, nimia iam potentia Macronis, qui gratiam C. Caesaris, numquam sibi neglectam, acrius in dies fovebat, impuleratque post mortem Claudiae, quam nuptam ei rettuli, uxorem suam Enniam imitando amorem iuvenem inlicere pactoque matrimonii vincire, nihil abnuentem, dum dominationis apisceretur: nam etsi commotus ingenio, simulationum tamen falsa in sinu avi perdidicerat. Gnarum hoc principi, eoque dubitavit de tradenda re publica, primum inter nepotes, quorum Druso genitus sanguine et caritate propior, sed nondum pubertatem ingressus, Germanici filio robur iuventae, vulgi studia, eaque aput avum odii causa. Etiam de Claudio agitanti, quod is composita aetate, bonarum artium cupiens erat, imminuta mens eius obstitit. Sin extra domum successor quaereretur, ne memoria Augusti, ne nomen Caesarum in ludibria et contumelias verterent metuebat: quippe illi non perinde curae gratia praesentium quam in posteros ambitio. Mox incertus animi, fesso corpore, con-

p. Ch. 37

52 (46)

2 *illa : in (ea *B*, in ea *Baiter*, ea in *Orelli*) 3 *uulgus : uulgum 5 scenam, *alter* scene 13 21, scenam 14 15, 15 39, in scena 15 51, 16 4, scenas 15 53, scenicus 15 59; *idem* 14 20 scena, 21 scenae, 14 14 scenam, 0. 35 *est* scenam, *apud Graecos* σκηνή, *in titulis Latinis saepe* scaena 7 C·X· 8 rurellius 10 cuiusque *B* : cuius 11 omiserat *pr* 13 consules *B* : consulis C·X· 18 amorē pactoque matrimonii *B* : pactoq; M. patri monii (*sic*) uincere 20 perdidecerat 21 detradenda republica 26 arciū 28 *fuitne* ludibrium? 29 gratiae *pr*

silium, cui impar erat, fato permisit, iactis tamen vocibus per quas intellegeretur providus futurorum: namque Macroni non abdita ambage occidentem ab eo deseri, orientem *solem* spectari exprobravit. Et C. Caesari, forte orto sermone L. Sullam inridenti, omnia Sullae vitia et nullam eiusdem virtutem habiturum praedixit. Simul crebris cum lacrimis minorem ex nepotibus conplexus, truci alterius vultu, 'occides hunc tu' inquit 'et te alius.' Sed gravescente valitudine nihil e libidinibus omittebat, in patientia firmitudinem simulans, solitusque eludere medicorum artes atque eos, qui post tricesimum aetatis annum ad internoscenda corpori suo utilia vel noxia alieni consilii indigerent.

53 (47) Interim Romae futuris etiam [post Tiberium] caedibus semina iaciebantur. Laelius Balbus Acutiam, P. Vitellii quondam uxorem, maiestatis postulaverat; qua damnata cum praemium accusatori decerneretur, Iunius Otho, tribunus plebei, intercessit, unde illis odia, mox Othoni exilium. Dein multorum amoribus famosa Albucilla, cui matrimonium cum Satrio Secundo, coniurationis indice, fuerat, defertur inpietatis in principem; conectebantur ut conscii et adulteri eius Cn. Domitius, Vibius Marsus, L. Arruntius. De claritudine Domitii supra memoravi; Marsus quoque vetustis honoribus et inlustris studiis erat. Sed testium interrogationi, tormentis servorum Macronem praesedisse commentarii ad senatum missi ferebant, nullaeque in eos imperatoris litterae suspitionem dabant, invalido *eo* ac fortasse ignaro ficta pleraque ob inimicitias Macronis notas in Arruntium. Igitur

54 (48) Domitius defensionem meditans, Marsus tamquam inediam destinavisset, produxere vitam: Arruntius, cunctationem et moras suadentibus amicis, non eadem omnibus decora respondit: sibi satis aetatis, neque aliud poenitendum quam quod inter ludibria et pericula anxiam senectam toleravisset, diu Sciano, nunc Macroni, semper alicui potentium

3 *solem : *om* 5 ĩridenti 8 inquid 13 *[post Tiberium] 14 iacciebantur *pr* Laelius *B* : laetius 15 uxorim 16 Otho *B* : ortho 17 exitium *Nipperdey* 20 ·C·N· 24 praesedisse *B* : p̃sidiis se 26 *eo ac : ac 28 inaediam 31 poenitendum *B* : paenitendum 32 pericula *B* : pericularia

invisus, non culpa, sed ut flagitiorum inpatiens. Sane paucos [et suprema] principis dies posse vitari: quemadmodum evasurum imminentis iuventam? an, cum Tiberius post tantam rerum experientiam vi dominationis convulsus et mutatus sit, C. Caesarem vix finita pueritia, ignarum omnium aut pessimis innutritum, meliora capessiturum Macrone duce? qui ut deterior ad opprimendum Seianum delectus plura per scelera rem publicam conflictavisset. Prospectare iam se acrius servitium, eoque fugere simul acta et instantia. Haec vatis in modum dictitans venas resolvit. Documento sequentia erunt bene Arruntium morte usum. Albucilla inrito ictu ab semet vulnerata iussu senatus in carcerem fertur. Stuprorum eius ministri, Carsidius Sacerdos praetorius ut in insulam deportaretur, Pontius Fregellanus amitteret ordinem senatorium, et eaedem poenae in Laelium Balbum decernuntur, id quidem a laetantibus, quia Balbus truci eloquentia habebatur, promptus adversum insontes.

55 Isdem diebus Sex. Papinius, consulari familia, repentinum et informem exitum delegit, iacto in praeceps corpore.[49] Causa ad matrem referebatur, quae pridem repudiata adsentationibus atque luxu perpulisset iuvenem ad ea quorum effugium non nisi morte inveniret. Igitur accusata in senatu, quamquam genua patrum advolveretur, luctumque communem et magis inbecillum tali super casu feminarum animum aliaque in eundem dolorem maesta et miseranda diu ferret, urbe tamen in decem annos prohibita est, donec minor filius lubricum iuventae exiret.

56 Iam Tiberium corpus, iam vires, nondum dissimulatio deserebat: idem animi rigor; sermone ac vultu intentus,[50] quaesita interdum comitate quamvis manifestam defectionem tegebat. Mutatisque saepius locis tandem apud promuntorium Miseni consedit in villa, cui L. Lucullus quondam do-

2 *[et suprema]: et supma (et supremos *R*) 6 capesiturum 12 ab *Otto*: ac (a *R*) 13 Carsidius *Reinesius ex* 4 13: grasidius 14 pretorius deportaretur *R*: deportatur 15 eaedem poenae *B*: aedem paene 23 patrum *R*: patris 26 ducem 27 iuuente 28 tiberum 30 manifestam *B*: manifestum 31 sepius *promuntorium: promunturium

minus. Illic eum adpropinquare supremis tali modo compertum. Erat medicus arte insignis, nomine Charicles, non quidem regere valitudines principis solitus, consilii tamen copiam praebere. Is velut propria ad negotia digrediens et per speciem officii manum complexus pulsum venarum attigit. Neque fefellit: nam Tiberius, incertum an offensus tantoque magis iram premens, instaurari epulas iubet, discumbitque ultra solitum, quasi honori abeuntis amici tribueret. Charicles tamen labi spiritum nec ultra biduum duraturum Macroni firmavit. Inde cuncta conloquiis inter praesentes, nuntiis apud legatos et exercitus festinabantur. Septimum decimum kalendas Aprilis interclusa anima creditus est mortalitatem explevisse; et multo gratantum concursu ad capienda imperii primordia C. Caesar egrediebatur, cum repente adfertur redire Tiberio vocem ac visus, vocarique qui recreandae defectioni cibum adferrent. Pavor hinc in omnes, et ceteri passim dispergi, se quisque maestum aut nescium fingere; Caesar in silentium fixus a summa spe novissima expectabat. Macro intrepidus opprimi senem iniectu multae vestis iubet discedique ab limine. Sic Tiberius *vitam* finivit, octavo et septuagesimo aetatis anno.

57 (51) Pater ei Nero et utrimque origo gentis Claudiae, quamquam mater in Liviam et mox Iuliam familiam adoptionibus transierit. Casus prima ab infantia ancipites: nam proscriptum patrem exul secutus, ubi domum Augusti privignus introiit, multis aemulis conflictatus est, dum Marcellus et Agrippa, mox Gaius Luciusque Caesares viguere; etiam frater eius Drusus prosperiore civium amore erat. Sed maxime in lubrico egit accepta in matrimonium Iulia, inpudicitiam uxoris tolerans aut declinans. Dein Rhodo regressus vacuos principis penates duodecim annis, mox rei Romanae arbi-

2 modicus *pr* 10 presentes nunciis 11 *septimum decimum : XVII (decimoseptimo *B*, septimo decimo *Bekker*) 12 K*t* 17 nescium *prima littera erasida* 19 exspectabat 20 *uitam finiuit : finiuit (*cf.* 1 9, 2 83, 4 35, 6 3 (5 8), 14 37, 15 43; *Heinsius* : 'finiuit *pro* finitus est. — *an repetendum τὸ vitam?* finiuit uitam, *ut* 14 37 — uitam ueneno finiuit') 25 exsul 29 inpudicitiam *B* : indicitiam 31 principes

trium tribus ferme et viginti obtinuit. Morum quoque tempora illi diversa: egregium vita famaque, quoad privatus vel in imperiis sub Augusto fuit, occultum ac subdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuere; idem inter bona malaque mixtus incolumi matre; intestabilis saevitia, sed obtectis libidinibus, dum Seianum dilexit timuitve: postremo in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore et metu suo tantum ingenio utebatur.

2 quoad *B*: qua ad 5 intestabili *Heinsius* 6 obtectis *B*: obiectis



Series consulum per eos annos, quorum res a Cornelio Tacito in mediis Annalium libris narratae interciderunt.

A. V.	A. C.	
790	37	Cn. Acerronius Proculus, C. Petronius Pontius Nigrinus. Suffecti ex kalendis Iuliis C. Caesar Augustus Germanicus, septimum decimum kalendas Apriles imperium adeptus, et Tiberius Claudius qui post ad principatum pervenit.
791	38	M. Aquila Iulianus, P. Nonius Asprenas.
792	39	C. Caesar iterum, L. Apronius. Gaium consulem post triginta dies excepit Sanquinius Maximus. Suffecti Cn. Domitius Corbulo, Cn. Domitius Afer.
793	40	C. Caesar tertium sine collega usque in idus Ianuarias. Suffecti L. Gellius Poplicola, M. Cocceius Nerva.
794	41	C. Caesar quartum usque in septimum idus Ianuarias (eum excepit Quintus Pomponius Secundus), C. Sentius Saturninus.

Eo anno nonum kalendas Februarias C. Caesar imperator occisus est. Successit Tiberius Claudius, Drusi filius, frater Germanici.

Gai Caesaris res duobus Annalium libris, septimo et octavo, Tacitus composuit: unus enim tradendo quadriennio rerum gestarum et casuum non inopi haud sufficiebat: finito autem principatu Gai haud dubie etiam liber Annalium exiit. Quapropter volumen septimum atque octavum simili ambitu fuisse crediderim quo est quartus liber ac sextus.

A. V.	A C.	
795	42	Claudius Caesar iterum, C. Caecina Largus.
796	43	Claudius Caesar tertium, L. Vitellius iterum.
797	44	C. Vibius Crispus iterum, T. Statilius Taurus.
798	45	M. Vinicius iterum, T. Statilius Taurus Corvinus.
799	46	Valerius Asiaticus iterum, M. Iunius Silanus.
800	47	Claudius Caesar quartum, L. Vitellius tertium.

LIBER XI.

BREVIARIVM. C. 1—22. Annus a Christo quadragesimus septimus, imperantis Claudii septimus, temporum iniuria in hoc libro mutilus. In iis quae sunt reliqua Tacitus incipit a rebus domesticis: Valerius Asiaticus et Poppaea Sabina fraude Messalinae, Claudii uxoris, artibusque L. Vitellii evertuntur. Causa necis et his et duobus equitibus Romanis foeda et nefaria; delator saevus et continuus Suillius; princeps cuncta legum et munia magistratuum in se trahens (1—5). Advocatorum praemia coercentur (6—7). Mithridates Armeniam reciperavit; res Parthorum studiis Gotarzis et Vardanis turbatae (8—10). In urbe ludi saeculares spectati. Circensibus ludis, Claudio coram, pueri nobiles equis ludicrum Troiae ineunt, inter eos Britannicus, Claudii ex Messalina filius, et Domitius, Agrippina genitus, nepos Germanici; in hunc favor plebis. Messalinae flagitia et amor in Silium (11—12). Claudius, ignarus infamiae suae, munia censoria usurpat, populi lasciviam severis edictis increpat, saevitiam creditorum lege prohibet, aquarum fontes urbi infert, novas litterarum formas addit, de collegio haruspicum refert (13—15). Cherusci Roma regem petunt Italicum, filium Flavi, qui fuit Arminii frater. Italicus primo lactus Germanis, dein ob potentiam suspectus per secunda, per adversa res popularium afflictat (16—17). Interim Corbulo, Germaniae inferioris legatus, virtute et peritia rei militaris res Frisiorum ordinat, sed Chaucos domiturus repentino principis iussu a coeptis absistit. Triumphi tamen ornamenta accipit, item Curtius Rufus in superiore Germania (18—21). Romae eques Romanis ferro accinctus reperitur in coetu salutantium principem. Eodem anno P. Dolabella censuit spectaculum gladiatorum celebrandum pecunia eorum qui quaesturam adipiscerentur, qua occasione de origine et numero quaestorum (22).

C. 23—38. Annus a Ch. 48, imperatoris Claudii 8, qui rebus domesticis ac praecipue Messalinae flagitiis occupatur. Tacitus principis censuram pergit exequi: primores Galliae Comatae ius adipiscendorum in urbe honorum expetentes ceteros sibi iniquos, principem promptum habent; huius oratio; novi patricii asciti; lustrum conditum et censa civium capita 5,984,072 (23—25). Messalina dum Caesar Ostiam proficiscitur, Silio palam nubit, qua de re domus principis inhorruit, et Claudio flagitium proditum est opera Narcissi. Caesar in urbem reversus facinoris auctores et conscios ulciscitur (26—38). Iam liber desinit et eiusdem anni historia in subsequentem intenditur.

1 Nam Valerium Asiaticum, bis consulem, fuisse quon-
P. H. 47 dam adulterum eius credidit; pariterque hortis inhians, quos ille a Lucullo coeptos insigni magnificentia extollebat, Suillium accusandis utrisque immittit. Adiungitur Sosibius, Britannici educator, qui per speciem benivolentiae moneret Claudium cavere vim atque opes principibus infensas: praecipuum auctorem Asiaticum interficiendi C. Caesaris non ex-

1 ualerius masiaticum 2 ortis 3 alucullo ceptos 4 brittannici 6 cauere *G* : caueri (caueret *Agricola*) precipuum (*et sic saepissime in hoc et similibus*) 7 C. Caesaris *Ruperti* : cesaris

timuisse contionem populi Romani; fateri gloriamque facinoris ultro petere; clarum ex eo in urbe, diuita per provincias fama; parare iter ad Germanicos exercitus, quando genitus Viennae multisque et validis propinquitatibus subnixus turbare gentiles nationes promptum haberet. At Claudius nihil ultra scrutatus citis cum militibus tamquam opprimendo bello Crispinum, praetorii praefectum, misit, a quo repertus est apud Baias vinclisque inditis in urbem raptus. Neque data senatus copia: intra cubiculum auditur, 2 Messalina coram et Suillio corruptionem militum, quos pecunia et stupro in omne flagitium obstrictos arguebat, exin adulterium Poppaeae, postremum mollitiam corporis obiectante. Ad quod victo silentio prorupit reus et 'interroga' inquit, 'Suilli, filios tuos: virum esse me fatebuntur.' Ingressusque defensionem, commoto maiorem in modum Claudio, Messalinae quoque lacrimas excivit. Quibus abluendis cubiculo egrediens monet Vitellium, ne elabi reum sineret: ipsa ad perniciem Poppaeae festinat, subditis qui terrore carceris ad voluntariam mortem *eam* propellerent, adeo ignaro Caesare, ut paucos post dies epulantem apud se maritum eius Scipionem percontaretur, cur sine uxore discubuisset; atque ille functam fato respondet. Sed consultanti super absolutione 3 Asiatici flens Vitellius, commemorata vetustate amicitiae, utque Antoniam, principis matrem, pariter observavissent, dein percursis Asiatici in rem publicam officiis recentique adversus Britanniam militia, quaeque alia conciliandae misericordiae videbantur, liberum mortis arbitrium eius permisit; et secuta sunt Claudii verba in eandem clementiam. Hortantibus dehinc quibusdam inediam et lenem exitum, remittere beneficium Asiaticus ait; et usurpatis quibus insueverat exercitationibus, lauto corpore, hilare epulatus, cum se honestius

1 contione *G* 4 uienne. *ut mos* messaline, *et sic passim, quod, nisi ubi referre videtur, haud notabo* 5 haberet *G* : habere; 6 nichil. *etiam* michi *fere semper* tāquā 11 omne flagitium *R* : omni flagitio 12 Poppaeae *Iac. Gronovius* : poppe ac 15 maiore 18 poppee subditis *G* : subditos 19 *mortem eam : mortem 21 ad quae *fortasse* 22 *respondet : responderet 25 percursis *G* : percuri puplicā 26 brittanniam misericordiae] mīę 27 *eius : ei

calliditate Tiberii vel impetu C. Caesaris periturum dixisset, quam quod fraude muliebri et inpudico Vitellii ore caderet, venas exsolvit, viso tamen ante rogo iussoque transferri partem in aliam, ne opacitas arborum vapore ignis minueretur: tantum illi securitatis novissimae fuit.

4 Vocantur post haec patres, pergitque Suillius addere reos equites Romanos illustres, quibus Petra cognomentum. At causa necis ex eo, quod domum suam Mnesteris et Poppaeae congressibus praebuissent: verum nocturnae quietis species alteri obiecta, tamquam vidisset Claudium spicea corona evinctum, spicis retro conversis, eaque imagine gravitatem annonae praedixisset. Quidam pampineam coronam albentibus foliis visam atque ita interpretatum *eum* tradidere, vergente autumno mortem principis ostendi. Illud haud ambigitur, qualicumque insomnio ipsi fratrique perniciem allatam. Sestertium quindecies et insignia praeturae Crispino decreta. Adiecit Vitellius sestertium decies Sosibio, quod Britannicum praeceptis, Claudium consiliis iuvaret. Rogatus sententiam et Scipio, 'cum idem' inquit 'de admissis Poppaeae sentiam quod omnes, putate me idem dicere quod omnes,' eleganti temperamento inter coniugalem amorem et senatoriam necessitatem.

5 Continuus inde et saevus accusandis reis Suillius multique audaciae eius aemuli: nam cuncta legum et magistratuum munia in se trahens princeps materiam praedandi patefecerat. Nec quicquam publicae mercis tam venale fuit quam advocatorum perfidia, adeo ut .. Samius, insignis eques Romanus, quadringentis nummorum milibus Suillio datis et cognita praevaricatione, ferro in domo eius incubuerit. Igitur incipiente C. Silio, consule designato, cuius de potentia et

1 tyberii G. 4 Inaliam 5 nouissime 8 et *Acidalius* nesteris (mnesteris *vel* in nesteris *Budensis*) poppee 12 praedixisset *R*: dixisset 13 *eum: *om* 14 autūno aud *pr* 17 uitelliū brittannicum 19 Poppaeae sentiam *Puteolanus*: poppe assen essentiam 20 oñs: *non* ōs *pro* omnes 21 senetoriam *pr* 23 seuus 24 audacia *pr* 26 qequa 27 *ut .. Samius: ut samius (*fortasse* ut T. Samius 30 C] *hanc notam scribae librario codicis Mediceī alterius pro C. esse et aliis signis et liquido hinc agnoscitur quod* 13 4 Ceterum

exitio in tempore memorabo, consurgunt patres legemque Cinciam flagitant, qua cavetur antiquitus, nequis ob causam orandam pecuniam donumve accipiat. Deinde obstrepentibus 6
illis, quibus ea contumelia parabatur, discors Suillio Silius acriter incubuit, veterum oratorum exempla referens, qui famam et posteros praemia eloquentiae cogitavissent. Pulcherrimam alioquin et bonarum artium principem sordidis ministeriis foedari; ne fidem quidem integram manere, ubi magnitudo quaestuum spectetur. Quod si in nullius mercedem negotia cedant, pauciora fore: nunc inimicitias accusationes, odia et iniurias foveri, ut quomodo vis morborum pretia medentibus, sic fori tabes pecuniam advocatis ferat. Meminissent Asinii, Messalae, ac recentiorum Arruntii et Aesernini: ad summa provectos incorrupta vita et facundia. Talia dicente consule designato, consentientibus aliis, parabatur sententia, qua lege repetundarum tenerentur..., cum Suillius et Cossutianus et ceteri, qui non iudicium, quippe in manifestos, sed poenam statui videbant, circumsistunt Caesarem, ante acta deprecantes. Et postquam an- 7
nuit, ita agere incipiunt: quem illum tanta superbia esse, ut aeternitatem famae spe praesumat? usui et rebus subsidium praeparari, nequis inopia advocatorum potentibus obnoxius sit. Neque tamen eloquentiam gratuito contingere: omitti curas familiares, ut quis se alienis negotiis intendat. Multos militia, quosdam exercendo agros tolerare vitam; nihil a quoquam expeti, nisi cuius fructus ante providerit. Facile Asinium et Messalam, inter Antonium et

scribitur Ɛterum, *c.* 6 Contra *est* Ɛontra. *c.* 42 ·SƐ· pro ·SC·, *c.* 52 Ɛamerinum *pro* Camerinum *cet. Itaque hanc varietatem in* C. *nota et alibi deinceps haud notabo*) et *G*: *om* 2 ciciā 3 *ante* orandam *littera* (m?) *est erasa* 4 *illis: si his (iis *G*) Sillus 6 cogitauissent. pulcherrimam *Nipperdey*: cogitabissent pulcherrima 8 fedari 9 spectectetur 10 *negotia cedant: negotiant *cum rasura in fine* (negotiantur ꝙ, negotia eant *Gronovius*, n. fiant *Bezzenberger*, n. agantur *Heinsius*) 12 p̃tia (*sic passim*) 13 Asinii *Walther*: gali asinii arūtii 14 ꝙuectos *correctus retere m.*: p̃uectos *pr* 17 ...*cum: cum (*expleo* qui pecunias accepissent) 18 Inma manifestos 19 caesarem *superposito* claudium 20 ita agere *Weissenborn*: tacere (agere ꝙ) 22 praeparari *G*: p̃parare 25 tollerare *pr* 27 ꝙuiderit (praeuiderit *Pichena*)

Augustum bellorum praemiis refertos, aut ditium familiarum heredes Aeserninos et Arruntios magnum animum induisse. Prompta sibi exempla, quantis mercedibus P. Clodius aut C. Curio contionari soliti sint. Se, modicos senatores, quieta re publica nulla nisi pacis emolumenta petere. Cogitaret plebem, quae toga enitesceret: sublatis studiorum pretiis etiam studia peritura. Vt minus decora haec, ita haud frustra dicta princeps ratus, capiendis pecuniis posuit modum usque ad dena sestertia, quem egressi repetundarum tenerentur.

8 Sub idem tempus Mithridates, quem imperitasse Armeniis iussuque C. Caesaris vinctum memoravi, monente Claudio in regnum remeavit, fisus Pharasmanis opibus. Is rex Hiberis, idemque Mithridatis frater, nuntiabat discordare Parthos, summaque imperii ambigua, minora sine cura haberi. Nam *infensos* inter Gotarzes pleraque saeva atque necem fratri Artabano coniugique ac filio eius praeparaverat. Vnde metus eius in ceteros; et accivere Vardanen. Ille, ut erat magnis ausis promptus, biduo tria milia stadiorum invadit, ignarumque et exterritum Gotarzen proturbat; neque cunctatur quin proximas praefecturas corripiat, solis Seleucensibus dominationem eius abnuentibus. In quos, ut patris suique defectores, ira magis quam ex usu praesenti accensus, inplicatur obsidione urbis validae et munimentis obiecti amnis muroque et commeatibus firmatae. Interim Gotarzes, Daharum Hyrcanorumque opibus auctus, bellum renovat, coactusque Vardanes omittere Seleuciam Bactrianos apud campos castra

2 eserninos arrūtios 5 quieta—petere *Pichena*: q & a—peterent (qui quieta—peterent *Halm*) 6 quae *Pichena*: qua 8 posuit modum *G*: modum (modum imposuit *Otto ad* 2 69, m. statuit *Orelli*, m. fecit *Baiter*) 9 quem *Pichena*, que *pr* (quę?), quē *corr* lege repetundarum 11 mitridates 12 iussuque *Vrlichs*: et ad pse̅tiā *manus rc. in lacuna* C. Caesaris *Heinsius ad c.* 29: cesaris 13 farasmanis 14 mitridatis 16 *infensos inter: inter (Gotarzes inter pleraque s. *Doederlein*) gotharzes *h. l.* *atque: qui ([qui] *Halm*) 17 ꝑ u paraberat (properauerat *Muretus*, parauerat *Halm*) 18 metus [eius] *Acidalius* bardanen 21 dominationes c3 (3 *est* m) 22 suique *Wurm*: sui quoque 25 deharum 26 auctos

contulit. Tunc distractis Orientis viribus et quonam inclinarent incertis, casus Mithridati datus est occupandi Armeniam, vi militis Romani ad excindenda castellorum ardua, simul Hiberorum exercitu campos persultante. Nec enim restitere Armenii, fuso qui proelium ausus erat Demonacte praefecto. Paulum cunctationis attulit rex minoris Armeniae Cotys, versis illuc quibusdam procerum, dein litteris Caesaris coercitus *est;* et cuncta in Mithridaten fluxere, quamquam atrociorem quam novo regno conduceret. At Parthi imperatores cum pugnam pararent, foedus repente faciunt cognitis popularium insidiis, quas Gotarzes fratri patefecit; congressique primo cunctanter, dein complexi dextras apud altaria deum pepigere fraudem inimicorum ulcisci atque ipsi inter se concedere. Potiorque Vardanes visus retinendo regno: at Gotarzes, nequid aemulationis existeret, penitus in Hyrcaniam abiit. Regressoque Vardani deditur Seleucia septimo post defectionem anno, non sine dedecore Parthorum, quos una civitas tam diu eluserat. Exin validissimas praefecturas invisit; et recuperare Armeniam avebat, ni a Vibio Marso, Syriae legato, bellum minitante cohibitus foret. Atque interim Gotarzes poenitentia concessi regni et vocante nobilitate, cui in pace durius servitium est, contrahit copias. Et huic contra itum ad amnem Erinden; in cuius transgressu multum certato pervicit Vardanes, prosperisque proeliis medias nationes subegit ad flumen Sinden, quod Dahas Ariosque disterminat. Ibi modus rebus secundis positus: nam Parthi, quamquam victores, longinquam militiam aspernabantur. Igitur extructis monimentis, quibus opes suas testabatur nec cuiquam ante Arsacidarum tributa illis de gentibus parta, regreditur, ingens gloria atque

2 datus est] datuẽ 3 excindenda *Halm*: excidenda *Hiberorum: hibero 4 restitere *G*: resistere 7 *est; et: et 8 quamquam *Haase*: quam 10 faciunt *L*: Iaciunt (iciunt ⸗) 11 cotarzes 12 dñ 15 hyrcania mabiit *pr* 16 Vardani *L*: uardane 17 tandiu 18 Ex In inuasit *G* 19 auebat *L* (*hic* hauebat) *et Heinsius*: habeat (parabat ⸗) 20 poenitentia *Beroaldus*: penitentia 21 reuocante *G* 22 huic *G*: hinc 23 transgressū *corr* bardanes *pr* 24 p̃liis *pro more, c. ad* 1 26 27 aspernebantur *pr* estructis *pr* monimentis *L*: munimentis 28 cuiqua 29 illis degentibus parta *corr Budensis*: parata *fortasse* gloriae: *cf.* 1 69, *H.* 4 66

eo ferocior et subiectis intolerantior; qui dolo ante composito incautum venationique intentum interfecere, primam intra iuventam, sed claritudine paucos inter senum regum, si perinde amorem inter populares quam metum apud hostes quaesivisset. Nece Vardanis turbatae Parthorum res inter ambiguos, quis in regnum acciperetur. Multi ad Gotarzen inclinabant, quidam ad Meherdaten, prolem Phrahatis, obsidio nobis datum: dein praevaluit Gotarzes. Potitusque regia per saevitiam ac luxum adegit Parthos mittere ad principem Romanum occultas preces, quis permitti Meherdaten patrium ad fastigium orabant.

11 Isdem consulibus ludi saeculares octingentesimo post Romam conditam *anno*, quarto et sexagesimo quam Augustus ediderat, spectati sunt. Vtriusque principis rationes praetermitto, satis narratas *in* libris quibus res imperatoris Domitiani composui. Nam is quoque edidit ludos saeculares, iisque intentius adfui sacerdotio quindecimvirali praeditus ac tunc praetor. Quod non iactantia refero, sed quia collegio quindecimvirum antiquitus ea cura et magistratus potissimum exequebantur officia caerimoniarum. Sedente Claudio circensibus ludis, cum pueri nobiles equis ludicrum Troiae inirent, interque eos Britannicus imperatore genitus et L. Domitius, adoptione mox in mperium et cogno mentum Neronis adscitus, favor plebis acrior in Domitium loco praesagii acceptus est. Vulgabaturque adfuisse infantiae eius dracones in modum custodum, fabulosa et externis miraculis adsimilata: nam ipse, haud quaquam sui detractor, unam omnino anguem in cubiculo visam
12 narrare solitus est. Verum inclinatio populi supererat ex memoria Germanici, cuius illa reliqua suboles virilis; et matri

1 intollerantior 2 incautu *pr* 3 iuuentā (*linea a m. rc.*) Inter se umregum 5 bardanis rex 6 regnum *L* : regno agordazen 7 *Phrahatis : phraatis 8 positusque (*cf.* 6 46) regia *G* : regiā 12 saeculares, *mox* sec. roma condita *pr* 13 *anno : *om* agustus 14 espectati *erasa littera* e (*sic*) 15 *in : *om* 16 nam his hisque (*erasa* h) 17 affui *G* : affuit tun pretor 18 quindecē uirum 20 cerimoniarum 21 brittannicus 23 inperium fabor *pr* 24 acriori. domitium 26 haud quamquam

Agrippinae miseratio augebatur ob saevitiam Messalinae, quae semper infesta et tunc commotior, quo minus strueret crimina et accusatores, novo et furori proximo amore distinebatur. Nam in C. Silium, iuventutis Romanae pulcherrimum, ita exarserat, ut Iuniam Silanam, nobilem feminam, matrimonio eius exturbaret vacuoque adultero poteretur. Neque Silius flagitii aut periculi nescius erat: sed certo, si abnueret, exitio et non nulla fallendi spe, simul magnis praemiis, opperiri futura et praesentibus frui pro solacio habebat. Illa non furtim, sed multo comitatu ventitare domum, egressibus adhaerescere, largiri opes honores, postremo, velut translata iam fortuna, servi liberti paratus principis apud adulterum visebantur.

At Claudius, matrimonii sui ignarus et munia cen- 13
soria usurpans, theatralem populi lasciviam severis edictis increpuit, quod in Publium Pomponium consularem (is carmina scenae dabat) inque feminas inlustres probra iecerat. Et lege lata saevitiam creditorum coercuit, ne in mortem parentum pecunias filiis familiarum fenori darent. Fontesque aquarum Simbruinis collibus deductos urbi intulit. Ac novas litterarum formas addidit vulgavitque, comperto Graecam quoque litteraturam non simul coeptam absolutamque. Primi 14
per figuras animalium Aegyptii sensus mentis effingebant (ea antiquissima monimenta memoriae humanae inpressa saxis cernuntur), et litterarum semet inventores perhibent; inde Phoenicas, quia mari praepollebant, intulisse Graeciae gloriamque adeptos, tamquam reppererint quae acceperant. Quippe fama est Cadmum, classe Phoenicum vectum, rudibus adhuc Graecorum populis artis eius auctorem fuisse. Quidam Cecropem Atheniensem vel Linum Thebanum, et temporibus Troianis Palamedem Argivum memorant sedecim litterarum formas, mox alios, ac praecipue Simoniden ceteras

4 G 8 opperiri *Beroaldus*: operiri (operire *Nipperdey*) 12 adulterum *Puteolanus*: alterum *supersor.* filiū 13 censioria 15 his *erasa* h 16 inquit feminas *pr* 17 mortem *L*: morte 18 fenori] *v. ad* 3 40 19 Simbruinis *R*: sub Inbruinis (ab Simbr. *Iac. Gronovius*) urbis *pr* 20 cōperto Graecam quoque *L*: quoque graecam 21 ceptam 23 ea *L*: et 25 greciae, *mox* grecorum 27 fenicum *immo* aduectum 29 cęcrope matheniensem 30 palamede margiuum 31 *praecipue: praecipuū

repperisse. At in Italia Etrusci ab Corinthio Demarato, Aborigenes Arcade ab Evandro didicerunt; et formae litteris Latinis quae veterrimis Graecorum. Sed nobis quoque paucae primum fuere, deinde additae sunt. Quo exemplo Claudius tres litteras adiecit, quae usui imperitante eo, post obliteratae, aspiciuntur etiam nunc in aere publico [dis plebiscitis] per fora ac templa fixo. Rettulit deinde ad senatum super collegio haruspicum, ne vetustissima Italiae disciplina per desidiam exolesceret: saepe adversis rei publicae temporibus accitos, quorum monitu redintegratas caerimonias et in posterum rectius habitas; primoresque Etruriae sponte aut patrum Romanorum inpulsu retinuisse scientiam et in familias propagasse; quod nunc segnius fieri publica circa bonas artes socordia, et quia externae superstitiones valescant: et laeta quidem in praesens omnia, sed benignitati deum gratiam referendam, ne ritus sacrorum inter ambigua culti per prospera obliterarentur. Factum ex eo senatus consultum, viderent pontifices quae retinenda firmandaque haruspicum.

16 Eodem anno Cheruscorum gens regem Romae petivit, amissis per interna bella nobilibus et uno reliquo stirpis regiae, qui apud urbem habebatur, nomine Italicus. Paternum huic genus e Flavo, fratre Arminii, mater ex Actumero, principe Chattorum, erat; ipse forma decorus, et armis equisque in patrium nostrumque morem exercitus. Igitur Caesar auctum pecunia, additis stipatoribus, hortatur gentile decus magno animo capessere: illum primum Romae ortum nec obsidem, sed civem ire externum ad imperium. Ac primo laetus Germanis adventus, atque eo, quod nullis discordiis

2 Aborigines Archade *Puteolanus* : aboriginib; arcades formae *G* : formas 6 publico [dis plebiscitis] *Nipperdey* : publico. dis plebiscitis 7 retulit 10 accitos *Vrsinus* : accitis cerimonias (*sic*) 19 aruspicum (h *a m. vetere;* retinendae firmandaeque haruspicinae *Nipperdey*) 20 Roma *R* 21 ammissis 22 italus, *mox* italico *et* italicum 23 armenii Actumero *nunc, mox* catumero; *cf. Müllenhoff in Diurnis antiq. Germ. VIIII p.* 223 *sq.* 24 cattorum (*Medicei prioris scripturam dedi, quam alibi etiam alter praebet*) 26 auctum *G* : augustus (s *finale ex correct.*)

inbutus pari in omnes studio ageret, celebrari coli, modo comitatem et temperantiam, nulli invisa, saepius vinulentiam ac libidines, grata barbaris, usurpans. Iamque apud proximos, iam longius clarescere, cum potentiam eius suspectantes qui factionibus floruerant discedunt ad conterminos populos, ac testificantur adimi veterem Germaniae libertatem et Romanas opes insurgere. Adeo neminem isdem in terris ortum, qui principem locum impleat, nisi exploratoris Flavi progenies super cunctos attollatur? Frustra Arminium praescribi: cuius si filius, hostili in solo adultus, in regnum venisset, posse extimesci, infectum alimonio servitio cultu, omnibus externis: at si paterna Italico mens esset, non alium infensius arma contra patriam ac deos penates quam parentem eius exercuisse. His atque talibus magnas copias coegere; 17 nec pauciores Italicum sequebantur: non enim irrupisse ad invitos, sed accitum memorabat. Quando nobilitate ceteros anteiret, virtutem experirentur, an dignum se patruo Arminio, avo Actumero praeberet. Nec patrem rubori, quod fidem adversus Romanos volentibus Germanis sumptam numquam omisisset. Falso libertatis vocabulum obtendi ab his, qui privatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei nisi per discordias habeant. Adstrepebat huic alacre vulgus; et magno inter barbaros proelio victor rex, dein secunda fortuna ad superbiam prolapsus pulsusque, ac rursus Langobardorum opibus refectus, per laeta per adversa res Cheruscas afflictabat.

Per idem tempus Chauci, nulla dissensione domi, et 18 morte Sanquinii alacres, dum Corbulo adventat, inferiorem Germaniam incursavere duce Gannasco, qui natione Canninefas, auxiliaris et diu meritus, post transfuga, levibus na-

1 oñs 2 inuisam *G* uinulentiam 8 *Flaui : flabii 9 super] *P* (*eadem nota c.* 28 (superesset) *et* 38) 10 uenisset, posse extimesci *R* : uenisse posse. Testimesci (uenisset, posset extim. *B*) 12 at *margo* : ac 13 parentēs 16 memorabat *G* : memorabant ceteros ante iret 20 iis *s* 22 alecre *pr* 23 ut inter *L* de In 25 *fortasse* Cheruscorum 27 nulla *G* : mlha 28 mortes anquinii alacrex *pr* 29 caninefas (cani nefas *G*) 30 auxiliaris et diu meritus *Puteolanus* : auxiliare ex diu meritis (ex *a correctore;* auxiliare aes diu meritus *Mercerus*)

vigiis praedabundus Gallorum maxime oram vastabat, non ignarus dites et inbelles esse. At Corbulo provinciam ingressus magna cum cura, et mox gloria, cui principium illa militia fuit, triremes alveo Rheni, ceteras navium, ut quaeque habiles, per aestuaria et fossas adegit; luntribusque hostium depressis et exturbato Gannasco, ubi praesentia satis composita sunt, legiones operum et laboris ignavas, populationibus laetantes, veterem ad morem reduxit, nequis agmine decederet nec pugnam nisi iussus iniret. Stationes vigiliae, diurna nocturnaque munia in armis agitabantur. Feruntque militem, quia vallum non accinctus, atque alium, quia pugione tantum accinctus foderet, morte punitos. Quae nimia, et incertum an falso iacta, originem tamen e severitate ducis traxere; intentumque et magnis delictis inexorabilem scias, cui tantum
19 asperitatis etiam adversus levia credebatur. Ceterum is terror milites hostesque in diversum affecit: nos virtutem auximus, barbari ferociam infregere. Et natio Frisiorum, post rebellionem clade L. Apronii coeptam infensa aut male fida, datis obsidibus consedit apud agros a Corbulone descriptos: idem senatus magistratus leges inposuit. Ac ne iussa exuerent, praesidium immunivit, missis qui maiores Chaucos ad deditionem pellicerent, simul Gannascum dolo adgrederentur. Nec irritae aut degeneres insidiae fuere adversus transfugam et violatorem fidei. Sed caede eius motae Chaucorum mentes, et Corbulo semina rebellionis praebebat, ut laeta apud plerosque, ita apud quosdam in *urbe* sinistra fama. Cur hostem conciret? adversa in rem publicam casura: sin prospere egisset, formidolosum paci virum insignem et ignavo principi praegravem. Igitur Claudius adeo novam in Germanias vim prohibuit, ut referri praesidia cis Rhenum
20 iuberet. Iam castra in hostili solo molienti Corbuloni eae litterae redduntur. Ille re subita, quamquam multa simul

4 reni 5 lintribusque *G* 7 ignaras *Puteolanus* 10 milites *pr* 13 iacta *R* : acta tracxere 14 delectis 17 aucximus 18 ceptam 19 corbolone 20 senatum *Puteolanus* 21 immunibit *pr* 22 cauchos, *mox* caucorum 26 *in urbe sinistra : Insinistra 27 rē (*sic*) puplica casura : sin prospere *Mercerus* : casuras Inprospere 29 ignabo 32 quāquā

offunderentur, metus ex imperatore, contemptio ex barbaris, ludibrium apud socios, nihil aliud prolocutus quam beatos quondam duces Romanos, signum receptui dedit. Vt tamen miles otium exueret, inter Mosam Rhenumque trium et viginti milium spatio fossam perduxit, qua incerta Oceani vitarentur. Insignia tamen triumphi indulsit Caesar, quamvis bellum negavisset.

Nec multo post Curtius Rufus eundem honorem adipiscitur, qui in agro Mattiaco recluserat specus quaerendis venis argenti; unde tenuis fructus nec in longum fuit: at legionibus cum damno labor, effodere rivos, quaeque in aperto gravia, humum infra moliri. Quis subactus miles, et quia plures per provincias similia tolerabantur, componit occultas litteras nomine exercituum, precantium imperatorem ut, quibus permissurus esset exercitus, triumphalia ante tribueret. De origine Curtii Rufi, quem gladiatore genitum quidam 21
prodidere, neque falsa prompserim et vera exequi pudet. Postquam adolevit, sectator quaestoris cui Africa obtigerat, dum in oppido Adrumeto vacuis per medium diei porticibus secretus agitat, oblata ei species muliebris ultra modum humanum, et audita est vox 'tu es, Rufe, qui in hanc provinciam pro consule venies.' Tali omine in spem sublatus degressusque *est* in urbem; et largitione amicorum, simul acri ingenio quaesturam, et mox nobiles inter candidatos praeturam principis suffragio assequitur, cum hisce verbis Tiberius dedecus natalium eius velavisset: 'Curtius Rufus videtur mihi ex se natus.' Longa post haec senecta, et adversus superiores tristi adulatione, arrogans minoribus, inter pares difficilis, consulare imperium, triumphi insignia ac postremo Africam obtinuit; atque ibi defunctus fatale praesagium implevit.

Interea Romae, nullis palam neque cognitis mox causis, 22

1 offundarentur inperatore 3 quondam *L* : quosdam ut ϛ : ui 5 perduxit *G* : p̄duxit uitarentur *Vertranius* : uetarentur 6 insigni[a] 8 *malim* apiscitur 9 mathiaco 11 effodere *R* : et fodere riuos (u *in rasura*) 17 exeequi 22 spe3 (*sic*) 23 digressusque *G*, regressusque *Haase* *est : *om* urbem ϛ : urbe 27 exe[s]

Cn. Nonius, eques Romanus, ferro accinctus reperitur in coetu salutantum principem. Nam postquam tormentis dilaniabatur, de se non *cunctanter confessus* conscios non edidit, incertum an occultans.

Isdem consulibus P. Dolabella censuit spectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum pecunia eorum qui quaesturam adipiscerentur. Apud maiores virtutis id praemium fuerat, cunctisque civium, si bonis artibus fiderent, licitum petere magistratus; ac ne aetas quidem distinguebatur, quin prima iuventa consulatum et dictaturas inirent. Sed quaestores regibus etiam tum imperantibus instituti sunt, quod lex curiata ostendit ab L. Bruto repetita. Mansitque consulibus potestas deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret. Creatique primum Valerius Potitus et Aemilius Mamercus sexagesimo tertio anno post Tarquinios exactos, ut rem militarem comitarentur. Dein gliscentibus negotiis duo additi, qui Romae curarent: mox duplicatus numerus, stipendiaria iam Italia et accedentibus provinciarum vectigalibus: post lege Sullae viginti creati supplendo senatui, cui iudicia tradiderat. Et quamquam equites iudicia reciperavissent, quaestura tamen ex dignitate candidatorum aut facilitate tribuentium gratuito concedebatur, donec sententia Dolabellae velut venundaretur.

23 A. Vitellio L. Vipstano consulibus cum de supplendo
P. Ch. senatu agitaretur, primoresque Galliae, quae Comata appella-
48 tur, foedera et civitatem Romanam pridem assecuti, ius adipiscendorum in urbe honorum expeterent, multus ea super re variusque rumor. Et studiis diversis apud principem certabatur asseverantium non adeo aegram Italiam ut senatum suppeditare urbi suae nequiret. Suffecisse olim indigenas,

1 ·ε N· roman' (is (?) *eraso*) repperitur 2 eętu 3 *non cunctanter confessus (= non cūctāt̄ cfess;) : nom *ante lacunam* 13 *litterarum* (non infitiatus *Iac. Gronovius*) 5 cōs. censui^{t} 6 om̄s 7 *malim* apiscerentur sit^{id} 10 quin] q *In* 14 Potitus *L* : potus 16 De In 19 lege *G* : legē suillę 20 receperauissent^{u} 24 Vipstano *Chr. Ad. Rupertus* (*v. Th. Reinesii ad D. Casp. Hoffmannum, Chr. Ad. Rupertum Epistolae, Lips.* 1660) *epist.* 48 *p.* 441 *sq.* : uipsana cōs. 27 ea] *in fine rasura est* 29 asseuerantium] (*prius* s *in fine versus ascriptum*)

consanguineis populis, nec poenitere veteris rei publicae. Quin adhuc memorari exempla quae priscis moribus ad virtutem et gloriam Romana indoles prodiderit. An parum quod Veneti et Insubres curiam inruperint, nisi coetu alienigenarum velut captivitas inferatur? Quem ultra honorem residuis nobilium, aut siquis pauper e Latio senator foret? oppleturos omnia divites illos, quorum avi proavique hostilium nationum duces exercitus nostros ferro vique ceciderint, divum Iulium apud Alesiam obsederint. Recentia haec: quid? si memoria eorum oreretur, qui *conspicante* Capitolio et arce Romana manibus eorundem prostrati sint? Fruerentur sane vocabulo civitatis: insignia patrum, decora magistratuum ne vulgarentur. His atque talibus haud permotus princeps et statim 24
contra disseruit et vocato senatu ita exorsus est: 'maiores mei, quorum antiquissimus Clausus origine Sabina simul in civitatem Romanam et in familias patriciorum adscitus est, hortantur uti paribus consiliis *ad* rem publicam capessendam, transferendo huc quod usquam egregium fuerit. Neque enim ignoro Iulios Alba, Coruncanios Camerio, Porcios Tusculo, et ne vetera scrutemur, *multos* Etruria Lucaniaque et omni Italia in senatum accitos, postremo ipsam ad Alpes promotam, ut non modo singuli viritim, sed terrae, gentes in nomen nostrum coalescerent. Tunc solida domi quies et adversus externa floruimus, cum Transpadani in civitatem recepti, cum specie deductarum per orbem terrae legionum, additis provincialium validissimis, fesso imperio subventum est. Num poenitet Balbos ex Hispania nec minus insignes viros e Gallia Narbonensi transivisse? Manent posteri eorum nec amore in hanc patriam nobis concedunt. Quid aliud exitio Lacedaemoniis et

1 consanguines (es *in rasura*) poenitere *B* : penitere 4 *coetu : coetus 5 uelud 6 senator, fore? *Acidalius* 10 oreretur *Bach et Bezzenberger* : moreretur *conspicante Capitolio : capitolio arce *Acidalius* : ara 11 *prostrati sint : p se satis 12 uulgarentur *Pluygers* : uulgarent 17 *ad rem publicam capessendam : rem publica capessenda (3 *fortasse rc. manu, ante* rem *rasura;* in re publica capessenda *Halm*, rem publicam capessam *G*) 18 usquā (*nota a rc. manu*) 20 *multos Etruria : etruria 25 prouincilium 26 poenitet *B* : penitet 29 lacedemoniis

Atheniensibus fuit, quamquam armis pollerent, nisi quod victos pro alienigenis arcebant? At conditor nostri Romulus tantum sapientia valuit, ut plerosque populos eodem die hostes, dein cives habuerit. Advenae in nos regnaverunt: libertinorum filiis magistratus mandare non, ut plerique fal- luntur, repens, sed priori populo factitatum est. At cum Senonibus pugnavimus: scilicet Vulsci et Aequi numquam adversam nobis aciem instruxere. Capti a Gallis sumus: sed et Tuscis obsides dedimus et Samnitium iugum subivimus. Attamen, si cuncta bella recenseas, nullum breviore spatio quam adversus Gallos confectum: continua inde ac fida pax. Iam moribus artibus affinitatibus nostris mixti aurum et opes suas inferant potius quam separati habeant. Omnia, patres conscripti, quae nunc vetustissima creduntur, nova fuere: plebei magistratus post patricios, Latini post plebeios, cete- rarum Italiae gentium post Latinos. Inveterascet hoc quoque, et quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit.'

Orationem principis secuto patrum consulto primi Aedui senatorum in urbe ius adepti sunt. Datum id foederi antiquo, et quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano usurpant.

Isdem diebus in numerum patriciorum ascivit Caesar vetustissimum quemque e senatu aut quibus clari parentes fuerant, paucis iam reliquis familiarum, quas Romulus maiorum et L. Brutus minorum gentium appellaverant, exhaustis etiam quas dictator Caesar lege Cassia et princeps Augustus lege Saenia sublegere; laetaque haec in rem publicam munia multo gaudio censoris inibantur. Famosos probris quonam modo senatu depelleret anxius, mitem et recens repertam quam ex severitate prisca rationem adhibuit, monendo secum quisque de se consultaret peteretque ius exuendi ordinis:

1 quanquã *pro more posthac haud relato; ego prioris Medicei formam dedi* 2 nostri] nr̃i (noster *L*) 5 *mandare : mandaret (mandari *L*) 7 nulsi^{c} nunquam, *et sic persaepe* 9 subiuimus *G* : subim; *pr* (subiimus *Orelli*) ac tamen *Halm* 13 patres conscripti] pc̃. 15 cęterarum 19 fęderi 20 ·P̃R· 26 dictor 27 Saenia *L* : senia ·RP· 31 exuendi *L* : exeundi

facilem eius rei veniam. Et motos senatu excusatosque simul propositurum, ut iudicium censorum ac pudor sponte cedentium permixta ignominiam mollirent. Ob ea Vipstanus consul rettulit patrem senatus appellandum esse Claudium: quippe promiscum patris patriae cognomentum; nova in rem publicam merita non usitatis vocabulis honoranda: sed ipse cohibuit consulem ut nimium adsentantem. Condiditque lustrum, quo censa sunt civium quinquagies novies *centum milia*, octoginta quattuor *milia*, septuaginta duo. Isque illi finis inscitiae erga domum suam fuit: haud multo post flagitia uxoris noscere ac punire adactus est, ut deinde ardesceret in nuptias incestas.

Iam Messalina, facilitate adulteriorum in fastidium versa, ad incognitas libidines profluebat, cum abrumpi dissimulationem etiam Silius, sive fatali vecordia, an imminentium periculorum remedium ipsa pericula ratus, urguebat: quippe non eo ventum, ut senectam principis opperirentur. Insontibus innoxia consilia, flagitii manifestis subsidium ab audacia petendum. Adesse conscios paria metuentes. Se caelibem orbum, nuptiis et adoptando Britannico paratum. Mansuram eandem Messalinae potentiam, addita securitate, si praevenirent Claudium, ut insidiis incautum, ita irae properum. Segniter eae voces acceptae, non amore in maritum, sed ne Silius summa adeptus sperneret adulteram, scelusque inter ancipitia probatum veris mox pretiis aestimaret. Nomen tamen matrimonii concupivit ob magnitudinem infamiae, cuius apud prodigos novissima voluptas est. Nec ultra expectato quam dum sacrificii gratia Claudius Ostiam pro- 26

3 *permixta : permixti Vipstanus *Ryck* : uipsanius 5 rem P 8 *quinquagies nouies centum milia, octoginta quattuor milia, septuaginta duo : LVIIII. LXXXIIII. LXXII. (quinquagiens nongenta octoginta q. m. s. d. *Halm*, quinquagiens nouiens centena (*s.* centum), octoginta quattuor milia, septuaginta duo *Baiter*) 11 est *Nipperdey* : *om* 13 adulteriorum *ed. princeps* : adulterorum 14 abrupi 17 senectam *G* : senecta opperirentur *G* : opperiretur 18 flagitii *Acidalius* : flagitiis 19 paria *Puteolanus* : patrĩ 20 brittannico 21 messaline potentia 22 incautu^{s} (*nota a rc. m.*) 26 magnitudine 27 ult^{a} exp. (*syllaba* ex *corr*) 28 hostiam

27 ficisceretur, cuncta nuptiarum sollemnia celebrat. Haud sum ignarus fabulosum visum iri tantum ullis mortalium securitatis fuisse in civitate omnium gnara et nihil reticente, nedum consulem designatum cum uxore principis, praedicta die, adhibitis qui obsignarent, velut suscipiendorum liberorum causa convenisse, atque illam audisse auspicum verba, subscripsisse, sacrificasse apud deos; discubitum inter convivas, oscula complexus, noctem denique actam licentia coniugali. Sed nihil compositum miraculi causa, verum audita
28 scriptaque senioribus tradam. Igitur domus principis inhorruerat, maximeque quos penes potentia et, si res verterentur, formido, non iam secretis colloquiis, sed aperte fremere, dum histrio *in* cubiculum principis exultaverit, dedecus quidem illatum, sed excidium procul afuisse: nunc iuvenem nobilem, dignitate formae, vi mentis, ac propinquo consulatu maiorem ad spem adcingi: nec enim occultum, quid post tale matrimonium superesset. Subibat sine dubio metus reputantes hebetem Claudium et uxori devinctum, multasque mortes iussu Messalinae patratas: rursus ipsa facilitas imperatoris fiduciam dabat, si atrocitate criminis praevaluissent, posse opprimi damnatam ante quam ream: sed in eo discrimen verti, si defensio audiretur, utque clausae aures etiam
29 confitenti forent. Ac primo Callistus, iam mihi circa necem C. Caesaris narratus, et Appianae caedis molitor Narcissus, flagrantissimaque eo in tempore gratia Pallas agitavere, num Messalinam secretis minis depellerent amore Silii, cuncta alia dissimulantes. Dein metu, ne ad perniciem ultro traherentur, desistunt, Pallas per ignaviam, Callistus *ut* prioris quoque regiae peritus, et potentiam cautis quam acribus consiliis tutius habere *certus*. Perstitit Narcissus; ac solum id immutans,

1 cęlebrat 2 tanto nullis 7 *subscripsisse : subisse discubitu 11 uerterentur *G* : ueterentur 13 *histrio in : histruo *exultauerit : exultabero (cubiculum exsultauerit = ἐξορχήσαιτο *Gronovius*, cub. insultauerit *Bipontina*. c. persultauerit *Heinsius*) 14 excidium ς : et scidium afuisse *Orelli* : affuisse 15 formae *L* : forma 18 deuinctı³ (3 *rc. m.*) 21 damnatā (*nota m. rc.*) 24 C. *Faernus* : *om.* appiane cedis 27 ultro *G* : ultra 28 *ut prioris : prioris 30 *habere certus : habere *pr*, haberi *corr* *ac : ut (et ς, at *Iac. Gronovius*, set *Halm*)

ne quo sermone praesciam criminis et accusatoris faceret, ipse ad occasiones intentus, longa apud Ostiam Caesaris mora, duas paelices, quarum is corpori maxime insueverat, largitione ac promissis, et uxore deiecta plus potentiae ostentando, perpulit delationem subire. Exim Calpurnia (id paelici nomen), 30
ubi datum secretum, genibus Caesaris provoluta nupsisse Messalinam Silio exclamat. Simul *Claudius* Cleopatram, quae idem opperiens adstabat, an comperisset interrogat, atque illa annuente cieri Narcissum postulat. Is veniam in praeteritum petens, quod ei cis Vettios, Plautios dissimulavisset, nec nunc adulteria obiecturum ait, nedum servitia et ceteros fortunae paratus reposceret. Frueretur immo his, set redderet uxorem, rumperetque tabulas nuptiales. 'An discidium' inquit 'tuum nosti? nam matrimonium Silii vidit populus et senatus et miles, ac ni propere agis, tenet urbem maritus.' Tum potissimos amicorum vocat, primumque rei frumen- 31
tariae praefectum Turranium, post Lusium Getam, praetorianis inpositum, percunctatur. Quis fatentibus certatim ceteri circumstrepunt, iret in castra, firmaret praetorias cohortes, securitati ante quam vindictae consuleret. Satis constat eo pavore offusum Claudium, ut identidem interrogaret, an ipse imperii potens, an Silius privatus esset. At Messalina non alias solutior luxu, adulto autumno simulacrum vindemiae per domum celebrabat. Vrgeri prela, fluere lacus; et feminae pellibus accinctae adsultabant ut sacrificantes vel insanientes Bacchae; ipsa crine fluxo thyrsum quatiens, iuxtaque Silius hedera vinctus, gerere cothurnos, iacere caput, strepente circum procaci choro. Ferunt Vettium Valentem, lascivia in praealtam arborem conisum, interrogantibus

1 nequo accusatoris ς : accusatores 2 hostiam 3 pelices, *mox* pelici 4 potentia eos tēptando perpulit *Puteolanus* : pculit 5 exim *pr*, exin *corr* 7 *Claudius : *om* 10 *cis Vettios, Plautios : cis uetꝭcis plautio (cis Vectium, cis Plautium *L*, cis Vectios, cis Plautios *Gronovius*, Titios, Vectios, Plautios *Brotier*, Vettios Plautios *Nipperdey*) dimulauisset 11 *nedum : nedomū 12 sed *Acidalius* : et 16 potissimos *Mercerus et Acidalius* : potissimum (potissimum quemque *Agricola* 18 Inpostum quis *superp.* quibus certatim *Puteolanus* : certiū 19 cęteri 23 autūno 24 pla 25 sacrificantes uel *delenda censebat Muretus* 27 iuxta quę coturnos capud 29 cōnisum

quid aspiceret, respondisse tempestatem ab Ostia atrocem, sive coeperat ea species, seu forte lapsa vox in praesagium
32 vertit. Non rumor interea, sed undique nuntii incedunt, qui gnara Claudio cuncta et venire promptum ultioni afferrent. Igitur Messalina Lucullianos in hortos, Silius dissimulando metum ad munia fori digrediuntur. Ceteris passim dilabentibus adfuere centuriones, inditaque sunt vincla, ut quis reperiebatur in publico aut per latebras. Messalina tamen, quamquam res adversae consilium eximerent, ire obviam et aspici a marito, quod saepe subsidium habuerat, haud segniter intendit, misitque ut Britannicus et Octavia in complexum patris pergerent. Et Vibidiam, virginum Vestalium vetustissimam, oravit pontificis maximi aures adire, clementiam expetere. Atque interim, tribus omnino comitantibus (id repente solitudinis erat) spatium urbis pedibus emensa, vehiculo, quo purgamenta hortorum excipiuntur, Ostiensem viam intrat, nulla cuiusquam misericordia, quia flagitiorum deformitas praeva-
33 lebat. Trepidabatur nihilo minus a Caesare: quippe Getae, praetorii praefecto, haud satis fidebant, ad honesta seu prava iuxta levi. Ergo Narcissus, adsumptis quibus idem metus, non aliam spem incolumitatis Caesaris affirmat, quam si ius militum uno illo die in aliquem libertorum transferret, seque offert suscepturum. Ac ne, dum in urbem [refertur] vehitur, ad poenitentiam a L. Vitellio et Largo Caecina mutaretur,
34 in eodem gestamine sedem poscit assumiturque. Crebra post haec fama fuit, inter diversas principis voces, cum modo incusaret flagitia uxoris, aliquando ad memoriam coniugii et infantiam liberorum revolveretur, non aliud prolocutum Vitellium quam 'o facinus! o scelus!' instabat qui-

1 hostia 2 lapsa *G* : lassa 4 afferent *pr* 5 Luculliānos *B* : fucilianos 6 metū (*Baiter notam secundae manui attribuit*) 7 reppe-
s
riebatur 9 eximerent *pr* 11 misitque *Halm* : misique brittannicus 13 pontifici audire *pr* 16 excipiuntur *Heinsius* : eripiuntur hostiensem 17 cuiusq; (quoiusquam *G*) 18 acesare 19 fidebat *G* 23 *[refertur] uehitur : refertur uehitur (uehitur *Puteolanus*; refertur *Baiter*, reuehitur *Orelli*) 24 poenitentiam *B* : penitentiam et *Nipperdey* : ·P· (et P. *Brotier*) 25 assumiturque *Walther* : assumitque 28 infantium *Nipperdey*

offunderentur, metus ex imperatore, contemptio ex barbaris, ludibrium apud socios, nihil aliud prolocutus quam beatos quondam duces Romanos, signum receptui dedit. Vt tamen miles otium exueret, inter Mosam Rhenumque trium et viginti milium spatio fossam perduxit, qua incerta Oceani vitarentur. Insignia tamen triumphi indulsit Caesar, quamvis bellum negavisset.

Nec multo post Curtius Rufus eundem honorem adipiscitur, qui in agro Mattiaco recluserat specus quaerendis venis argenti; unde tenuis fructus nec in longum fuit: at legionibus cum damno labor, effodere rivos, quaeque in aperto gravia, humum infra moliri. Quis subactus miles, et quia plures per provincias similia tolerabantur, componit occultas litteras nomine exercituum, precantium imperatorem ut, quibus permissurus esset exercitus, triumphalia ante tribueret. De origine Curtii Rufi, quem gladiatore genitum quidam 21
prodidere, neque falsa prompserim et vera exequi pudet. Postquam adolevit, sectator quaestoris cui Africa obtigerat, dum in oppido Adrumeto vacuis per medium diei porticibus secretus agitat, oblata ei species muliebris ultra modum humanum, et audita est vox 'tu es, Rufe, qui in hanc provinciam pro consule venies.' Tali omine in spem sublatus degressusque *est* in urbem; et largitione amicorum, simul acri ingenio quaesturam, et mox nobiles inter candidatos praeturam principis suffragio assequitur, cum hisce verbis Tiberius dedecus natalium eius velavisset: 'Curtius Rufus videtur mihi ex se natus.' Longa post haec senecta, et adversus superiores tristi adulatione, arrogans minoribus, inter pares difficilis, consulare imperium, triumphi insignia ac postremo Africam obtinuit; atque ibi defunctus fatale praesagium implevit.

Interea Romae, nullis palam neque cognitis mox causis, 22

1 offundarentur inperatore 3 quondam *L* : quosdam ut ꝯ : ui
5 perduxit *G* : p̄duxit uitarentur *Vertranius* : uetarentur 6 insigni[a]
8 *malim* apiscitur 9 mathiaco 11 effodere *R* : et fodere riuos
(u *in rasura*) 17 exeequi 22 spe3 (*sic*) 23 digressusque *G*, regressusque *Haase* *est : *om* urbem ꝯ : urbe 27 exe[s]

Cn. Nonius, eques Romanus, ferro accinctus reperitur in coetu salutantum principem. Nam postquam tormentis dilaniabatur, de se non *cunctanter confessus* conscios non edidit, incertum an occultans.

Isdem consulibus P. Dolabella censuit spectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum pecunia eorum qui quaesturam adipiscerentur. Apud maiores virtutis id praemium fuerat, cunctisque civium, si bonis artibus fiderent, licitum petere magistratus; ac ne aetas quidem distinguebatur, quin prima iuventa consulatum et dictaturas inirent. Sed quaestores regibus etiam tum imperantibus instituti sunt, quod lex curiata ostendit ab L. Bruto repetita. Mansitque consulibus potestas deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret. Creatique primum Valerius Potitus et Aemilius Mamercus sexagesimo tertio anno post Tarquinios exactos, ut rem militarem comitarentur. Dein gliscentibus negotiis duo additi, qui Romae curarent: mox duplicatus numerus, stipendiaria iam Italia et accedentibus provinciarum vectigalibus: post lege Sullae viginti creati supplendo senatui, cui iudicia tradiderat. Et quamquam equites iudicia reciperavissent, quaestura tamen ex dignitate candidatorum aut facilitate tribuentium gratuito concedebatur, donec sententia Dolabellae velut venundaretur.

23 P. Ch. 48 A. Vitellio L. Vipstano consulibus cum de supplendo senatu agitaretur, primoresque Galliae, quae Comata appellatur, foedera et civitatem Romanam pridem assecuti, ius adipiscendorum in urbe honorum expeterent, multus ea super re variusque rumor. Et studiis diversis apud principem certabatur asseverantium non adeo aegram Italiam ut senatum suppeditare urbi suae nequiret. Suffecisse olim indigenas,

1 ·ℓ N· roman' (is (?) *eraso*) repperitur 2 eętu 3 *non cunctanter confessus (= non cūctāt cfess;) : nom *ante lacunam* 13 *litterarum* (non infitiatus *Iac. Gronovius*) 5 cōs. censui 6 oms 7 *malim* apiscerentur sit 10 quin] q *In* 14 Potitus *L* : potus 16 De In 19 lege *G* : legē suillę 20 receperauissent 24 Vipstano *Chr. Ad. Rupertus (v. Th. Reinesii ad D. Casp. Hoffmannum, Chr. Ad. Rupertum Epistolae, Lips.* 1660) *epist.* 48 *p.* 441 *sq.* : uipsana cōs. 27 ea] *in fine rasura est* 29 asseuerantium] (*prius* s *in fine versus ascriptum*)

dem Narcissus aperire ambages et veri copiam facere: sed non ideo pervicit, quin suspensa et quo ducerentur inclinatura responderet, exemploque eius Largus Caecina uteretur. Et iam erat in aspectu Messalina, clamitabatque audiret Octaviae et Britannici matrem, cum obstreperet accusator, Silium et nuptias referens; simul codicillos libidinum indices tradidit, quis visus Caesaris averteret. Nec multo post urbem ingredienti offerebantur communes liberi, nisi Narcissus amoveri eos iussisset. Vibidiam depellere nequivit, quin multa cum invidia flagitaret, ne indefensa coniux exitio daretur. Igitur auditurum principem et fore diluendi criminis facultatem respondit: iret interim virgo et sacra capesseret. Mirum inter haec silentium Claudii, Vitellius ignaro propior: omnia liberto obediebant. Patefieri domum adulteri atque illuc deduci imperatorem iubet. Ac primum in vestibulo effigiem patris Silii consulto senatus abolitam demonstrat, tum quicquid avitum Neronibus et Drusis, in pretium probri cessisse. Incensumque et ad minas erumpentem castris infert, parata contione militum; apud quos praemonente Narcisso pauca verba fecit: nam etsi iustum dolorem pudor impediebat. Continuus dehinc cohortium clamor nomina reorum et poenas flagitantium; admotusque Silius tribunali non defensionem, non moras temptavit, precatus ut mors acceleraretur. Eadem constantia et illustres equites Romani [cupido maturae necis fuit].. *Cotta ac.. Fabius;* et Titium Proculum, custodem a Silio Messalinae datum et indicium offerentem, Vettium Valentem confessum, et Pompeium Vrbicum ac Saufeium Trogum ex consciis trahi ad supplicium iubet. Decrius quoque Calpurnianus, vigilum praefectus, Sulpicius Rufus, ludi procurator, Iuncus Vergilianus senator eadem

4 etiam 5 obstrepere *Acidalius* 7 qs 9 quin multa *G*: quid multa? 10 coniux 12 respondit] R*y* capesceret 13 claudii, uitellius *G*: claudi iulius 17 auitum *Fuernus*: habitum 22 pœnas 24 *equites Romani [cupido maturae necis fuit].. Cotta ac.. Fabius: equites romani cupido mature necis fuit (equites Romani. [cupido maturae necis fuit] *Nipperdey*, equites Romanos cupidos maturae necis fecit *G*, equites Romani cupidi maturae necis fuerunt *Haase*) 28 Saufeium *L*: saufelū trahi R: tradi 29 uigilum *G*: uigilium 30 ūgilianus

36 poena adfecti. Solus Mnester cunctationem attulit, dilaniata veste clamitans, aspiceret verberum notas, reminisceretur vocis, qua se obnoxium iussis Messalinae dedisset: aliis largitione aut spei magnitudine, sibi ex necessitate culpam; nec cuiquam ante pereundum fuisse, si Silius rerum poteretur. Commotum his et pronum ad misericordiam Caesarem perpulere liberti, ne tot illustribus viris interfectis histrioni consuleretur: sponte an coactus tam magna peccavisset, nihil referre. Ne Trauli quidem Montani, equitis Romani, defensio recepta est. Is modesta iuventa, sed corpore insigni, accitus ultro noctemque intra unam a Messalina proturbatus erat, paribus lasciviis ad cupidinem et fastidia. Suillio Caesonino et Plautio Laterano mors remittitur, huic ob patrui egregium meritum: Caesonnius vitiis protectus est, tamquam in illo foedissimo
37 coetu passus muliebria. Interim Messalina Lucullianis in hortis prolatare vitam, componere preces, nonnulla spe et aliquando ira[: tantum inter extrema superbia egebat]. Ac ni caedem eius Narcissus properavisset, verterat pernicies in accusatorem. Nam Claudius domum regressus et tempestivis epulis delenitus, ubi vino incaluit, iri iubet nuntiarique miserae (hoc enim verbo usum ferunt) dicendam ad causam postera die adesset. Quod ubi auditum (et languescere ira, redire amor, ac, si cunctarentur, propinqua nox et uxorii cubiculi memoria timebantur), prorumpit Narcissus denuntiatque centurionibus et tribuno, qui aderat, exequi caedem: ita imperatorem iubere. Custos et exactor e libertis Euodus datur. Isque raptim in hortos praegressus repperit fusam humi, assidente matre Lepida, quae florenti filiae haud concors supremis eius necessitatibus ad miserationem evicta erat, suadebatque ne percussorem opperiretur: transisse vitam neque aliud quam morti decus quaerendum. Sed animo per libidines corrupto nihil honestum inerat; lacrimaeque et questus irriti duce-

1 p̣ena 5 cuiquā (- *rc. m.*) 12 suilio cesonino 13 gregium
15 cętu Lucullianis *Frobeniana* : lucilianis ortis 17 *[tantum—egebat] : tantum — egebat (tantum — superbiae gerebat *Bezzenberger*)
26 exauctor 27 Inortos p̄gressus (*lineola videtur a correctore,* progressus *G*) 28 eius : eius

bantur, cum impetu venientium impulsae fores astititque tribunus per silentium, at libertus increpans multis et servilibus probris. Tunc primum fortunam suam introspexit ferrumque 38
accepit, quod frustra iugulo aut pectori per trepidationem admovens ictu tribuni transigitur. Corpus matri concessum. Nuntiatumque Claudio epulanti perisse Messalinam, non distincto sua an aliena manu. Nec ille quaesivit, poposcitque poculum et solita convivio celebravit. Ne secutis quidem diebus odii gaudii, irae tristitiae, ullius denique humani affectus signa dedit, non cum laetantes accusatores aspiceret, non cum filios maerentes. Iuvitque oblivionem eius senatus censendo nomen et effigies privatis ac publicis locis demovendas. Decreta Narcisso quaestoria insignia, levissimum fastidio eius, cum supra Pallantem et Callistum ageret. [Honesta quidem, sed ex quis deterrima orerentur tristitiis multis].

1 impulsae *Heinsius*: pulsae 13 fastidio *Ernesti*: fastidii 14 *ageret. [Honesta—multis]: ageret. honesta quidem. sed exqs deterrima orerentu tristitiis multis CORNELII TACITI LIBER VNDECIM; EXP. INCIP. XII.

LIBER XII.

BREVIARIVM. C. 1—4. Anni a Ch. quadragesimi octavi menses duo postremi. Claudius caelibis vitae intolerans et coniugum imperiis obnoxius circumspicit uxorem. Eam ob rem liberti certant, nec minore ambitu feminae exardescunt. Agrippina praelata ceteris maiora struit, nuptiasque Domitii, filii sui, et Octaviae, filiae principis, molitur. Ideo L. Silanus, sponsus Octaviae, senatorio ordine remotus et spe sua deiectus est.

C. 5—24. Annus a Ch. 49, Claudii principis 9. Pactum inter Claudium et Agrippinam matrimonium orante Vitellio a patribus expostulatur, decretumque ut coniugia cum fratrum filiabus iusta in posterum haberentur. Nuptiae celebratae, Silanus mortem sibi consciscit. Agrippinae mores et artes (5—8). Oratur Claudius despondere Octaviam Domitio, qui Britannico iam aequatur matris studiis et arte eorum, qui ob interfectam Messalinam ultionem ex eius filio timebant (9). Parthi Meherdaten regem sibi a patribus postulant et principem propitium sibi inveniunt. Datum C. Cassio deducere regem ad Euphraten. Meherdates parum prompte in regnum remeando superatur a Gotarze, tum dolo clientis traditur victori, qui contumeliose increpitum decisis auribus vivere iubet. Gotarzi qui morbo obiit successit Vonones, huic post breve et inglorium imperium filius Vologeses (10—14). Mithridates Bosporanus, Bospori regnum et Cotyn regem a Claudio impositum invasurus, repellitur a Cotye Romanisque et Aorsis, ac nullo in armis subsidio, Eunonis, Aorsorum regis, fidem implorat. Qui supplicem benigne suscipit et salutem ei apud Claudium impetrat (15—21). Sed in urbe Agrippina Lolliam, paulo ante aemulam, evertit, item Calpurniam, feminam illustrem, cuius formam princeps laudaverat. Galliae Narbonensi datum ut senatoribus eius provinciae liceret res suas invisere venia ab imperatore non petita. Ituraei et Iudaei Syriae additi. Salutis augurium, 75 annis omissum, repeti ac dein continuari placitum. Pomerium urbis auxit Caesar; qui ante auxerint et quos Romulus pomerii terminos posuerit (22—24).

C. 25—40. Annus a Chr. 50, Claudii principis 10. Adoptio in Domitium auctoritate Pallantis liberti festinata, rogataque lex qua in familiam Claudiam et nomen Neronis Domitius transiret. Agrippina augetur cognomento Augustae; misera Britannici fortuna. In oppidum Vbiorum colonia deducta; cui nomen inditum ex Agrippinae vocabulo (25—27). In superiore Germania trepidatum adventu Chaucorum, qui repressi opera Pomponii legati (27—28). Vannius, Suevis olim a Druso Caesare impositus, pellitur; regnum Vangio ac Sido inter se partivere (29—30). Ostorii adversus Britanniae populos res prosperae; domiti Silures et rex Caratacus post grave proelium ad Cartimandum reginam fugiens Romanis traditur, missus in urbem benigne excipitur. Novae adversus Siluras pugnae post amissum regem acriter coortos, et Ostorius taedio curarum fessus vita concedit (31—39). Didius, novus legatus, celeriter adveniens pellit Siluras iam late persultantes, Venutium, e Brigantum civitate, fundit bellumque componit (40).

C. 41—51. Annus a Ch. 51, Claudii principis 11. Agrippina ad altiora nititur, maturata virili toga Neroni, desolato Britannico et fidis ministris orbato, Burro cohortibus praetoriis praeposito; ipsa Capitolium carpento ingreditur, propugnatorem suum Vitellium prompte tuetur (41—42). Vrbs terretur prodigiis et frugum egestate (43). Eodem anno bellum inter Armenios Hiberosque exortum, illiganturque Parthi ac Romani. Radamistus,

filius Pharasmanis Hiberi, Mithridatem, Armeniae regem, fraude circumventum exercitu et fallaciis oppugnat, mox interficit (44—47). Quadratus, Syriae rector, de ultione deliberat, sed frustra; Paelignus, Cappadociae procurator, Armeniam reciperaturus Radamistum ultro hortatur sumere regium insigne. Sed Radamistum pellit Vologeses Parthorum viribus, dein redit Radamistus et a subiectis obsequium rumpentibus eicitur, coniux eius ad Tiridatem, fratrem Vologesis et tunc Armeniae regem, deducitur (48—51).

C. 52—57. Annus a Chr. 52, Claudii imperatoris 12. Furius Scribonianus in exilium agitur, et per eam occasionem de mathematicis pellendis factum senatus consultum; statuitur de poena feminarum quae servis coniungerentur, Pallanti liberto honores decreti et laudes (52—53). Frater eius Felix Iudaeos in bellum et seditionem accendit; qui compositi a Quadrato, Syriae praeside (54). Agrestes Cilices rebellantes rex eius orae Antiochus ad obsequium reducit (55). Eodem anno lacus Fucinus emissus, sed incuria operis manifesta fuit, unde Agrippinae et Narcissi altercationes (56—57).

C. 58—63. Annus a Chr. 53, principatus Claudii 13. Nero Octaviam in matrimonium accipit, studiis honestis enitescit suscepta Iliensium causa et Bononiensium; Rhodiis libertas reddita; interim Claudius saevissima quaeque promere ab Agrippina adigitur (58—59). Procuratorum in provinciis auctoritas stabilita, Cois immunitas concessa, Byzantiis tributa in quinquennium remissa (60—63).

C. 64—69. Anni a Ch. quinquagesimi quarti menses novem primi, Claudio supremi. Mutatio rerum in deterius cognita crebris prodigiis. Lepidae, amitae Neronis, mors indicta Agrippinae artibus, adversante Narcisso; huius liberae voces et in Agrippinam comminationes, sed adversa valetudine correptus Sinuessam pergit (61—66). Interim Agrippina Caesarem veneno tollit (66—67). Neronem ad imperium promovet (68—69).

Caede Messalinae convulsa *est* principis domus, orto 1
apud libertos certamine, quis deligeret uxorem Claudio, caelibis vitae intoleranti et coniugum imperiis obnoxio. Nec minore ambitu feminae exarserant, *quin* suam quaeque nobi-
5 litatem formam opes contenderet ac digna tanto matrimonio ostentaret. Sed maxime ambigebatur inter Lolliam Paulinam, *neptem* M. Lollii consularis, et Iuliam Agrippinam Germanico genitam: huic Pallas, illi Callistus fautores aderant; at Aelia Paetina, e familia Tuberonum, Narcisso fovebatur. Ipse huc
10 modo, modo illuc, ut quemque suadentium audierat, promptus, discordantes in consilium vocat ac promere sententiam et adicere rationes iubet. Narcissus vetus matrimonium, fa- 2
miliam communem (nam Antonia ex Paetina erat), nihil in

1 EDE MESSALINE, (*sic*) *est : *om* 3 intoleranti *Muretus* : intonanti Imperiis Imperatoriis 4 *quin suam : suam 5 contendere—ostentare *G*, cum contenderet—ostentaret *Weissenborn* digna *ed. princeps* : digna[3] (*nota Baitero ab altera manu addita videtur*) 7 *neptem : *om* germinico[a] 8 calistus 10 quenq; 13 petina (*paulo ante* paetina)

penatibus eius novum disserebat, si sueta coniux rediret, haud quaquam novercalibus odiis visura Britannicum *et* Octaviam, proxima suis pignora. Callistus inprobatam longo discidio ac, si rursum adsumeretur, eo ipso superbam; longeque rectius Lolliam induci; quando nullos liberos genuisset, vacuam aemulatione et privignis parentis loco futuram. At Pallas id maxime in Agrippina laudare, quod Germanici nepotem secum traheret, dignum prorsus imperatoria fortuna. Stirpem nobilem et familiae Claudiae [quae] posteros coniungeret, ne femina experta fecunditatis, integra iuventa, 3 claritudinem Caesarum aliam in domum ferret. Praevaluere haec adiuta Agrippinae inlecebris; ad eum per speciem necessitudinis crebro ventitando pellicit patruum, ut praelata ceteris et nondum uxor potentia uxoria iam uteretur. Nam ubi sui matrimonii certa fuit, struere maiora nuptiasque Domitii, quem ex Cn. Ahenobarbo genuerat, et Octaviae, Caesaris filiae, moliri; quod sine scelere perpetrari non poterat, quia L. Silano desponderat Octaviam Caesar, iuvenemque et alia clarum insigni triumphalium et gladiatorii muneris magnificentia protulerat ad studia vulgi. Sed nihil arduum videbatur in animo principis, cui non iudicium, non odium erat nisi 4 indita et iussa. Igitur Vitellius, nomine censoris serviles fallacias obtegens ingruentiumque dominationum provisor, quo gratiam Agrippinae pararet, consiliis eius implicari, ferre crimina in Silanum, cuius sane decora et procax soror, Iunia Calvina, haud multum ante Vitellii nurus fuerat. Hinc initium accusationis; fratrumque non incestum, sed incustoditum amorem ad infamiam traxit. Et praebebat Caesar aures, accipiendis adversus generum suspitionibus caritate filiae promptior. At Silanus, insidiarum nescius ac forte eo anno praetor, re-

1 Impenalibus coniux 2 haud quaqua *pr* brittannicum et octauiam *G*: octabiam 4 discidio ς: dissidio superba *pr* 5 lollia 9 Claudiae [quae] *Acidalius*: claudiae quae (Iuliae Claudiaeque *Freinsheim*) 10 expertae ς 12 quae ad *ed. princeps* 14 pontentia 16 ℈N· henobarbo 19 alia (s *rc. m.*) 24 serere *Puteolanus* 25 cuius *ed. princeps*: cui 26 caluina *G*: galuina multo *Halm* 27 frmq; incęstum 29 suspicionibus (*v. ad* 2 73)

pente per edictum Vitellii ordine senatorio movetur, quamquam lecto pridem senatu lustroque condito. Simul affinitatem Claudius diremit, adactusque Silanus eiurare magistratum, et reliquus praeturae dies in Eprium Marcellum collatus est.

C. Pompeio Q. Veranio consulibus pactum inter Clau- 5
dium et Agrippinam matrimonium iam fama, iam amore il- P. Ch. 49
licito firmabatur; necdum celebrare sollemnia nuptiarum audebant, nullo exemplo deductae in domum patrui fratris filiae: quin et incestum ac, si sperneretur, ne in malum publicum erumperet, metuebant. Nec ante omissa cunctatio quam Vitellius suis artibus id perpetrandum sumpsit. Percunctatusque Caesarem an iussis populi, an auctoritati senatus cederet, ubi ille unum se civium et consensui imparem respondit, operiri intra Palatium iubet. Ipse curiam ingreditur, summamque rem publicam agi obtestans veniam dicendi ante alios exposcit orditurque: gravissimos principis labores, quis orbem terrae capessat, egere adminiculis, ut domestica cura vacuus in commune consulat. Quod porro honestius censoriae mentis levamentum quam assumere coniugem, prosperis dubiisque sociam, cui cogitationes intimas, cui parvos liberos tradat, non luxui aut voluptatibus adsuefactus, sed qui prima ab iuventa legibus obtemperavisset. Postquam haec 6
favorabili oratione praemisit multaque patrum assentatio sequebatur, capto rursus initio, quando maritandum principem cuncti suaderent, deligi oportere feminam nobilitate puerperiis sanctimonia insignem. Nec diu anquirendum quin Agrippina claritudine generis anteiret; datum ab ea fecunditatis experimentum, et congruere artes honestas. Id vero egregium, quod provisu deum vidua iungeretur principi sua tantum matrimonia experto. Audivisse a parentibus, vidisse ipsos abripi coniuges ad libita Caesarum: procul id a praesenti modestia. Statueretur immo documentum, quo uxorem

3 e Iurare magistratu 5 Q̃. uerania cõs. 6 agrippinã (nota *a rc. m.*) 7 sollempnia 8 filiae *Pichena*: filia *cum rasura* 10 *metuebant: metuebant (metuebatur *vulgo*) 14 summamque R P 17 capescat *pr* 19 leuamentum quam *Victorius et Petersen*: leuam̃ unquã 27 *fortasse* ea et 31 *abripi: arripi

imperator *a patribus* acciperet. At enim nova nobis in fratrum filias coniugia: sed aliis gentibus sollemnia, neque lege ulla prohibita; et consobrinarum diu ignorata tempore addito percrebuisse. Morem accommodari prout conducat, et
7 fore hoc quoque in iis quae mox usurpentur. Haud defuere qui certatim, si cunctaretur Caesar, vi acturos *se* testificantes erumperent curia. Conglobatur promisca multitudo populumque Romanum eadem orare clamitat. Nec Claudius ultra expectato obvius apud forum praebet se gratantibus, senatumque ingressus decretum postulat, quo iustae inter patruos fratrumque filias nuptiae etiam in posterum statuerentur. Nec tamen repertus est nisi unus talis matrimonii cupitor, Alledius Severus, eques Romanus, quem plerique Agrippinae gratia inpulsum ferebant. Versa ex eo civitas et cuncta feminae obediebant, non per lasciviam, ut Messalina, rebus Romanis illudenti. Adductum et quasi virile servitium: palam severitas ac saepius superbia; nihil domi inpudicum, nisi dominationi expediret. Cupido auri inmensa obtentum habebat, quasi subsidium regno pararetur. Die nuptiarum Silanus mortem sibi conscivit, sive eo usque spem vitae produxerat, seu delecto die augendam ad invidiam. Calvina, soror eius, Italia pulsa est. Addidit Claudius sacra ex legibus Tulli regis, piaculaque apud lucum Dianae per pontifices danda, irridentibus cunctis, quod poenae procurationesque incesti id temporis exquirerentur. At Agrippina, ne malis tantum facinoribus notesceret, veniam exilii pro Annaeo Seneca, simul praeturam impetrat, laetum in publicum rata ob claritudinem studiorum eius, utque Domitii pueritia tali magistro adolesceret, et consiliis eiusdem ad spem dominationis uteretur, quia Seneca fidus in Agrippinam memoria beneficii et infensus Claudio dolore iniuriae
9 credebatur. Placitum dehinc non ultra cunctari, sed designa-

1 *imperator a patribus acciperet : imperator| ..... acciperet *cum spatio septem litterarum* 2 sollempnia 3 *consobrinarum : sobriuarum 4 pcrebuisse (percrebruisse *B*) 5 in iis *G* : Inhis 6 *acturos se : acturos 7 promisca 12 recepturus (*in marg.* repertus) 13 *Alledius : talledius (T. Alledius *L*) 25 at agrippina *G* : ad agrippinę 27 anneo ptura 30 uteretur *G* : uterentur

tum consulem Memmium Pollionem ingentibus promissis inducunt sententiam expromere, qua oraretur Claudius despondere Octaviam Domitio; quod aetati utriusque non absurdum et maiora patefacturum erat. Pollio haud disparibus verbis ac nuper Vitellius censet; despondeturque Octavia, ac super priorem necessitudinem sponsus iam et gener Domitius aequari Britannico studiis matris, arte eorum quis ob accusatam Messalinam ultio ex filio timebatur.

Per idem tempus legati Parthorum ad expetendum, ut 10
rettuli, Meherdaten missi senatum ingrediuntur, mandataque in hunc modum incipiunt: non se foederis ignaros, nec defectione a familia Arsacidarum venire, sed...filium Vononis, nepotem Prahatis, accedere adversus dominationem Gotarzis nobilitati plebique iuxta intolerandam. Iam fratres, iam propinquos, iam longius sitos caedibus exhaustos; adici coniuges gravidas, liberos parvos, dum socors domi, bellis infaustus ignaviam saevitia tegat. Veterem sibi ac publice coeptam nobiscum amicitiam, et subveniendum sociis virium aemulis cedentibusque per reverentiam. Ideo regum obsides liberos dari ut, si domestici imperii taedeat, sit regressus ad principem patresque, quorum moribus assuefactus rex melior adsciscetur. Vbi haec atque talia dissertavere, incipit ora- 11
tionem Caesar de fastigio Romano Parthorumque obsequiis: seque divo Augusto adaequabat, petitum ab eo regem referens, omissa Tiberii memoria, quamquam is quoque miserat. Addidit praecepta (etenim aderat Meherdates), ut non dominationem et servos, sed rectorem et cives cogitaret clementiamque ac iustitiam, quanto ignota barbaris, tanto laetiora capesseret. Hinc versus ad legatos extollit laudibus alumnum urbis, spectatae ad id modestiae: ac tamen ferenda regum ingenia, neque usui crebras mutationes.

7 quis ob *G*: q̣ sub 8 uitio 10 retuli 11 federis 12 *sed...et: sed et (*expleo* sed Romanum ad principem et) 13 *Phrahatis: praatis 14 intolleranda (tolerandam *G*) 16 socros (socors *in marg. ab eadem m.*) 18 cęptam 24 aũg 27 domitionem cogitaret *G*: c̃citaret 28 ignota ς: ignata (ignara *alii*) 29 laetiora *Vrsinus*: toleratiora (gratiora *Freinsheim*) capesceret

Rem Romanam huc satietate gloriae provectam, ut externis quoque gentibus quietem velit. Datum posthac C. Cassio, qui Suriae praeerat, deducere iuvenem ripam ad Euphratis.
12 Ea tempestate Cassius ceteros praeminebat peritia legum: nam militares artes per otium ignotae, industriosque aut ignavos pax in aequo tenet. Ac tamen quantum sine bello dabatur, revocare priscum morem, exercitare legiones, cura provisu perinde agere ac si hostis ingrueret: ita dignum maioribus suis et familia Cassia *et gloria*, per illas quoque gentes celebrata. Igitur excitis quorum de sententia petitus rex, positisque castris apud Zeugma, unde maxime pervius amnis, postquam illustres Parthi rexque Arabum Acbarus advenerant, monet Meherdaten, barbarorum impetus acres cunctatione languescere aut in perfidiam mutari: ita urgueret coepta. Quod spretum fraude Acbari, qui iuvenem ignarum et summam fortunam in luxu ratum multos per dies attinuit apud oppidum Edessam. Et vocante Carrene promptasque res ostentante, si citi advenissent, non comminus Mesopotamiam, sed flexu Armeniam petivere, id temporis inportunam, quia hiemps occi-
13 piebat. Exim nivibus et montibus fessi, postquam campos propinquarant, copiis Carrenis adiunguntur, tramissoque amne Tigri permeant Adiabenos, quorum rex Izates societatem Meherdatis palam induerat, in Gotarzen per occulta et magis fida inclinabat. Sed capta in transitu urbs Ninos, vetustissima sedes Assyriae, castellumque insigne fama, quod postremo inter Darium atque Alexandrum proelio Persarum illic opes conciderant. Interea Gotarzes apud montem cui nomen Sanbulos vota dis loci suscipiebat, praecipua religione Herculi,

3 eufratis 4 p̃minebat 9 *Cassia et gloria per : cassia.....per (*spatium octo litterarum; ratus supersc. a recentiore manu*) 10 petitus *G* : peritus 12 *aduenerant : aduenerat 14 cepta 16 ratu 17 Carrene] carene, *mox* (c. 13) carrenis, *tum* (c. 14) carenem 19 *petiuere : petiuit (petunt *L*) 20 campis *G* 21 *propinquarant : propinquabant 22 tramissoque Izates *Freinsheim ex Iosephi Antiq.* 20 2 *et* 3 : Iuliates societate 25 *castellumque : castello (et Arbela castellum *Agricola*, et castellum *L*) 27 gortarzes 28 praecipuę Herculi] Herculis *editi veteres et Nipperdey, sed dativus pendet ex nomine* religione

qui tempore stato per quietem monet sacerdotes, ut templum iuxta equos venatui adornatos sistant. Equi ubi faretras telis onustas accepere, per saltus vagi nocte demum vacuis faretris multo cum anhelitu redeunt. Rursum deus, qua silvas pererraverit, nocturno visu demonstrat, reperiunturque fusae passim ferae. Ceterum Gotarzes, nondum satis aucto exercitu, 14
flumine Corma pro munimento uti, et quamquam per insectationes et nuntios ad proelium vocaretur, nectere moras, locos mutare et missis corruptoribus exuendam ad fidem hostes emercari. Ex quis Izates Adiabenus *suo*, mox Acbarus Arabum cum exercitu abscedunt, levitate gentili, et quia experimentis cognitum est barbaros malle Roma petere reges quam habere. At Meherdates validis auxiliis nudatus, ceterorum proditione suspecta, quod unum reliquum, rem in casum dare proelioque experiri statuit. Nec detrectavit pugnam Gotarzes deminutis hostibus ferox; concursumque magna caede et ambiguo eventu, donec Carrenem, profligatis obversis longius evectum, integer a tergo globus circumveniret. Tum omni spe perdita Meherdates, promissa Parracis, paterni clientis, secutus, dolo eius vincitur traditurque victori. Atque ille non propinquum neque Arsacis de gente, sed alienigenam et Romanum increpans, auribus decisis vivere iubet, ostentui clementiae suae et in nos dehonestamento. Dein Gotarzes morbo obiit, accitusque in regnum Vonones, Medos tum praesidens. Nulla huic prospera aut adversa quis memoraretur: brevi et inglorio imperio perfunctus est, resque Parthorum in filium eius Vologesen translatae.

At Mithridates Bosporanus, amissis opibus vagus, post- 15
quam Didium, ducem Romanum, roburque exercitus abisse cognoverat, relictos in novo regno Cotyn, iuventa rudem, et paucas cohortium cum Iulio Aquila, equite Romano, spretis utrisque concire nationes, illicere perfugas; postremo exer-

5 pererraberit *pr* repperiunturque 7 quā *pr* 9 mutaret *pr* 10 Izates *Freinsheim*: ezates *Adiabenus suo: adiabenus (Adiabenum *Haase, sed opus esset* Adiabenorum) abbarus (c. 12 *idem* acbarus *et* acbari) 12 peteres reges quam haberet *pr* 24 Medis *G* 26 rexque *pr* 27 uologese 28 mitridates bosphoranus ammissis (*idem mox* bosporum 30 coty (n *a m. rc. superp.*)

citu coacto regem Dandaridarum exturbat imperioque eius potitur. Quae ubi cognita, et iam iamque Bosporum invasurus habebatur, diffisi propriis viribus Aquila et Cotys, quia Zorsines, Siracorum rex, hostilia resumpserat, externas et ipsi gratias quaesivere missis legatis ad Eunonen, qui Aorsorum genti praecellebat. Nec fuit in arduo societas potentiam Romanam adversus rebellem Mithridaten ostentantibus. Igitur pepigere, equestribus proeliis Eunones certaret, obsidia urbium
16 Romani capesserent. Tunc composito agmine incedunt, cuius frontem et terga Aorsi, media cohortes et Bosporani tutabantur nostris in armis. Sic pulsus hostis, ventumque Sozam, oppidum Dandaricae, quod desertum a Mithridate ob ambiguos popularium animos optineri relicto ibi praesidio visum. Exim in Siracos pergunt, et transgressi amnem Pandam circumveniunt urbem Vspen, editam loco et moenibus ac fossis munitam, nisi quod moenia non saxo sed cratibus et vimentis ac media humo adversum inrumpentes invalida erant; eductaeque altius turres facibus atque hastis turbabant obsessos. Ac ni proelium nox diremisset, coepta patrataque expugnatio
17 eundem intra diem foret. Postero misere legatos, veniam liberis corporibus orantes: servitii decem milia offerebant. Quod aspernati sunt victores. Quia trucidare deditos saevum, tantam multitudinem custodia cingere arduum, *placitum* ut belli potius iure caderent, datumque militibus, qui scalis evaserant, signum caedis. Excidio Vspensium metus ceteris iniectus, nihil tutum ratis, cum arma munimenta, impediti vel eminentes loci, amnesque et urbes iuxta perrumperentur. Igitur Zorsines, diu pensitato, Mithridatisne rebus extremis an patrio regno consuleret, postquam praevaluit gentilis utilitas, datis obsidibus apud effigiem Caesaris procubuit, magna gloria exercitus Romani, quem incruentum et victorem tri-

3 diffisi *Pichena* : diffisis 4 Siracorum *L* : syracusorum 5 eunone Aorsorum *L* : aduorso$\overline{24}$, *et sic deinceps* 9 capescerent agminę 12 dandarice mitridate 14 seracos 16 gratibus et uim̄tis 17 educta eque *pr* 19 dirimisset cepta 20 postero *L* : postremo 22 uictores. Quia] uictores, quia *vulgo* 23 *placitum ut : ut (ut *om Ernesti*) 25 cęteris 27 perrumperentur *R* : perrumpentur 28 mitridatisne

dui itinere afuisse ab amne Tanai constitit. Sed in regressu dispar fortuna fuit, quia navium quasdam, quae mari remeabant, in litora Taurorum delatas circumvenere barbari, praefecto cohortis et plerisque auxiliarium interfectis. In- 18
terea Mithridates, nullo in armis subsidio, consultat, cuius misericordiam experiretur. Frater Cotys, proditor olim, deinde hostis, metuebatur: Romanorum nemo id auctoritatis aderat, ut promissa eius magni penderentur. Ad Eunonen convertit, propriis odiis non infensum et recens coniuncta nobiscum amicitia validum. Igitur cultu vultuque quam maxime ad praesentem fortunam comparato, regiam ingreditur genibusque eius provolutus 'Mithridates' inquit 'terra marique Romanis per tot annos quaesitus sponte adsum: utere, ut voles, prole magni Achaemenis, quod mihi solum hostes non abstulerunt.' At Eunones claritudine viri, mutatione rerum 19
et prece haud degeneri permotus, adlevat supplicem laudatque quod gentem Aorsorum, quod suam dextram petendae veniae delegerit. Simul legatos litterasque ad Caesarem in hunc modum mittit: populi Romani imperatoribus, magnarum nationum regibus primum ex similitudine fortunae amicitiam, sibi et Claudio etiam communionem victoriae esse. Bellorum egregios fines, quotiens ignoscendo transigatur: sic Zorsini victo nihil ereptum. Pro Mithridate, quando gravius mereretur, non potentiam neque regnum precari, sed ne triumpharetur neve poenas capite expenderet. At 20
Claudius, quamquam nobilitatibus externis mitis, dubitavit tamen, accipere captivum pacto salutis an repetere armis rectius foret. Hinc dolor iniuriarum et libido vindictae adigebat: sed disserebatur contra suscipi bellum avio itinere, inportuoso mari; ad hoc reges feroces, vagos populos, solum frugum egenum, taedium ex mora, pericula ex properantia, modicam victoribus laudem ac multum infamiae, si pel-

1 aufuisse 2 *fortasse* quae mari Pontico remeabant (quippe — rem. *Nipperdey*) 4 auxiliarium *L*: consiliarium 8 adeunonen 9 non *Agricola*: *om* 14 achemenis 15 abstulẽ 17 aduorsorum 19 PIR 20 *primum: primam similitude *pr* 25 pœnas 28 huc *L* 31 egenum *Agricola*: egentum

lerentur. Quin arriperet oblata et servaret exulem, cui inopi quanto longiorem vitam, tanto plus supplicii fore. His permotus scripsit Eunoni, meritum quidem novissima exempla Mithridaten, nec sibi vim ad exequendum deesse: verum ita maioribus placitum, quanta pervicacia in hostem, tanta beneficentia adversus supplices utendum: nam triumphos de po-
21 pulis regnisque integris acquiri. Traditus posthac Mithridates vectusque Romam per Iunium Cilonem, procuratorem Ponti, ferocius quam pro fortuna disseruisse apud Caesarem ferebatur, elataque vox eius in vulgus hisce verbis 'non sum remissus ad te, sed reversus: vel si non credis, dimitte et quaere.' Vultu quoque interrito permansit, cum Rostra iuxta custodibus circumdatus visui populo praeberetur. Consularia insignia Ciloni, Aquilae praetoria decernuntur.

22 Isdem consulibus atrox odii Agrippina ac Lolliae infensa, quod secum de matrimonio principis certavisset, molitur crimina et accusatorem, qui obiceret Chaldaeos, magos, interrogatumque Apollinis Clarii simulacrum super nuptiis imperatoris. Exim Claudius inaudita rea, multa de claritudine eius apud senatum praefatus, sorore L. Volusii genitam, maiorem ei patruum Cottam Messalinum esse, Memmio quondam Regulo nuptam (nam de C. Caesaris nuptiis consulto reticebat), addidit pernutiosa in rem publicam consilia, et materiem sceleri detrahendam: proin publicatis bonis cederet Italia. Ita quinquagies sestertium ex opibus inmensis exuli relictum. Et Calpurnia, illustris femina, pervertitur, quia formam eius laudaverat princeps, nulla libidine, sed fortuito sermone, unde ira Agrippinae citra ultima stetit. In Lolliam mittitur tribunus, a quo ad mortem adigeretur. Damnatus et lege repetundarum Cadius Rufus accusantibus
23 Bithynis. Galliae Narbonensi ob egregiam in patres reverentiam datum, ut senatoribus eius provinciae non exquisita

1 cui *Putcolanus*: qn 4 mitridatē 5 hostem, tanta *Muretus*: hoc temptata 8 roma Cilonem *L ex Dione* 60 33: colonem, *mox* coloni 10 *uulgus: uulgꝰ 16 mollitur 17 chaldeos 20 p̃phatus genita 23 *pernutiosa: permutiosa 24 celeri *pr* puplicatis 28 ira *Boettticher*: irex (ir *erasum*) 31 bithinis narbonensi^{s}

principis sententia, iure quo Sicilia haberetur, res suas invisere liceret. Ituraeique et Iudaei defunctis regibus, Sohaemo atque Agrippa, provinciae Suriae additi. Salutis augurium, quinque et septuaginta annis omissum, repeti ac deinde continuari placitum.

Et pomerium urbis auxit Caesar, more prisco, quo iis qui protulere imperium etiam terminos urbis propagare datur. Nec tamen duces Romani, quamquam magnis nationibus subactis, usurpaverant, nisi L. Sulla et divus Augustus. Regum in eo ambitio vel gloria varie vulgata: sed initium 24
condendi, et quod pomerium Romulus posuerit, noscere haud absurdum reor. Igitur a foro boario, ubi aereum tauri simulacrum aspicimus, quia id genus animalium aratro subditur, sulcus designandi oppidi coeptus, ut magnam Herculis aram amplecteretur. Inde certis spatiis interiecti lapides per ima montis Palatini ad aram Consi, mox curias veteres, tum ad sacellum Larum; dein forumque Romanum et Capitolium non a Romulo, sed a Tito Tatio additum urbi prodidere. Mox pro fortuna pomerium auctum. Et quos tum Claudius terminos posuerit, facile cognitu et publicis *in* actis perscriptum.

C. Antistio M. Suillio consulibus adoptio in Domitium 25
auctoritate Pallantis festinatur, qui obstrictus Agrippinae (p. Ch. 50)
ut conciliator nuptiarum et mox stupro eius inligatus, stimulabat Claudium, consuleret rei publicae, Britannici pueritiam robore circumdaret: sic apud divum Augustum, quamquam nepotibus subnixum, viguisse privignos; a Tiberio super propriam stirpem Germanicum assumptum: se quoque accingeret iuvene partem curarum capessituro. His evictus

2 itureique et iudei sohemo 4 auguriu *septuaginta : XX 6 Is 9 silla agustus *pr* 10 uariç 12 roario (*in marg.* bo) 14 ceptus 16 Palatini *G* : palatii (*cf.* 15 38) aram c̃sii 17 *Larum : dein forumque : laru⁊ de foru⁊q; (*sic*, de *rc. manu lineis inductum;* inde forum Romanum; forumque *Weissenborn*) 18 *prodidere : credidere (tradidere *Pluygers*) 19 actum 20 cognitū *in actis : actis 21 pscriptum (praescriptum *Puteolanus*) 22 cõs. adoptio *Puteolanus* : optio 25 rei p. brittanici 26 robor agustum 28 acgingeret 29 iuuenē

biennio maiorem natu Domitium filio anteponit, habita apud senatum oratione in eundem quem a liberto acceperat modum. Adnotabant periti nullam antehac adoptionem inter patricios Claudios reperiri, eosque ab Atto Clauso continuos
26 duravisse. Ceterum actae principi grates, quaesitiore in Domitium adulatione; rogataque lex qua in familiam Claudiam et nomen Neronis transiret. Augetur et Agrippina cognomento Augustae. Quibus patratis nemo adeo expers misericordiae fuit, quem non Britannici fortuna maerore afficeret. Desolatus paulatim etiam servilibus ministeriis puer intempestiva novercae officia in ludibrium vertebat, intellegens falsi. Neque enim segnem ei fuisse indolem ferunt, sive verum, seu periculis commendatus retinuit famam sine expe-
27 rimento. Sed Agrippina quo vim suam sociis quoque nationibus ostentaret, in oppidum Vbiorum, in quo genita erat, veteranos coloniamque deduci impetrat, cui nomen inditum e vocabulo ipsius. Ac forte acciderat ut eam gentem Rheno transgressam avus Agrippa in fidem acciperet.

Isdem temporibus in superiore Germania trepidatum advectu Chattorum latrocinia agitantium. Dein P. Pomponius legatus auxiliares Vangionas ac Nemetas, addito equite alario, *inmisit*, monitos ut anteirent populatores vel dilapsis inprovisi circumfunderentur. Et secuta consilium ducis industria militum, divisique in duo agmina, qui laevum iter petiverant, recens reversos praedaque per luxum usos et somno graves circumvenere. Aucta laetitia, quod quosdam e clade Variana quadragensimum post annum servitio exeme-
28 rant. At qui dextris et propioribus compendiis ierant, obvio hosti et aciem auso plus cladis faciunt, et praeda famaque onusti ad montem Taunum revertuntur, ubi Pomponius cum legionibus opperiebatur, si Chatti cupidine ulciscendi

1 triennio *Freinsheim* 2 in *G* : *om* eundē *cum rasura litterae unius* 4 repperiri 5 quaesitiore *Pichena* : quaestiore 8 augustę (*vetere manu corr.* augusta) 9 brittanici fortuna maerore *Ernesti* : fortunae meror affigeret *pr* 10 puer intempestiua *Sirker* : p Intempestiua (*sic*) 11 ludibrium *Nipperdey* : ludibria 15 ubi Iorum 18 transgressa 19 aduentu ꝯ 20 catthorū de In *P. : ·L· (*cf.* 11 13) 21 alario *Puteolanus* : elario 22 *inmisit (inmittit *Doederlein praeivit*) : *om* 27 quadragensimum postanum 31 catthi

casum pugnae praeberent. Illi metu, ne hinc Romanus, inde Cherusci, cum quis aeternum discordant, circumgrederentur, legatos in urbem et obsides misere; decretusque Pomponio triumphalis honos, modica pars famae eius apud posteros, in quis carminum gloria praecellit.

Per idem tempus Vannius, Suebis a Druso Caesare 29
inpositus, pellitur regno, prima imperii aetate clarus acceptusque popularibus, mox diuturnitate in superbiam mutans et odio accolarum, simul domesticis discordiis circumventus. Auctores fuere Vibilius, Hermundurorum rex, et Vangio ac Sido, sorore Vannii geniti. Nec Claudius, quamquam saepe oratus, arma certantibus barbaris interposuit, tutum Vannio perfugium promittens, si pelleretur; scripsitque Palpellio Histro, qui Pannoniam praesidebat, legionem ipsaque e provincia lecta auxilia pro ripa componeret, subsidio victis et terrorem adversus victores, ne fortuna elati nostram quoque pacem turbarent. Nam vis innumera, Ligii aliaeque gentes adventabant, fama ditis regni, quod Vannius triginta per annos praedationibus et vectigalibus auxerat. Ipsi manus propria pedites, eques e Sarmatis Iazugibus erat, impar multitudini hostium, eoque castellis sese defensare bellumque ducere statuerat. Sed Iazuges obsidionis impatientes et proxi- 30
mos per campos vagi necessitudinem pugnae attulere, quia Ligius Hermundurusque illic ingruerant. Igitur digressus castellis Vannius funditur proelio, quamquam rebus adversis laudatus, quod et pugnam manu capessiit et corpore adverso vulnera excepit. Ceterum ad classem in Danuvio opperientem perfugit; secuti mox clientes et acceptis agris in Pannonia locati sunt. Regnum Vangio ac Sido inter se partivere, egregia adversus nos fide, subiectis, suone an servitii inge-

3 *post* pomponio *erasa est littera* 6 tep; sueuis 10 uibillius (*c.* 2 63) 12 certantibus barbaris certantibus 13 *Palpellio (Palpelio *L*) : P· atellio 15 componeret *ed. princeps* : cōponere 17 uisi *pr* ligii, *mox* ligius (Lygii — Lygius *Oberlin*, Lugii — Lugius *Müllenhoff*) 20 iazigibus, *mox* iazigies, *sed idem H.* 3 5 Iazugum 24 degressus *Ernesti* 26 capesciit (*malim* capessiuit) 27 cęterum dauio (*cf.* 2 63) 29 uangio ac sido ꝫ : uagio ac sidio

nio, dum adipiscerentur dominationis, multa caritate, et maiore odio, postquam adepti sunt.

31 At in Britannia P. Ostorium, pro praetore, turbidae res excepere, effusis in agrum sociorum hostibus eo violentius, quod novum ducem exercitu ignoto et coepta iam hieme iturum obviam non rebantur. Ille gnarus primis eventibus metum aut fiduciam gigni, citas cohortes rapit, et caesis qui restiterant, disiectos consectatus, ne rursus conglobarentur infensaque et infida pax non duci, non militi requiem permitteret, detrahere arma suspectis cunctaque castris Avonam *usque* et Sabrinam fluvios cohibere parat. Quod primi Iceni abnuere, valida gens, nec proeliis contusi, quia societatem nostram volentes accesserant. Hisque auctoribus circumiectae nationes locum pugnae delegere, septum agresti aggere et aditu angusto, ne pervius equiti foret. ea munimenta dux Romanus, quamquam sine robore legionum sociales copias ducebat, perrumpere aggreditur, et distributis cohortibus turmas quoque peditum ad munia accingit. Tunc dato signo perfringunt aggerem suisque claustris impeditos turbant. Atque illi conscientia rebellionis et obseptis effugiis multa et clara facinora fecere, qua pugna filius legati M. Ostorius servati civis decus meruit.

32 Ceterum clade Icenorum compositi qui bellum inter et pacem dubitabant; et ductus in Decangos exercitus. Vastati agri, praedae passim actae, non ausis aciem hostibus vel, si ex occulto carpere agmen temptarent, punito dolo. Iamque ventum haud procul mari quod Hiberniam insulam aspectat, cum ortae apud Brigantas discordiae retraxere ducem, destinationis certum, ne nova moliretur nisi prioribus firmatis. Et Brigantes quidem, paucis qui arma coeptabant

1 *malim* apiscerentur dominationis *amicus Ryckii*: dominationes (*cf.* 3 55, 6 51 (45) 3 brittania p̃ praetore 4 effusis *G*: et fusis 5 cępta iam hieme it. *Sirker*: ghiemei turum 6 obuia 8 restiterant *ed. princeps*: restiter̃ 10 Auonam *Mannert*: antonā 11 *usque: *om* (inter *Heinsius*, ad *Bipontina*; cis Trisantonem *Heraeus*) 22 seruatis *pr* 24 in Decangos *Bezzenberger*: Inde cangos 30 Brigantes (a *eadem m.*) ceptabant

interfectis, in reliquos data venia, resedere: Silurum gens
non atrocitate, non clementia mutabatur, quin bellum exer-
ceret castrisque legionum premenda foret. Id quo promptius
veniret, colonia Camulodunum valida veteranorum manu de-
ducitur in agros captivos, subsidium adversus rebelles et in-
buendis sociis ad officia legum. Itum inde in Siluras, super 33
propriam ferociam Carataci viribus confisos, quem multa
ambigua, multa prospera extulerant, ut ceteros Britannorum
imperatores praemineret. Sed tum astu [locorum fraude]
prior, vi militum inferior, transfert bellum in Ordovicas,
additisque qui pacem nostram metuebant, novissimum casum
experitur, sumpto ad proelium loco, ut aditus, abscessus,
cuncta nobis inportuna et suis in melius essent, hinc
..montibus arduis, et siqua clementer accedi poterant, in mo-
dum valli saxa praestruit. Et praefluebat amnis vado in-
certo, catervaque armatorum pro munimentis constiterant.
Ad hoc gentium ductores circumire hortari, firmare animos 34
minuendo metu, accendenda spe aliisque belli incitamentis:
enimvero Caratacus huc illuc volitans illum diem, illam aciem
testabatur aut recuperandae libertatis aut servitutis aeternae
initium fore; vocabatque nomina maiorum, qui dictatorem
Caesarem pepulissent, quorum virtute vacui a securibus et
tributis intemerata coniugum et liberorum corpora retine-
rent. Haec atque talia dicenti adstrepere vulgus, gentili
quisque religione obstringi, non telis, non vulneribus cessu-
ros. Obstupefecit ea alacritas ducem Romanum; simul 35
obiectus amnis, additum vallum, imminentia iuga, nihil nisi
atrox et propugnatoribus frequens terrebat. Sed miles proe-

1 Silurum *R*: Siluarum 4 eueniret *Pluygers* 7 carataci, *c.* 34 ca-
ratacus, 35 carattaci, 36 carataci *et* carataratacus (*sic*), 38 carataci *et*
carataco, *H.* 3 45 carataco, 40 caratacum, Dio 60 20 *Καταράταχον*,
Zonaras 11 10 *Καράταχος* confisos *G*: confisis 8 brittanorum
9 *astu [fraude locorum]: astu fraude locorum (astu *Haase*, fraude
Halm secluserunt) 10 Ordouicas *R*: ordolucas 13 immelius hinc
Halm: tunc 14 ..*montibus: montibus (*expleo* munitus montibus)
15 ualli *G*: ballis 16 cateruaeque *L* armatorum *Freinsheim*:
malorum ꝑmunimentis 18 accendenda *G*: accenda 20 etnę
25 religione *L*: religioni *fortasse* telis se

lium poscere, cuncta virtute expugnabilia clamitare; praefectique et tribuni paria disserentes ardorem exercitus intendebant. Tum Ostorius, circumspectis quae inpenetrabilia quaeque pervia, ducit infensos amnemque haud difficulter evadit. Vbi ventum ad aggerem, dum missilibus certabatur, plus vulnerum in nos et pleraeque caedes oriebantur: postquam facta testudine rudes et informes saxorum conpages distractae parque comminus acies, decedere barbari in iuga montium. Sed eo quoque irrupere ferentarius gravisque miles, illi telis adsultantes, hi conferto gradu, turbatis contra Britannorum ordinibus, apud quos nulla loricarum galearumve tegmina; et si auxiliaribus resisterent, gladiis ac pilis legionariorum, si huc verterent, spathis et hastis auxiliarium sternebantur. Clara ea victoria fuit, captaque uxor et filia Carataci, fratresque in
36 deditionem accepti. Ipse, ut ferme intuta sunt adversa, cum fidem Cartimandus, reginae Brigantum, petivisset, vinctus ac victoribus traditus est, nono post anno quam bellum in Britannia coeptum. Vnde fama eius evecta insulam et proximas provincias pervagata per Italiam quoque celebrabatur, avebantque visere, quis ille tot per annos opes nostras sprevisset. Ne Romae quidem ignobile Carataci nomen erat; et Caesar dum suum decus extollit, addidit gloriam victo. Vocatus quippe ut ad insigne spectaclum populus: stetere in armis praetoriae cohortes campo qui castra praeiacet. Tunc incedentibus regiis clientelis falerae *cum* torquibus, quaeque bellis externis quaesiverat, traducta, mox fratres et coniux et filia, postremo ipse ostentatus. Ceterorum preces degeneres fuere ex metu: at non Caratacus aut vultu demisso aut verbis misericordiam requirens; ubi tribunali adstitit, in hunc

1 posceret *pr* expugnabili 2 et *Bezzenberger* : *om* 7 distractae *G* : distracta 10 brittannorū 13 astis 14 uxor *Bezzenberger* : uxore 16 Cartimandus] *nunc* cartimandus, *c.* 40 cartimandum *atque* cartimannus; *H. est* 3 45 cartis manduam, *mox* cartimandua, *dein* cartimanduam 17 brittannia ceptum 18 insulam *Heinsius* : insulas 23 *spectaclum : spectalum (spectaculum *vulgo*) 25 falerae] falere (*idem codex H.* 1 57 falerasque; *vulgo* phalerae, *et sic est H.* 2, 89, *G.* 15) *cum torquibus : torqb; (torques *Doederlein*, torquesque *G*) 27 cęterorum 28 ad non

modum locutus est. 'Si quanta nobilitas et fortuna mihi fuit, 37
tanta rerum prosperarum moderatio fuisset, amicus potius in
hanc urbem quam captus venissem, neque dedignatus esses,
claris maioribus ortum, pluribus gentibus imperitantem foedere
pacto pacem accipere. Praesens sors mea ut mihi informis,
sic tibi magnifica est. Habui equos viros, arma opes: quid
mirum, si haec invitus amisi? Nam si vos omnibus imperitare
vultis, sequitur ut omnes servitutem accipiant? Si statim de-
ditus traderer, neque mea fortuna neque tua gloria inclaruis-
set; et supplicium mei oblivio sequeretur: at si incolumem
servaveris, aeternum exemplar clementiae ero.' Ad ea Caesar
veniam ipsique et coniugi et fratribus tribuit. Atque illi
vinclis [ab]soluti Agrippinam quoque, haud procul alio sug-
gestu conspicuam, isdem quibus principem laudibus gratibus-
que venerati sunt. Novum sane et moribus veterum insolitum,
feminam signis Romanis praesidere: ipsa semet parti a maio-
ribus suis imperii sociam ferebat. Vocati posthac patres 38
multa et magnifica super captivitate Carataci disseruere, ne-
que minus id clarum quam quod Syphacem P. Scipio, Persen
L. Paulus, et siqui alii vinctos reges populo Romano osten-
dere. Censentur Ostorio triumphi insignia, prosperis ad id
rebus eius, mox ambiguis, sive amoto Carataco, quasi debel-
latum foret, minus intenta apud nos militia fuit, sive hostes
miseratione tanti regis acrius ad ultionem exarsere. Prae-
fectum castrorum et legionarias cohortes extruendis apud
Siluras praesidiis relictas circumfundunt. Ac ni cito a nume-
ris ex castellis proximis subventum foret copiarum obsidioni,
occubuissent: praefectus tamen et octo centuriones ac prom-
ptissimus quisque e manipulis cecidere. Nec multo post pa-

4 Inperitantem (*nota a vet. m. est*) 5 *pacto pacem : pacem *cum rasura ante* pacem (pacis *L*, in pacem *Doederlein*) 7 inuitus (*ante* t *littera erasa est*) num *L* 8 *potius* sequiturne 9 traherer *Bekker* 10 seqretur (sequetur *L*) 13 *[ab]soluti : absoluti (exsoluti *L*) 16 partim 19 quod *erasa ante littera una* sifacē 22 sibe amoto 26 silulas (Syluras *Puteolanus*) relicta *a numeris : nuntiis (nuntiis ex cast. prox. missis *Nipperdey*) 27 obsidioni *Bezzenberger*: obsidione 28 obcubuissent 29 e manipulis *L* : manipulus

bulantis hos ipsos missasque et..ad subsidium turmas pro-
39 fligant. Tum Ostorius cohortes expeditas opposuit; nec ideo fugam sistebat, ni legiones proelium excepissent; earum robore aequata pugna, dein nobis pro meliore fuit. Effugere hostes tenui damno, quia inclinabat dies. Crebra hinc proelia, et saepius in modum latrocinii per saltus, per paludes; ut cuique sors aut virtus, temere proviso; ob iram, ob praedam; iussu et aliquando ignaris ducibus. Ac praecipua Silurum pervicacia, quos accendebat vulgata imperatoris Romani vox, ut quondam Sugambri excisi aut in Gallias traiecti forent, ita Silurum nomen penitus extinguendum. Igitur duas auxiliares cohortes avaritia praefectorum incautius populantes intercepere; spoliaque et captivos largiendo ceteras quoque nationes ad defectionem trahebant, cum taedio curarum fessus Ostorius concessit vita, laetis hostibus, tamquam ducem haud spernendum etsi non proelium, at certe bellum absumpsisset.
40 At Caesar cognita morte legati, ne provincia sine rectore foret, A. Didium suffecit. Is propere vectus non tamen integras res invenit, adversa interim legionis pugna, cui Manlius Valens praeerat; auctaque et apud hostes eius rei fama, quo venientem ducem exterrerent, atque illo augente *Romae* audita, ut maior laus compositis vel, si duravissent, venia iustior tribueretur. Silures id quoque damnum intulerant, lateque persultabant, donec adcursu Didii pellerentur. Sed post captum Caratacum praecipuus scientia rei militaris Venutius, e Brigantum civitate, ut supra memoravi, fidusque diu et Romanis armis defensus, cum Cartimandum reginam matrimonio teneret; mox orto discidio et statim bello etiam adversus nos hostilia induerat. Sed primo tantum inter ipsos certabatur, callidisque Cartimandus artibus fratrem ac pro-

1 *hos ipsos : nos ipsos (nostros *Puteolanus*) *et..ad : & ad (ad *vulgo; expleo* et adcurrentes ad) 2 opposuit *L* : exposuit 9 imperatoris] In per. (*sic*) 10 sygambri (*cf.* 2 26) excisi aut *Faernus* : excisia ut 11 auxiliare 14 defectiones *correcto ead. m.* es *in* ē 15 uita *G* : uitā 16 ad absumpsisset *G* : adsumpsiset 20 auctaque est *Nipperdey*, aucta aeque *Heinsius* 21 *Romae audita : audita 22 compositis *L* : compositi (compositi belli *Pluygers*) 26 e Brigantum *Agricola* : euigantum

pinquos Venutii intercepit. Inde accensi hostes, stimulante ignominia, ne feminae imperio subderentur, valida et lecta armis iuventus, regnum eius invadunt. Quod nobis praevisum, et missae auxilio cohortes acre proelium fecere, cuius initio ambiguo finis laetior fuit. Neque dispari eventu pugnatum a legione, cui Caesius Nasica praeerat: nam Didius, senectute gravis et multa copia honorum, per ministros agere et arcere hostem satis habebat. Haec, quamquam a duobus [Ostorio Didioque] pro praetoribus plures per annos gesta, coniunxi, ne divisa haud perinde ad memoriam sui valerent: ad temporum ordinem redeo.

Ti. Claudio quintum Ser. Cornelio [Orfito] consulibus 41 p. Ch. virilis toga Neroni maturata, quo capessendae rei publicae habilis videretur. Et Caesar adulationibus senatus libens cessit, ut vicesimo aetatis anno consulatum Nero iniret atque interim designatus proconsulare imperium extra urbem haberet ac princeps iuventutis appellaretur. Additum nomine eius donativum militi, congiarium plebei. Et ludicro circensium, quod acquirendis vulgi studiis edebatur, Britannicus in praetexta, Nero triumphalium veste travecti sunt: spectaret populus hunc decore imperatorio, illum puerili habitu, ac perinde fortunam utriusque praesumeret. Simul qui centurionum tribunorumque sortem Britannici miserabantur, remoti sunt fictis causis, et alii per speciem honoris; etiam libertorum siquis incorrupta fide, depellitur tali occasione. Obvii inter se Nero Britannicum [nomine], ille Domitium salutavere. Quod ut discordiae initium Agrippina multo questu ad maritum defert: sperni quippe adoptionem, quaeque censuerint patres, iusserit populus, intra penates abrogari; ac nisi pravitas tam infensa docentium arceatur, eruptura in publicam perniciem.

1 hostis 6 cesius 9 ostrio [Ostorio Didioque] *Freinsheim* cĩuxi 10 perinde *Puteolanus* : ꝑinde 12 Ti. *Vertranius* : T· I (.T. .L. *Puteolanus*) Ser.] ser uio (*linea recenti manu*) *[Orfito] cos 13 capescende rei .p. 19 brittannicus 20 triumphali in *rel* triumphantium *Acidalius*, triumphali cum *Freinsheim*, triumphali *Gruphius* trauectis *pr* sunt spectaret (sunt, ut spectaret *Bezzenberger*) 23 brittannici, *mox* brittannicum *remoti sunt : remotis (remoti ꝛ) 25 pellitur (p̃ *vetere manu*) 26 *[nomine]

Commotus his quasi criminibus optimum quemque educatorem filii exilio aut morte afficit datosque a noverca custodiae eius
42 inponit. Nondum tamen summa moliri Agrippina audebat, ni praetoriarum cohortium cura exolverentur Lusius Geta et Rufrius Crispinus, quos Messalinae memores et liberis eius devinctos credebat. Igitur distrahi cohortes ambitu duorum et, si ab uno regerentur, intentiorem fore disciplinam adseverante uxore, transfertur regimen cohortium ad Burrum Afranium, egregiae militaris famae, gnarum tamen cuius sponte praeficeretur. Suum quoque fastigium Agrippina extollere altius: carpento Capitolium ingredi, qui honos sacerdotibus et sacris antiquitus concessus venerationem augebat feminae, quam imperatore genitam, sororem eius qui rerum potitus sit et coniugem et matrem fuisse, unicum ad hunc diem exemplum est. Inter quae praecipuus propugnator eius Vitellius, validissima gratia, aetate extrema (adeo incertae sunt potentium res) accusatione corripitur, deferente Iunio Lupo senatore. Is crimina maiestatis et cupidinem imperii obiectabat; praebuissetque aures Caesar, nisi Agrippinae minis magis quam precibus mutatus esset, ut accusatori aqua atque igni interdiceret. Hactenus Vitellius voluerat.

43 Multa eo anno prodigia evenere. Insessum diris avibus Capitolium, crebris terrae motibus prorutae domus, ac dum latius metuitur, trepidatione vulgi invalidus quisque obtriti; frugum quoque egestas et orta ex eo fames in prodigium accipiebatur. Nec occulti tantum questus, sed iura reddentem Claudium circumvasere clamoribus turbidis, pulsumque in extremam fori partem vi urguebant, donec militum globo infensos perrupit. Quindecim dierum alimenta urbi, non amplius, superfuisse constitit, magnaque deum benignitate et modestia hiemis rebus extremis subventum. At Her-

1 his *G*: is (sic) 2 aut *Petersen*: ac 5 Rufrius *Holm ex* 15 71, *etiam* 16 17, *ubi primum est* rufus, *dein* rufrium, et 13 45, *ubi est* rufri (*sic*) *pro* Rufrii *prava assimilatione*: rufius messalina ememores 6 a bitu *superposito* ambitu 9 egregie 10 praeficeretur *G*: ꝑficeretur 11 honos *Vrsinus*: mos 19 p̃bui &s&q; 23 prorutae *L*: ꝓrupte 25 ortae (*sic*) inprodigium 29 Quindecē 30 dm̃ 31 subuenientum at *G*: ad

cule olim Italia legionibus longinquas in provincias commeatus portabat, nec nunc infecunditate laboratur. Sed Africam potius et Aegyptum exercemus, navibusque et casibus vita populi Romani permissa est.

Eodem anno bellum inter Armenios Hiberosque exor- 44
tum Parthis quoque ac Romanis gravissimorum inter se motuum causa fuit. Genti Parthorum Vologeses imperitabat, materna origine ex paelice Graeca, concessu fratrum regnum adeptus; Hiberos Pharasmanes vetusta possessione, Armenios frater eius Mithridates optinebat opibus nostris. Erat Pharasmani filius nomine Radamistus, decora proceritate, vi corporis insignis et patrias artes edoctus, claraque inter accolas fama. Is modicum Hiberiae regnum senecta patris detineri ferocius crebriusque iactabat, quam ut cupidinem occultaret. Igitur Pharasmanes iuvenem potentiae promptum et studio popularium accinctum vergentibus iam annis suis metuens aliam ad spem trahere et Armeniam ostentare, pulsis Parthis datam Mithridati a semet memorando: sed vim differendam et potiorem dolum, quo incautum opprimerent. Ita Radamistus simulata adversus patrem discordia tamquam novercae odiis impar pergit ad patruum, multaque ab eo comitate in speciem liberum cultus primores Armeniorum ad res novas illicit, ignaro et ornante insuper Mithridate. Reconciliationis specie assumpta regressusque ad patrem, 45
quae fraude confici potuerint, prompta nuntiat, cetera armis exequenda. Interim Pharasmanes belli causas confingit: proelianti sibi adversus regem Albanorum et Romanos auxilio vocanti fratrem adversatum, eamque iniuriam excidio ipsius ultum iturum; simul magnas copias filio tradidit. Ille irruptione subita territum exutumque campis Mithridaten com-

1 legionibus *Ernesti*: regionibus 3 egyptum nabibusque *pr* 4 P·R· 8 pelice greca (*cf. ad* 4 3) 9 farasmanes, *statim* farasmanis, *tum* pharasmanes, *c.* 45 farasmanes, *dein* pharasmanē *et* pharasmanen, *c.* 47 farasmanis, *c.* 48 faramanen, 13 37 pharasmanes possessiones 10 frs eius 11 Pharasmani *Puteolanus*: farasmanis 13 hiberie 15 promptum *L*: ꝓmpte (properum *Faernus*) 20 radamastus partem *pr* 22 cultus *G*: cultū 23 ornante *L*: orante 25 quae *L*: qua prompta *L*: prompte

pulit in castellum Gorneas, tutum loco ac praesidio militum, quis Caelius Pollio praefectus, centurio Casperius praeerant. Nihil tam ignarum barbaris quam machinamenta et astus oppugnationum[: at nobis ea pars militiae maxime gnara est]. Ita Radamistus frustra vel cum damno temptatis munitionibus obsidium incipit; et cum vis neglegeretur, avaritiam praefecti emercatur, obtestante Casperio ne socius rex, ne Armenia, donum populi Romani, scelere et pecunia verterentur. Postremo quia multitudinem hostium Pollio, iussa patris Radamistus obtendebant, pactus indutias abscedit, ut, nisi Pharasmanen bello absterruisset, Vmmidium Quadratum, praesidem Syriae, doceret, quo in statu Armenia foret.

46 Digressu centurionis velut custode exsolutus praefectus hortari Mithridaten ad sanciendum foedus, coniunctionem fratrum ac priorem aetate Pharasmanen et cetera necessitudinum nomina referens, quod filiam eius in matrimonio haberet, quod ipse Radamisto socer esset: non abnuere pacem Hiberos quamquam in tempore validiores; et satis cognitam Armeniorum perfidiam, nec aliud subsidii quam castellum commeatu egenum: ne dubia tenere armis quam incruentas conditiones mallet. Cunctante ad ea Mithridate et suspectis praefecti consiliis, quod paelicem regiam polluerat inque omnem libidinem venalis habebatur, Casperius interim ad Pharasmanen pervadit, utque Hiberi obsidio decedant expostulat. Ille propalam incerta et saepius molliora respondens, secretis nuntiis monet Radamistum obpugnationem quoquo modo celerare. Augetur flagitii merces, et Pollio occulta corruptione inpellit milites, ut pacem flagitarent seque praesidium omissuros minitarentur. Qua necessitate Mithridates diem locumque foederi accepit, castelloque egreditur.

47 Ac primo Radamistus in amplexus eius effusus simulare ob-

2 praeerant *Halm*: praeerat 4 *[at—est] 8 ·P·R· pecuniā uerterentur ς: uterentur 11 *Vmmidium: tū midiū (T. Vmidium ς) 12 Armenia *ed. princeps*: armenię 13 uelud 14 fedus 19 cognitam *L*: cognita 20 commeatū (commeatus *Halm*, commeatum *liber Farnesianus*) *dubia tenere: dubitare (dubia tentare *Sirker*, dubia tentaret *Aurelius*, dubitaret *G*) 21 condiciones mallet *Agricola*: malle 29 omissuros *Freinsheim*: ammis necissitate 30 fęderi 31 faramistus

sequium, socerum ac parentem appellare; adicit ius iurandum, non ferro, non veneno vim allaturum. Simul in lucum propinquum trahit, provisum illic sacrificii apparatum dictitans, ut deis testibus pax firmaretur. Mos est regibus, quotiens in societatem coeant, implicare dextras pollicesque inter se vincire nodoque praestringere: mox ubi sanguis in artus extremos *se* suffuderit, levi ictu cruorem eliciunt atque in vicem lambunt. Id foedus arcanum habetur quasi mutuo cruore sacratum. Sed tunc qui ea vincla admovebat, decidisse simulans genua Mithridatis invadit ipsumque prosternit; simulque concursu plurium iniciuntur catenae. Ac compede, quod dedecorum barbaris, trahebatur; mox, quia vulgus duro imperio habitum, probra ac verbera intentabant. Et erant e contrario qui tantam fortunae commutationem miserarentur; secutaque cum parvis liberis coniux cuncta lamentatione complebat. Diversis et contectis vehiculis abduntur, dum Pharasmanis iussa exquirerentur. Illi cupido regni fratre et filia potior animusque sceleribus paratus; visui tamen consuluit, ne coram interficeret. Et Radamistus, quasi iuris iurandi memor, non ferrum, non venenum in sororem et patruum expromit, sed proiectos in humum et veste multa gravique opertos necat. Filii quoque Mithridatis, quod caedibus parentum illacrimaverant, trucidati sunt. At Quadratus cognoscens proditum Mithridaten et regnum 48
ab interfectoribus optineri, vocat consilium, docet acta et an ulcisceretur consultat. Paucis decus publicum curae, plures tuta disserunt: omne scelus externum cum laetitia habendum; semina etiam odiorum iacienda, ut saepe principes Romani eandem Armeniam specie largitionis turbandis

3 *sacrificii apparatum : sacrificium Imperatum (sacrificii paratum *Pflugk*, sacrificium iam paratum *Heinsius*, sacrificum paratum *Bezzenberger*, sacrificium [imperatum] *Acidalius; cf.* 2 69, *H.* 3 56) 4 *deis : diis 5 societatem *Puteolanus* : societate 6 praestringere *L* : pstringere 7 *extremos se suff. : extremos suffuderit (extremos se effuderit *R*, se extremos suff. *Iac. Gronovius;* artus extremos suff. *Heinsius*) 8 fedus archanum 11 compede *L* : compedes 12 moxque *G* 13 *intentabant : intentabat 14 e contrario *Baiter* : econtra (*cf. H.* 1 88) 20 iurisiurandi ς : Ius Iurandi 27 omne *L* : oñs 28 etiam modiorum

barbarorum animis praebuerint: poteretur Radamistus male partis, dum invisus infamis, quando id magis ex usu quam si cum gloria adeptus foret. In hanc sententiam itum. Ne tamen adnuisse facinori viderentur et diversa Caesar iuberet, missi ad Pharasmanen nuntii, ut abscederet a finibus Armeniae
49 filiumque abstraheret. Erat Cappadociae procurator Iulius Paelignus, ignavus animi et deridiculo corporis iuxta despiciendus, sed Claudio perquam familiaris, cum privatus olim *in* conversatione scurrarum iners otium oblectaret. Is Paelignus auxiliis provincialium contractis tamquam recuperaturus Armeniam, dum socios magis quam hostes praedatur, abscessu suorum et incursantibus barbaris praesidii egens ad Radamistum venit; donisque eius evictus ultro regium insigne sumere cohortatur, sumentique adest auctor et satelles. Quod ubi turpi fama divulgatum, ne ceteri quoque ex Paeligno coniectarentur, Helvidius Priscus legatus cum legione mittitur, rebus turbidis pro tempore ut consuleret. Igitur propere montem Taurum transgressus moderatione plura quam vi composuerat, cum redire in Syriam iubetur, ne initium belli ad-
50 versus Parthos existeret. Nam Vologeses casum invadendae Armeniae obvenisse ratus, quam a maioribus suis possessam externus rex flagitio optineret, contrahit copias fratremque Tiridaten deducere in regnum parat, nequa pars domus sine imperio ageret. Incessu Parthorum sine acie pulsi Hiberi, urbesque Armeniorum Artaxata et Tigranocerta iugum accepere. Deinde atrox hiemps seu parum provisi commeatus et orta ex utroque tabes perpellunt Vologesen omittere praesentia. Vacuamque rursus Armeniam Radamistus invasit, truculentior quam antea, tamquam adversus defectores et in tempore rebellaturos. Atque illi, quamvis servitio sueti,

3 depulsus foret *Nipperdey* 5 *Armeniae : armeniis 6 Paelignus *Baiter hic et mox* : pelignus *utrobique* 7 *ignauus : ignaui (*pro* ignau: = ignauus; *Muretus* ignauia *vel* ignauo) iuxta ς : iusta 8 priuatus ς : priuatis (priuatas *G*) *in : *om* 9 conuersatione scurrarum *L* : cūsationes curaret is [Pelignus] *Freinsheim* 14 auctō 19 redire ς : rediret siriam 27 perpellunt *Budensis corr* : percellunt 29 tanquam ς *et Puteolanus* : quanquam 30 rebellaturos *R* : bellaturos

patientiam abrumpunt armisque regiam circumveniunt. Nec 51
aliud Radamisto subsidium fuit quam pernicitas equorum, quis seque et coniugem abstulit. Sed coniux gravida primam utcumque fugam ob metum hostilem et mariti caritatem toleravit; post festinatione continua, ubi quati uterus et viscera vibrantur, orare ut morte honesta contumeliis captivitatis eximeretur. Ille primo amplecti adlevare adhortari, modo virtutem admirans, modo timore aeger, ne quis relicta poteretur. Postremo violentia amoris et facinorum non rudis destringit acinacen vulneratamque ripam ad Araxis trahit, flumini tradit, ut..corpus etiam auferretur: ipse praeceps [Hiberos] ad patrium regnum pervadit. Interim Zenobiam (id mulieri nomen) placida illuvie spirantem ac vitae manifestam advertere pastores, et dignitate formae haud degenerem reputantes obligant vulnus, agrestia medicamina adhibent, cognitoque nomine et casu in urbem Artaxata ferunt; unde publica cura deducta ad Tiridaten comiterque excepta cultu regio habita est.

Fausto Sulla Salvio Othone consulibus Furius Scribo- 52
nianus in exilium agitur, quasi finem principis per Chaldaeos scrutaretur. Adnectebatur crimini Vibia mater eius, ut casus prioris (nam relegata erat) inpatiens. Pater Scriboniani Camillus arma per Dalmatiam moverat; idque ad clementiam trahebat Caesar, quod stirpem hostilem iterum conservaret. Neque tamen exuli longa posthac vita fuit: morte fortuita an per venenum extinctus esset, ut quisque credidit, vulgavere. De mathematicis Italia pellendis factum senatus consultum atrox et irritum. Laudati dehinc oratione principis qui ob angustias familiares ordine senatorio sponte cederent, motique qui remanendo inpudentiam paupertati adicerent. Inter quae refert ad patres de poena feminarum quae 53
servis coniungerentur; statuiturque, ut ignaro domino ad id

p. Ch. 52

1 circumueniunt ς : circū ueunt 4 utcūque 5 quatitur *Heinsius* 8 ammirans 11 trait flumine *pr* *ut..corpus : ut corpus (*expleo* ut cum anima corpus) 12 *[Hiberos] (ad Hiberos, patrium in *Heinsius*, ad Hiberos. patrium *Bezzenberger*) 19 silla cōs 20 chaldeos 21 adnectabantur *pr* Vibia *Gryphius* : uuia (Iunia *Puteolanus*) 22 patre *pr* 27 italia *G* : Ita 31 intq̄ (*sic*) pęna

prolapsae in servitute, sin consensisset, pro libertis haberentur. Pallanti, quem repertorem eius relationis ediderat Caesar, praetoria insignia et centies quinquagies sestertium censuit consul designatus Barea Soranus. Additum a Scipione Cornelio grates publice agendas, quod regibus Arcadiae ortus veterrimam nobilitatem usui publico postponeret seque inter ministros principis haberi sineret. Adseveravit Claudius contentum honore Pallantem intra priorem paupertatem subsistere. Et fixum est aere publico senatus consultum, quo libertinus sestertii ter miliens possessor antiquae parsimoniae laudibus cumulabatur.

54 At non frater eius, cognomento Felix, pari moderatione agebat, iam pridem Iudaeae impositus et cuncta malefacta sibi inpune ratus tanta potentia subnixo. Sane praebuerant Iudaei .... speciem motus orta seditione, post quam *cum* cognita caede eius haud obtemperatum esset, manebat metus ne quis principum eadem imperitaret. Atque interim Felix intempestivis remediis delicta accendebat, aemulo ad deterrima Ventidio Cumano, cui pars provinciae habebatur, ita divisis ut huic Galilaeorum natio, Felici Samaritae parerent, discordes olim et tum contemptu regentium minus coercitis odiis. Igitur raptare inter se, immittere latronum globos, componere insidias et aliquando proeliis congredi, spoliaque et praedas ad procuratores referre. Hique primo laetari, mox gliscente pernutie cum arma militum interiecissent, caesi milites; arsissetque bello provincia, ni Quadratus, Syriae rector, subvenisset. Nec diu adversus Iudaeos, qui in necem militum proruperant, dubitatum quin capite poenas luerent: Cumanus et Felix cunctationem adferebant, quia Claudius causis rebellionis auditis ius statuendi etiam de procurato-

1 prolapsae *Heinsius*: prolapsa. (*sic*) sin] *fortasse* sin is 4 cõs. 4 asipione 9 aere publico *G*: publico *suppleto in marg.* aere 13 tam *pr* 14 potentia *G*: patientia 15 *Iudaei .... : iudaeis (iudei *G*; *post* seditione *lacunam statuit Acidalius; ego expleo* a C. Caesare effigiem eius in templo locare iussi *post quam cum: p'qua³ (= post quam) 19 uentidio cui (*in margine expletur* Cumano: uentidio cumano quoi *G*) 20 galileorum 21 contemptuj cohercitis 25 *pernutie: pmtie 27 iudeos 28 qn *G*: q In pẽnas 30 Iusta tuendi

ribus dederat. Sed Quadratus Felicem inter iudices ostentavit, receptum in tribunal, quo studia accusantium deterrerentur; damnatusque flagitiorum quae duo deliquerant Cumanus, et quies provinciae reddita.

Nec multo post agrestium Cilicum nationes, quibus 55
Clitarum cognomentum, saepe et alias commotae, tunc Troxoboro duce montes asperos castris cepere, atque inde decursu in litora aut urbes vim cultoribus et oppidanis ac plerumque in mercatores et navicularios audebant. Obsessaque civitas Anemuriensis, et missi e Syria in subsidium equites cum praefecto Curtio Severo turbantur, quod duri circum loci peditibusque ad pugnam idonei equestre proelium haud patiebantur. Dein rex eius orae Antiochus blandimentis adversum plebem, fraude in ducem cum barbarorum copias dissociasset, Troxoboro paucisque primoribus interfectis ceteros clementia composuit.

Sub idem tempus inter lacum Fucinum amnemque Li- 56
rim perrupto monte, quo magnificentia operis a pluribus viseretur, lacu in ipso navale proelium adornatur, ut quondam Augustus structo trans Tiberim stagno, sed levibus navigiis et minore copia ediderat. Claudius triremes quadriremesque et undeviginti hominum milia armavit, cincto ratibus ambitu, ne vaga effugia forent, ac tamen spatium amplexus ad vim remigii, gubernantium artes, impetus navium et proelio solita. In ratibus praetoriarum cohortium manipuli turmaeque adstiterant, antepositis propugnaculis, ex quis catapultae ballistaeque tenderentur. Reliqua lacus classiarii tectis navibus optinebant. Ripas et colles montiumque edita in modum theatri multitudo innumera complevit, proximis e municipiis et alii urbe ex ipsa, visendi cupidine aut officio in principem. Ipse insigni paludamento, neque procul Agrippina chlamyde aurata, praesedere. Pugnatum, quamquam inter

3 damnatusque — cumanus *G* : damnatosq; — cumanos *fortasse* quis 4 quees *pr* 6 Troxoboro *Haase* : troxobore 14 fraude *G* : fraudē 15 troxoboro *erasa littera* t 17 liri⁹ 19 p̃lium, *mox* p̃lio; *v. ad* 1 26 20 trans *Urlichs* : cis 21 centum triremes *L* 27 ballisteq; 28 montiumque *Heraeus* : montium (ac montium *G*) 32 chlamyde *G* : clamide praesedere *L* : p̃sidere

sontes, fortium virorum animo, ac post multum vulnerum oc-
57 cidioni exempti sunt. Sed perfecto spectaculo apertum aquarum iter. Incuria operis manifesta fuit, haud satis depressi ad lacus ima vel media. Eoque, tempore interiecto, altius effossi specus, et contrahendae rursus multitudini gladiatorum spectaculum editur, inditis pontibus pedestrem ad pugnam. Quin et convivium effluvio lacus appositum magna formidine cunctos affecit, quia vis aquarum prorumpens proxima trahebat, convulsis ulterioribus aut fragore et sonitu exterritis. Simul Agrippina trepidatione principis usa ministrum operis Narcissum incusat cupidinis ac praedarum. Nec ille reticet, inpotentiam muliebrem nimiasque spes eius arguens.

58 D. Iunio Q. Haterio consulibus sedecim annos natus
P. Ch. 53 Nero Octaviam Caesaris filiam in matrimonium accepit. Vtque studiis honestis et eloquentiae gloria enitesceret, causa Iliensium suscepta Romanum Troia demissum et Iuliae stirpis auctorem Aeneam, aliaque haud procul fabulis vetera, facunde executus perpetrat ut Ilienses omni publico munere solverentur. Eodem oratore Bononiensi coloniae igni haustae subventum centies sestertii largitione. Redditur Rhodiis libertas, adempta saepe aut firmata, prout bellis externis meruerant aut domi seditione deliquerant; tributumque Apamensibus terrae motu convulsis in quinquennium
59 remissum. At Claudius saevissima quaeque promere adigebatur eiusdem Agrippinae artibus, quae Statilium Taurum, opibus inlustrem, hortis eius inhians pervertit accusante Tarquitio Prisco. Legatus is Tauri Africam imperio proconsulari regentis, postquam revenerant, pauca repetundarum crimina, ceterum magicas superstitiones obiectabat. Nec ille diutius falsum accusatorem, indignas sordes perpessus, vim vitae

4 uel media *seclusit Acidalius* eo $\overset{o}{q}$ 10 exterritis *G* : exterriti 14 Haterio *L* : auterio consuli$\overset{bus}{_}$ 16 et *G* : *om* gloriae nitesceret 18 uetera *Budensis* : uera (*pro* ueta; *Muretus* uerum) 20 boniensi *pr* 21 rodiis 24 conuolsis (*idem H.* 2 94 conuolsum, *sed* 12 57 conuulsis, *prior* 1 32 conuulsos, 4 62 conuulsa; *cf. ad* 15 33) 30 c$\overset{e}{\cdot}$terum 31 indignas sordes *Iacob* : indigna sortes (indignasque sordes *Heinsius*)

suae attulit ante sententiam senatus. Tarquitius tamen curia exactus est, quod patres odio delatoris contra ambitum Agrippinae pervicere.

Eodem anno saepius audita vox principis, parem vim 60
rerum habendam a procuratoribus suis iudicatarum ac si ipse statuisset. Ac ne fortuito *eo* prolapsus videretur, senatus quoque consulto cautum plenius quam antea et uberius. Nam divus Augustus apud equestres, qui Aegypto praesiderent, lege agi decretaque eorum perinde haberi iusserat, ac si magistratus Romani constituissent; mox alias per provincias et in urbe pleraque concessa sunt, quae olim a praetoribus noscebantur. Claudius omne ius tradidit, de quo totiens seditione aut armis certatum, cum Semproniis rogationibus equester ordo in possessione iudiciorum locaretur, aut rursum Serviliae leges senatui iudicia redderent, Mariusque et Sulla olim de eo vel praecipue bellarent. Sed tunc ordinum diversa studia, et quae vicerant publice valebant. C. Oppius et Cornelius Balbus primi Caesaris opibus potuere conditiones pacis et arbitria belli tractare. Matios posthac et Vedios et cetera equitum Romanorum praevalida nomina referre nihil attinuerit, cum Claudius libertos, quos rei familiari praefecerat, sibique et legibus adaequaverit.

Rettulit dein de inmunitate Cois tribuenda, multaque 61
super antiquitate eorum memoravit: Argivos vel Coeum, Latonae parentem, vetustissimos insulae cultores; mox adventu Aesculapii artem medendi inlatam maximeque inter posteros eius celebrem fuisse, nomina singulorum referens, et quibus quisque aetatibus viguissent. Quin etiam dixit Xenophontem, cuius scientia ipse uteretur, eadem familia ortum, precibusque eius dandum, ut omni tributo vacui in posterum Coi sacram et tantum dei ministram insulam colerent. Neque dubium habebatur multa eorundem in populum Romanum merita sociasque victorias potuisse tradi: set Claudius,

5 iudicatarum *R* : iudicaturum 6 *fortuito eo : fortuito 8 aug. equites Romanos *Baiter* 9 perinde *G* : ꝑde 18 condiciones 19 mathios 23 de Inde inmuniate te cois 24 argios *pr* Coeum *Mercerus* : cū 28 xenofontem 31 Insilam 32 *habebatur : haberetur (habetur *L*; *cf.* 2 26) 33 potuisse tradi : sed *R* : potuisset tradidisset

facilitate solita quod uni concesserat, nullis extrinsecus adiumentis velavit.

62 At Byzantii data dicendi copia, cum magnitudinem onerum apud senatum deprecarentur, cuncta repetivere. Orsi a foedere quod nobiscum icerant, qua tempestate bellavimus adversus regem Macedonum, cui ut degeneri Pseudophilippi vocabulum inpositum, missas posthac copias in Antiochum, Persen, Aristonicum, et piratico bello adiutum Antonium memorabant, quaeque Sullae aut Lucullo aut Pompeio obtulissent, mox recentia in Caesares merita, quando ea loca insiderent, quae transmeantibus terra marique ducibus exercitibusque, simul vehendo commeatui opportuna forent.

63 Namque artissimo inter Europam Asiamque divortio Byzantium [in extrema Europae] posuere Graeci, quibus Pythium Apollinem consulentibus, ubi conderent urbem, redditum oraculum est, quaererent sedem caecorum terris adversam. Ea ambage Chalcedonii monstrabantur, quod priores illuc advecti, praevisa locorum utilitate, peiora legissent. Quippe Byzantium fertili solo, fecundo mari, quia vis piscium in meatu Ponti erumpens et obliquis subter undas saxis exterrita, omisso alterius litoris flexu, hos ad portus defertur. Vnde primo quaestuosi et opulenti; post magnitudine onerum urgente finem aut modum orabant, adnitente principe, qui Thraecio Bosporanoque bello recens fessos iuvandosque rettulit. Ita tributa in quinquennium remissa.

64 M. Asinio M'. Acilio consulibus mutationem rerum in deterius portendi cognitum est crebris prodigiis. Signa ac tentoria militum igne caelesti arsere. Fastigio Capitolii examen apium insedit. Biformes hominum partus, et suis fetum

Ch. 54

3 ad bizantii (*sic*) dicenda 4 bonerum 5 icerant ς : iecerant (fecerant *Ernesti*) tempesta 6 pseudo filippi 8 memorabant. quaeque *Acidalius*: memorabantq: quę 12 commeatui *Budensis*: commeatu 13 bizantium *et sic paulo post* 14 *[in—Europae] Europa *R* pithium 16 caecorum *R*: greco 19 *in meatu Ponti: In meta pontum 22 quaestuosi *G*: quaestosi 24 threcio bosphoranoque fessos *G*: fessus 26 M. Asinio *Vertranius*: Masilinio M'. Acilio *Ernesti*: macilio cōs. 29 partus *G*: paratus

editum, cui accipitrum ungues inessent,..Numerabatur inter ostenta deminutus omnium magistratuum numerus, quaestore, aedile, tribuno ac praetore et consule paucos intra menses defunctis. Sed in praecipuo pavore Agrippina, vocem Claudii, quam temulentus iecerat, fatale sibi ut coniugum flagitia ferret, dein puniret, metuens, agere et celerare statuit, perdita prius Domitia Lepida, muliebribus causis, quia Lepida minore Antonia genita, avunculo Augusto, Agrippinae sobrina prior ac Cn. *Domitii*, mariti eius, soror, parem sibi claritudinem credebat. Nec forma aetas opes multum distabant; et utraque inpudica infami violenta, haud minus vitiis aemulabantur, quam siqua ex fortuna prospera acceperant. Enimvero certamen acerrimum, amita potius an mater apud Neronem praevaleret: nam Lepida blandimentis ac largitionibus iuvenilem animum devinciebat, truci contra ac minaci Agrippina, quae, filio dare imperium *propera*, tolerare imperitantem nequibat. Ceterum obiecta sunt, quod coniugem principis de- 65
votionibus petivisset quodque parum coercitis per Calabriam servorum agminibus pacem Italiae turbaret. Ob haec mors indicta, multum adversante Narcisso, qui Agrippinam magis magisque suspectans prompsisse inter proximos ferebatur certam sibi perniciem, seu Britannicus rerum seu Nero poteretur, verum ita de se meritum Caesarem, ut vitam usui eius inpenderet. Convictam Messalinam et Silium; pares iterum accusandi causas esse [si Nero imperitaret Britannico successore]. Nullum principi metum: at novercae insidiis domum omnem convelli, maiore flagitio quam si inpudicitiam prioris coniugis retinuisset. Quamquam ne inpudicitiam quidem nunc abesse Pallante adultero, ne quis ambigat decus

1 ediditum *inessent,.. : inessent. (*expleo* nuntiauerant) 2 magistratum *pr* 3 *aedile : aelidi (aedili *vulgo*) 7 Domitia Lepida *Pichena* : domitiale quia ϛ : qua (*fortasse fuit* q̄a. *vel* q̄a$_{o}$, *id est* quando) 9 *Cn. Domitii : ·C·N· 11 *infami : infamis 16 *imperium propera : Imperium (*explevi* p̄pa, *h. e.* propera) 22 brittannicus 25 si—successore *seclusit Freinsheim, idem falso etiam* nullum—at) britannico (*sic*) succesore. 26 metum *Ferrarius et Muretus* : meritum at *Muretus et Pichena* : ad (a *manifestum est*, d *evanidum*; ac *ed. princeps*) 27 quamsi 28 *retinuisset : reticuisset

pudorem corpus, cuncta regno viliora *eam* habere. Haec atque talia dictitans amplecti Britannicum, robur aetatis quam maturrimum precari, modo ad deos, modo ad ipsum tendere manus, adolesceret, patris inimicos depelleret, matris etiam interfectores ulcisceretur.

66 In tanta mole curarum valetudine adversa corripitur, refovendisque viribus mollitia caeli et salubritate aquarum Sinuessam pergit. Tum Agrippina, sceleris olim certa et oblatae occasionis propera, nec ministrorum egens, de genere veneni consultavit, ne repentino et praecipiti facinus prodereturr; si lentum et tabidum delegisset, ne admotus supremis Claudius et dolo intellecto ad amorem filii rediret. Exquisitum aliquid placebat, quod turbaret mentem et mortem differret. Deligitur artifex talium vocabulo Locusta, nuper veneficii damnata et diu inter instrumenta regni habita. Eius mulieris ingenio paratum virus, cuius minister e spadonibus
67 fuit Halotus, inferre epulas et explorare gustu solitus. Adeoque cuncta mox pernotuere, ut temporum illorum scriptores prodiderint infusum [delectabili cibo] boleto venenum, nec vim medicaminis statim intellectam, socordiane Claudii incertum an vinolentia; simul soluta alvus subvenisse videbatur. Igitur exterrita Agrippina, et quando ultima timebantur, spreta praesentium invidia, provisam iam sibi Xenophontis medici conscientiam adhibet. Ille tamquam nisus evomentis adiuvaret, pinnam rapido veneno inlitam faucibus eius demisisse creditur, haud ignarus summa scelera incipi cum periculo, peragi cum praemio.

68 Vocabatur interim senatus, votaque pro incolumitate principis consules et sacerdotes nuncupabant, cum iam exanimis vestibus et fomentis obtegeretur, dum *e* re *quae* forent

1 *eam habere : habere (haberi *Grotius*) 2 brittannicum 6 ualitudine *G* 7 sabritate *pr* 19 *[delectabili cibo] boleto : delectabili cibo leto (ci *paene evanidum est;* boleto ς; delectabili boleto *Wurm*, delectabili cibo *Orelli*) 20 *Claudii incertum an : an claudii ui. an (Claudii an *R*) 21 *fortasse* uinulentia (*cf.* 11 16, 13 20) 25 adiuuaret *G* : adiuuare. (*sic*) 26 Incipi (*post hoc unius litterae rasura est*) 28 uacabatur 30 *e re quae : re (res *G*, quae res *Agricola*, quae e re *Heinsius*) forent (*puncta m. rc*)

firmando Neronis imperio componuntur. Iam primum Agrippina, velut dolore victa et solacia conquirens, tenere amplexu Britannicum, veram paterni oris effigiem appellare ac variis artibus demorari, ne cubiculo egrederetur. Antoniam quoque et Octaviam, sorores eius, attinuit, et cunctos aditus custodiis clauserat, crebroque vulgabat ire in melius valitudinem principis, quo miles bona in spe ageret tempusque prosperum ex monitis Chaldaeorum adventaret. Tunc medio diei, tertium ante idus Octobris, foribus Palatii 69 repente diductis, comitante Burro Nero egreditur ad cohortem, quae more militiae excubiis adest. Ibi monente praefecto faustis vocibus exceptus inditur lecticae. Dubitavisse quosdam ferunt, respectantes rogitantesque ubi Britannicus esset: mox nullo in diversum auctore quae offerebantur secuti sunt. Illatusque castris Nero et congruentia tempori praefatus, promisso donativo ad exemplum paternae largitionis, imperator consalutatur. Sententiam militum secuta patrum consulta, nec dubitatum est apud provincias. Caelestesque honores Claudio decernuntur et funeris sollemne perinde ac divo Augusto celebratur, aemulante Agrippina proaviae Liviae magnificentiam. Testamentum tamen haud recitatum, ne antepositus filio privignus iniuria et invidia animos vulgi turbaret.

2 uelud euicta *Heinsius* 3 brittannicum 8 chaldeorum 12 faustis *Ernesti*: festis 13 brittannicus 17 consalutatur *Puteolanus*: c̃sultatur 21 ꝙauiaaelibiae 23 animos *G*: animo. Explicit cornelii taciti Liber duodecimus. Inciꝑ XIII. *Rubris litteris in infimo margine*: Nero Imperator efficitur.

LIBER XIII.

BREVIARIVM. C. 1—10. Anni a Ch. 54 menses postremi quattuor, initia Neronis imperatoris. Prima novo principatu Iunii Silani, proconsulis Asiae, mors patratur, dein Narcissi liberti; qui subversi struente Agrippina, et iam in caedes ibatur, ni obviam issent Burrus et Seneca, sociato studio inhibentes atrocis mulieris ferociam (1—2). Decretum Claudio censorium funus; laudationem princeps exorditur oratione a Seneca composita: scilicet Nero primus eorum qui rerum potiti sunt alienae facundiae indigus fuit (3). Idem curiam ingressus capessendi a se imperii rationem describit, bona omnia pollicetur. Nec defuit fides, multaque arbitrio senatus bene constituta, adversante quamvis Agrippina (4—5). Fine anni turbidi rumores de Parthis in Armeniam prorumpentibus, sed a principe rebus Orientis sapienter provisum, et Parthi Armenia prohibiti sunt (6—7). Immodica ob id senatus laetitia, eo magis quod Domitius Corbulo retinendae Armeniae praepositus erat. Is Vologesen, Parthorum regem, bello absterret obsidesque impetrat, non sine certamine adversus Vmmidium Quadratum, Syriae rectorem (8—9). Eodem anno Nero patris Cn. Domitii memoriam recolit effigie a patribus petita, honores sibi oblatos prohibet, accusatores coercet (10).

C. 11—24. Annus a Ch. 55, Neronis principis 2. Faustum anni principium et bona de Nerone spes (11). Princeps delapsus in amorem libertae cui vocabulum Acte, et matris potentia infracta; quae primo fremere, mox intemperanter demissa (12—13). Pallas ob amicitiam Agrippinae demotus cura rerum quibus a Claudio praepositus erat. Sed Agrippina praeceps ruit ad terrorem et minas, Britannicum crebris sermonibus ostentans tamquam veram dignamque stirpem suscipiendo patris imperio; quis commotus princeps et metu turbatus Britannicum inter convivales mensas veneno tollit, ingenti pavore Octaviae sororis et Agrippinae (14—17). Nero quo memoriam facinoris leniret, largitione potissimos amicorum auget; sed ira matris nullo remedio componi potuit. Ipsa periclitatur, sed insons reperta delatores evertit, amicis beneficia obtinet (18—22). Pallas ac Burrus delati et absoluti (23). Fine anni statio cohortis ludis assidere sueta demovetur; princeps urbem lustrat ex responso haruspicum (24).

C. 25—30. Annus a Ch. 56, imperatoris Neronis 3, qui privatim degener, publice haud contemnendus. Neronis luxus et lascivi per urbem discursus; Iulius Montanus mori adactus (25). In senatu actum de fraudibus libertorum, sed nihil mutandum a principe decernitur (26—27). Imago veteris rei publicae et certamina apud patres. Cura tabularum publicarum a quaestoribus ad praetorios praefectos translata. Varie habita ac saepe mutata eius rei forma (28—29). Isdem consulibus aliquot accusationes, virorum illustrium mortes (30).

C. 31—33. Annus a Ch. 57, imperatoris 4. Coloniae Capua atque Nuceria additis veteranis firmatae, plebei congiarium datum, pecunia aerario illata ad retinendam populi fidem; alia constituta et edicta (31). Dominorum securitati et ultioni, a servis si occiderentur, consultum. Ordini redditur Lurius Varus; Pomponia Graecina, superstitionis externae rea, insons iudicatur a marito (32). Idem annus plures reos habuit damnatos aut absolutos (33).

C. 34—58. Annus a Ch. 58, Neronis imperantis 5. Principis liberalitas in viros nobiles. Cum Parthis bellum resumptum ob possessionem Armeniae. Corbulonis virtus et disciplina; Paccium Orfitum, qui adversus prae-

ceptum cum hoste congressus fususque erat, extra vallum tendere iussit (34—36). Tiridates, ope fratris Vologesis adiutus, infensat Armeniam, sed consilia eius in contrarium versa prudentia Corbulonis (37). Qui ad colloquium cum Tiridate venit, non incustoditus adversum insidias barbarorum (38). Rex discedit, Corbulo bellum persequitur. Ipsum caput Armeniorum Artaxata aggreditur, quae capta et igne deleta. Romae ob ea honores dis et principi habiti profusius (39—41). P. Suillius, delationibus sub Claudio infamis, tandem damnatus (42—43). Octavius Sagitta amore vecors Pontiam de nuptiis tergiversantem ferro transverberat, libidine ante potitus (44). Nec minus insignis eodem anno impudicitia magnorum rei publicae malorum initium. Causa et principium a Sabina Poppaea. Eius feminae maiores, forma, ingenium, mariti Crispinus et Otho. Ad Neronem transgressa Othoni causa evasit, cur ipse in Lusitaniam seponeretur (45—46). Hinc versae res Neronis, qui adhuc flagitiis et facinoribus velamenta quaesivit. Cornelius Sulla ipsi suspectus Massiliensium moenibus coercetur (47). Puteolanis concordia restituta (48). Syracusanis permissum egredi numerum edendis gladiatoribus finitum; ea occasione notescere coepit Paetus Thrasea, virtutis amantissimus (49). Princeps dubitavit an cuncta vectigalia omitti iuberet. Cohibita publicanorum immodestia (50—51). Rei ex provincia Africa (52). Opera legatorum per Germanias coepta (53). Frisii agros vacuos et militum usui sepositos insedere. Abscedere iussi ad principem preces deferunt. Legati civitate Romana donati, ipsi decedere coacti (54). Eosdem agros Ampsivarii occupavere, item pulsi a Romanis, mox deleti a populis Germaniae (55—56). Eadem aestate inter Hermunduros Chattosque certatum, et Chatti paene ad excidium gentis caesi. Civitas Vbiorum improviso malo afflicta (57). Eodem anno arbor Ruminalis arescente trunco deminuta, mox in novos fetus revirescit (58).

Prima novo principatu mors Iunii Silani, proconsulis 1
Asiae, ignaro Nerone per dolum Agrippinae patratur, non quia ingenii violentia exitium irritaverat, segnis et dominationibus aliis fastiditus, adeo ut C. Caesar pecudem auream eum
5 appellare solitus sit: verum Agrippina fratri eius L. Silano necem molita ultorem metuebat, crebra vulgi fama, anteponendum esse vixdum pueritiam egresso Neroni et imperium per scelus adepto virum aetate composita, insontem nobilem et, quod tunc spectaretur, e Caesarum posteris: quippe et
10 Silanus divi Augusti abnepos erat. Haec causa necis. Ministri fuere P. Celer, eques Romanus, et Helius libertus, rei familiari principis in Asia inpositus. Ab his proconsuli venenum inter epulas datum est apertius quam ut fallerent. Nec minus properato Narcissus, Claudii libertus, de cuius iurgiis
15 adversus Agrippinam rettuli, aspera custodia et necessitate

2 patratur *Freinsheim*: paratur 3 exitium *Agricola*: exitū 11 Celer *L*: celerius (*cf. c.* 33) helius *G*: aelius familiari *G*: familiaris 12 *inpositus: Inpositi *cum rasura litterae unius post finalem* ꝓcōs. 15 retuli

extrema ad mortem agitur, invito principe, cuius abditis adhuc vitiis per avaritiam ac prodigentiam mire congruebat.
2 Ibaturque in caedes, nisi Afranius Burrus et Annaeus Seneca obviam issent. Hi, rectores imperatoriae iuventae et, rarum in societate potentiae, concordes, diversa arte ex aequo pollebant, Burrus militaribus curis et severitate morum, Seneca praeceptis eloquentiae et comitate honesta, iuvantes *se* in vicem, quo facilius lubricam principis aetatem, si virtutem aspernaretur, voluptatibus concessis retinerent. Certamen utrique unum erat contra ferociam Agrippinae, quae cunctis malae dominationis cupidinibus flagrans habebat in partibus Pallantem, quo auctore Claudius nuptiis incestis et adoptione exitiosa semet perverterat. Sed neque Neroni infra servos ingenium, et Pallas tristi adrogantia modum liberti egressus taedium sui moverat. Propalam tamen omnes in eam honores cumulabantur, signumque more militiae petenti tribuno dedit 'optimae matris'. Decreti et a senatu duo lictores, flaminium Claudiale, simul Claudio censorium funus et mox
3 consecratio. Die funeris laudationem eius princeps exorsus est; dum antiquitatem generis, consulatus ac triumphos maiorum enumerabat, intentus ipse et ceteri; liberalium quoque artium commemoratio et nihil regente eo triste rei publicae ab externis accidisse pronis animis audita: postquam ad providentiam sapientiamque flexit, nemo risui temperare, quamquam oratio a Seneca composita multum cultus praeferret, ut fuit illi viro ingenium amoenum et temporis eius auribus accommodatum. Adnotabant seniores, quibus otiosum est vetera et praesentia contendere, primum ex iis qui rerum potiti essent Neronem alienae facundiae eguisse. Nam dictator Caesar summis oratoribus aemulus; et Augusto prompta ac profluens quaeque deceret principem eloquentia fuit. Tiberius artem quoque callebat, qua verba expenderet, tum validus sensibus aut consulto ambiguus. Etiam C. Caesaris turbata

3 anneus 4 hi *G* : Ii 5 rarum in societate potentiae *Boxhorn* : parum in societate potentia et 7 comite *pr* 8 *se : om* 15 sui *G* : suae 17 et a *G* : etas 18 flaminium *G* : flamonium 21 ceteris (caeteri *G*) 22 puplice 24 quāquā 26 amenum 28 iis *G* : his 31 quaeque *Ernesti* : quae

mens vim dicendi non corrupit. Nec in Claudio, quotiens meditata dissereret, elegantiam requireres. Nero puerilibus statim annis vividum animum in alia detorsit: caelare pingere, cantus aut regimen equorum exercere; et aliquando carminibus pangendis inesse sibi elementa doctrinae ostendebat.

4 Ceterum peractis tristitiae imitamentis curiam ingressus, et de auctoritate patrum et consensu militum praefatus, consilia sibi et exempla capessendi egregie imperii memoravit, neque iuventam armis civilibus aut domesticis discordiis inbutam; nulla odia, nullas iniurias nec cupidinem ultionis afferre. Tum formam futuri principatus praescripsit, ea maxime declinans, quorum recens flagrabat invidia. Non enim se negotiorum omnium iudicem fore, ut clausis unam intra domum accusatoribus et reis paucorum potentia grassaretur; nihil in penatibus suis venale aut ambitioni pervium; discretam domum et rem publicam. Teneret antiqua munia senatus, consulum tribunalibus Italia et publicae provinciae assisterent: illi patrum aditum praeberent, se mandatis exercitibus consulturum. Nec defuit fides, multaque arbitrio senatus consti-5 tuta sunt: ne quis ad causam orandam mercede aut donis emeretur, ne designatis quaestoribus edendi gladiatores necessitas esset. Quod quidem adversante Agrippina, tamquam acta Claudii subverterentur, obtinuere patres, qui in Palatium ob id vocabantur, ut astaret additis a tergo foribus velo discreta, quod visum arceret, auditus non adimeret. Quin et legatis Armeniorum causam gentis apud Neronem orantibus escendere suggestum imperatoris et praesidere simul parabat, nisi ceteris pavore defixis Seneca admonuisset, venienti matri occurreret. Ita specie pietatis obviam itum dedecori.

6 Fine anni turbidis rumoribus prorupisse rursum Parthos et rapi Armeniam allatum est, pulso Radamisto, qui saepe regni eius potitus, dein profugus, tum quoque bellum

2 dissereret *G*: dissererentur Neꝙ *pr* 3 celare 7 consensu *G*: consensū 8 capescendi 9 neque Inuentam 10 Inbuta (imbutā *G*) 11 praescribsit *inactis* b *et* p 16 rem P 21 quaestoribus *Vrsinus*: qdē quaestoribus 24 assaret additis] obditis *L*, abditis *Gronovius* 25 auditus *L*: aditus (uisus—auditum *praefert Heraeus collato* 2 41 intuentium uisus) 31 mallatum 32 potius *pr* bellum quoque *Nipperdey*

deseruerat. Igitur in urbe sermonum avida, quemadmodum princeps vix septemdecim annos egressus suscipere eam molem aut propulsare posset, quod subsidium in eo qui a femina regeretur, num proelia quoque et obpugnationes urbium et cetera belli per magistros administrari possent, anquirebant. Contra alii melius evenisse disserunt, quam si invalidus senecta et ignavia Claudius militiae ad labores vocaretur, servilibus iussis obtemperaturus. Burrum tamen et Senecam multarum rerum experientia cognitos; et imperatori quantum ad robur deesse, cum octavo decimo aetatis anno Cn. Pompeius, nono decimo Caesar Octavianus civilia bella sustinuerint? Pleraque in summa fortuna auspiciis et consiliis quam telis et manibus geri. Daturum plane documentum, honestis an secus amicis uteretur, si ducem amota invidia egregium, quam si pecuniosum et gratia subnixum per ambi-
7 tum deligeret. Haec atque talia vulgantibus, Nero et iuventutem *Romanam*, proximas per provincias quaesitam supplendis Orientis legionibus, admovere, legionesque ipsas propius Armeniam collocari iubet, duosque veteres reges Agrippam et Antiochum expedire copias, quis Parthorum fines ultro intrarent, simul pontes per amnem Euphraten iungi; et minorem Armeniam Aristobulo, regionem Sophenen Sohaemo cum insignibus regiis mandat. Exortusque in tempore aemulus Vologesi filius Vardanes; et abscessere Armenia Parthi, tam-
8 quam differrent bellum. Sed apud senatum omnia in maius celebrata sunt sententiis eorum, qui supplicationes et diebus supplicationum vestem principi triumphalem, utque ovans urbem iniret, effigiemque eius pari magnitudine ac Martis Vltoris eodem in templo censuere, praeter suetam adulationem laeti, quod Domitium Corbulonem retinendae Armeniae praeposuerat videbaturque locus virtutibus patefactus. Copiae Orientis ita dividuntur, ut pars auxiliarium cum duabus legionibus apud provinciam Suriam et legatum eius Quadratum

2 septẽdecẽ 10 ·C·N· 12 pluraque ꝛ 17 *Romanam : *om* 18 legionibus *G* : regionibus admoueri *Pichena* ꝙIus 20 Antiochum *L* : iochum (*cf. c.* 37) 21 iungi *G* : Iunlu 22 sohoemo 24 Vologesi *Agricola* : uologeso Vardanes *L* : uardanis 28 effigiemque *Nipperdey* : effigiesq;

Vmmidium remaneret, par civium sociorumque numerus Corbuloni esset, additis cohortibus alisque, quae in Cappadocia hiemabant. Socii reges, prout bello conduceret, parere iussi: sed studia eorum in Corbulonem promptiora erant. Qui ut instaret famae, quae in novis coeptis validissima est, itinere propere confecto apud Aegeas, civitatem Ciliciae, obvium Quadratum habuit, illuc progressum, ne, si ad accipiendas copias Syriam intravisset Corbulo, omnium ora in se verteret, corpore ingens, verbis magnificus, et super experientiam sapientiamque etiam specie inanium validus. Ceterum uterque ad Vologesen regem nuntiis *missis* mo- 9
nebant, pacem quam bellum mallet datisque obsidibus solitam prioribus reverentiam in populum Romanum continuaret. Et Vologeses, quo bellum ex commodo pararet, an ut aemulationis suspectos per nomen obsidum amoveret, tradit nobilissimos ex familia Arsacidarum. Accepitque eos centurio Insteius ab Vmmidio missus, forte priore de causa adito rege. Quod postquam Corbuloni cognitum est, ire praefectum cohortis Arrium Varum et reciperare obsides iubet. Hinc ortum inter praefectum et centurionem iurgium ne diutius externis spectaculo esset, arbitrium rei obsidibus legatisque, qui eos ducebant, permissum. Atque illi recentem *ob* gloriam, et inclinationem quandam etiam hostium, Corbulonem praetulere. Vnde discordia inter duces, querente Vmmidio praerepta quae suis consiliis patravisset, testante contra Corbulone non prius conversum regem ad offerendos obsides quam ipse dux bello delectus spes eius ad metum mutaret.

1 umidiū remanerent *Agricola* par *Puteolanus* : pars 2 adesset *potius* alisque, quae *R* : aliis quaeq; in *Bekker* : *om* 4 iussi *G* : iussit 5 instaret *Haase* : *om* (*cf. Agr.* 18, *H.* 3 52; famae inseruiret *G*) nobis cęptis 6 Aegeas *L* : egeas 9 magnificus *G* : magnificis (*per errorem assimilandi*) 10 inanium *G* : inanimū 11 uologese³ *nuntiis missis : nuntiis 14 commodo *Muretus* : qmodo pararent *pr* (*sic*) 17 Instelus (*cf.* 13 39) umidio, *perinde statim* 22 ille *pr* *recentem ob : recentē (ob recentem *G*, per rec. *Weissenborn*, propter rec. *Halm*, recentem gloria *Nipperdey*) 23 inclinationē quandam *Weissenborn* : quadam (inclinatione quadam *L*) Corbulonem ς : corbulone (in Corbulone *Haase*)

Nero quo conponeret diversos, sic evulgari iussit: ob res a Quadrato et Corbulone prospere gestas laurum fascibus imperatoriis additam. Quae in alios consules egressa coniunxi.

10 Eodem anno Caesar effigiem Cn. Domitio patri et consularia insignia Asconio Labeoni, quo tutore usus erat, petivit a senatu; sibique statuas argento vel auro solidas adversus offerentes prohibuit. Et quamquam censuissent patres, ut principium anni inciperet mense Decembri, quo ortus erat Nero, veterem religionem kalendarum Ianuariarum inchoando anno retinuit. Neque recepti sunt inter reos Carrinas Celer senator, servo accusante, aut Iulius Densus equester, cui favor in Britannicum crimini dabatur.

11 Claudio Nerone L. Antistio consulibus cum in acta P. Ch. principum iurarent magistratus, in sua acta collegam Anti-55 stium iurare prohibuit, magnis patrum laudibus, ut iuvenilis animus levium quoque rerum gloria sublatus maiores continuaret. Secutaque lenitas in Plautium Lateranum, quem ob adulterium Messalinae ordine demotum reddidit senatui, clementiam suam obstringens crebris orationibus, quas Seneca, testificando quam honesta praeciperet, vel iactandi ingenii, voce principis vulgabat.

12 Ceterum infracta *est* paulatim potentia matris, delapso Nerone in amorem libertae, cui vocabulum Acte fuit, simul assumptis in conscientiam *M.* Othone et Claudio Senecione, adulescentulis decoris, quorum Otho familia consulari, Senecio liberto C. Caesaris patre genitus, ignara matre, dein frustra obnitente, penitus inrepserat per luxum et ambigua secreta, ne senioribus quidem principis amicis adversantibus, muliercula nulla cuiusquam iniuria cupidines principis explente,

1 cōponeret diuersos *G* : diuersus 3 *additam : addidit (addi *Puteolanus*) cōs. coniunxi *R* : coniuncxit 4 ·ℰN· 7 censuissēt (*sic*) 10 carrinas (*vulgo* Carinas; *cf.* 15 45, *Iuvenal.* 7 205) 11 eques R. *Muretus* (*cf.* 12 60) 12 fabor brittannicum 13 cōs 17 Plautium *R* : platium (Plantium *Puteolanus et Beroaldus*) 18 demotum *corr* : remotum ς, *ut fuit in Mediceo, sed cf. c.* 14 *et* 2 43 22 *est : *om* potentiā 23 amore bocabulum *pr* 24 *M. Othone : othone 26 C. *Spengel* : *om* 27 obnitente *Puteolanus* : obnitentē (obtinente *G*) inrepserant *L*, *sed* genitus, *tam de Othone quam Senecione dictum, postulabat* inrepserat

quando uxore ab Octavia, nobili quidem et probitatis spectatae, fato quodam, an quia praevalent inlicita, abhorrebat; metuebaturque ne in stupra feminarum illustrium prorumperet, si illa libidine prohiberetur.

Sed Agrippina libertam aemulam, nurum ancillam alia- 13
que eundem in modum muliebriter fremere. Neque poenitentiam filii aut satietatem opperiri, quantoque foediora exprobrabat, acrius accendere, donec vi amoris subactus exueret obsequium in matrem seque Senecae permitteret, ex cuius familiaribus Annaeus Serenus simulatione amoris adversus eandem libertam primas adulescentis cupidines velaverat praebueratque nomen, ut quae princeps furtim mulierculae tribuebat, ille palam largiretur. Tum Agrippina versis artibus per blandimenta iuvenem adgredi, suum potius cubiculum ac sinum offerre contegendis quae prima aetas et summa fortuna expeterent: quin et fatebatur intempestivam severitatem et suarum opum, quae haud procul imperatoriis aberant, copias tradebat, ut nimia nuper coercendo filio, ita rursum intemperanter demissa. Quae mutatio neque Neronem fefelliti et proximi amicorum metuebant orabantque cavere insidias mulieris semper atrocis, tum et falsae. Forte illis diebus Caesar inspecto ornatu, quo principum coniuges ac parentes effulserant, deligit vestem et gemmas, misitque donum matr, nulla parsimonia, cum praecipua et cupita aliis prior deferret. Sed Agrippina non his instrui cultus suos, sed ceteris *se* arceri proclamat et dividere filium, quae cuncta ex ipsa haberet. Nec defuere qui in deterius referrent. Et Nero infensus iis, quibus superbia muliebris innitebatur, demovet Pallantem cura rerum, quis a Claudio impositus velut arbitrium regni agebat; ferebaturque degrediente eo magna prosequentium multitudine non absurde dixisse, ire Pallantem 14
ut eiuraret. Sane pepigerat Pallas ne cuius facti in praeteri-

1 octabia 2 facto aborrebant (t *vetere manu*) 5 liberta 6 poenitentiam *Puteolanus* : penitentiam 7 fediora 8 accendere *G* : accenderet exsueret 9 Senecae *Muretus* : nece 11 uelaberat *pr* 16 nitempestiuam *G* : intempestatē 18 tradebant (t *vetere m.*) 21 atrocius 23 efulserant 25 *se : *om* 29 uelud 32 pe *pro* ne *pr* (*sic*) Inpteritu

tum interrogaretur paresque rationes cum re publica haberet. Praeceps posthac Agrippina ruere ad terrorem et minas, neque principis auribus abstinere quo minus testaretur, adultum iam esse Britannicum, veram dignamque stirpem suscipiendo patris imperio, quod insitus et adoptivus per iniurias matris exerceret. Non abnuere se quin cuncta infelicis domus mala patefierent, suae in primis nuptiae, suum veneficium: id solum deis et sibi provisum quod viveret privignus. Ituram cum illo in castra; audiretur hinc Germanici filia, inde vilis rursus Burrus et exul Seneca, trunca scilicet manu et professoria lingua generis humani regimen expostulantes. Simul intendere manus, aggerere probra, consecratum Claudium, infernos Silanorum manes invocare et tot inrita facinora. Turbatus his Nero et propinquo die, quo quartum decimum aetatis annum Britannicus explebat, volutare secum modo matris violentiam, modo ipsius indolem, levi quidem experimento nuper cognitam, quo tamen favorem late quaesivisset. Festis Saturno diebus inter alia aequalium ludicra regnum lusu sortientium evenerat ea sors Neroni; igitur ceteris diversa nec ruborem allatura: ubi Britannico iussit exsurgeret progressusque in medium cantum aliquem inciperet, inrisum ex eo sperans pueri sobrios quoque convictus, nedum temulentos ignorantis, ille constanter exorsus est carmen, quo evolutum eum sede patria rebusque summis significabatur. Vnde orta miseratio manifestior, quia dissimulationem nox et lascivia exemerat. Nero intellecta invidia odium intendit; urgentibusque Agrippinae minis, quia nullum crimen, neque iubere caedem fratris palam audebat, occulta molitur pararique venenum iubet, ministro Pollione Iulio, praetoriae cohortis tribuno, cuius cura attinebatur damnata vene-

1 cū ·RP· 2 ruere *G* : rueret 4 brittannicum 5 adoptiu; (*sic, h. e.* adoptiuus) 6 abnuere se quin *G* : abnueret seq^{n} (n *ab alt. m.*) 7 beneficium 8 *deis : diis 9 inde uilis *Agricola* : indebilis (inde debilis *L*) 11 expostulantes *G* : expostulantis 13 inferno 15 brittannicus, *mox* brittannico, *c.* 16 brittanico, *tum* brittannico *et* brittannicus, *c.* 17 brittannici, *item c.* 19, *c.* 21 brittannico 16 leui quidem *Freinsheim* : ut qdā 17 faborem *pr* 18 equalium ludicā 19 regnum *Puteolanus* : ·R· regnum 27 *fortasse* confingere crimen

ficii nomine Locusta, multa scelerum fama. Nam ut proximus quisque Britannico neque fas neque fidem pensi haberet, olim provisum erat. Primum venenum ab ipsis educatoribus accepit, tramisitque exoluta alvo parum validum, sive temperamentum inerat ne statim saeviret. Sed Nero lenti sceleris inpatiens minitari tribuno, iubere supplicium veneficae, quod, dum rumorem respiciunt, dum parant defensiones, securitatem morarentur. Promittentibus dein tam praecipitem necem quam si ferro urgeretur, cubiculum Caesaris iuxta decoquitur virus cognitis antea venenis rapidum. Mos 16 habebatur principum liberos cum ceteris idem aetatis nobilibus sedentes vesci in aspectu propinquorum propria et parciore mensa. Illic epulante Britannico, quia cibos potusque eius delectus ex ministris gustu explorabat, ne omitteretur institutum aut utriusque morte proderetur scelus, talis dolus repertus est. Innoxia adhuc ac praecalida et libata gustu potio traditur Britannico; dein, postquam fervore aspernabatur, frigida in aqua affunditur venenum, quod ita cunctos eius artus pervasit, ut vox pariter et spiritus raperentur. Trepidatur a circumsedentibus, diffugiunt inprudentes: at quibus altior intellectus, resistunt defixi et Neronem intuentes. Ille ut erat reclinis et nescio similis, solitum id ait per comitialem morbum, quo prima ab infantia afflictaretur Britannicus, et redituros paulatim visus sensusque. At Agrippinae is pavor, ea consternatio mentis, quamvis vultu premeretur, emicuit, ut perinde ignaram fuisse atque Octaviam, sororem Britannici, constiterit: quippe sibi supremum auxilium ereptum et parricidii exemplum intellegebat. Octavia

2 haberet] *malim* haberent; *cf.* 1 30 *et* 44, 4 50, 6 16=22 *et* 35=41 *et* 36=42 *et* 37=43 *et* 42=48, 12 38 *et* 43 *et* 61, 13 36, 14 18, 15 15 *et* 35; *singularis recte adest* 14 44) 4 tramisitque (ns *ab alt. m.*) albo *pr* 6 sup|supplicium uenefice 8 securitatem *Puteolanus*: securitate 9 urgerentur 10 deqquitur mox *pr* 13 cibos *Danesius*: cibus 14 ministri (*unius litterae post finem* ministri *rasura*) explorabat *Danesius*: explorabat (*sic*) 15 omitteretur *B*: omitteret 17 ferbore 19 spiritus *liber Parisinus*: spiritus eius 22 id ait: ita ait 23 prima *Agricola*: primum 24 agrippina 26 atque *Faernus*: *om* (ac *omisso* Octauiam *Brotier*, quam *Otto ad* 1 18) octabia

quoque, quamvis rudibus annis, dolorem caritatem, omnis af-
17 fectus abscondere didicerat. Ita post breve silentium repetita convivii laetitia. Nox eadem necem Britannici et rogum coniunxit, proviso ante funebri paratu, qui modicus fuit. In campo tamen Martis sepultus est adeo turbidis imbribus, ut vulgus iram deum portendi crediderit adversus facinus, cui plerique etiam [hominum] ignoscebant, antiquas fratrum discordias et insociabile regnum aestimantes. Tradunt plerique eorum temporum scriptores, crebris ante exitium diebus illusum isse pueritiae Britannici Neronem, ut iam non praematura neque saeva mors videri queat, quamvis inter sacra mensae, ne tempore quidem ad complexum sororum dato, ante oculos inimici properata sit in illum supremum Claudiorum sanguinem, stupro prius quam veneno pollutum. Festinationem exequiarum edicto Caesar defendit, iam a maioribus institutum referens, subtrahere oculis acerba funera neque laudationibus aut pompa detinere. Ceterum et sibi amisso fratris auxilio reliquas spes in re publica sitas, et tanto magis fovendum patribus populoque principem, qui unus superesset e familia summum ad fastigium genita.
18 Exin largitione potissimos amicorum auxit. Nec defuere qui arguerent viros gravitatem adseverantes, quod domos villas id temporis quasi praedam divisissent. Alii necessitatem adhibitam credebant a principe, sceleris sibi conscio et veniam sperante, si largitionibus validissimum quemque obstrinxisset. At matris ira nulla munificentia leniri, sed amplecti Octaviam, crebra cum amicis secreta habere, super ingenitam avaritiam undique pecunias quasi in subsidium corripiens, tribunos et centuriones comiter excipere, nomina et virtutes nobilium, qui etiam tum supererant, in honore ha-

1 omnis afectus 3 coniuncxit 6 dñ ꝛtendi 7 *[hominum] 8 extimantes *correctum vetere m.* estimantes 10 isse *L* : esse 15 exeqarum ediceo *pr* *defendit, iam a maioribus : defendit. Id maioribus (defendit, ita maioribus *Halm*) 17 petinere (d *vetere m.*) et sibi *G* : exibi *pr* 18 ām̃isso re .p. 19 fobendum 22 arguere 24 scelere 25 quenq; 26 obstrincxisset liniri 27 amici

bere, quasi quaereret ducem et partes. Cognitum id Neroni, excubiasque militares, quae ut coniugi imperatoris olim, tum ut matri servabantur, et Germanos nuper eundem in honorem custodes additos digredi iubet. Ac ne coetu salutantium frequentaretur, separat domum matremque transfert in eam quae aviae Antoniae fuerat, quotiens ipse illuc ventitaret, septus turba centurionum et post breve osculum digrediens. Nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est quam 19 fama potentiae non sua vi nixae. Statim relictum Agrippinae limen: nemo solari, nemo adire praeter paucas feminas, amore an odio incertas. Ex quibus erat Iunia Silana, quam matrimonio C. Silii a Messalina depulsam supra rettuli, insignis genere forma lascivia, et Agrippinae diu percara, mox occultis inter eas offensionibus, quia Sextium Africanum, nobilem iuvenem, a nuptiis Silanae deterruerat Agrippina, inpudicam et vergentem annis dictitans, non ut Africanum sibi seponeret, sed ne opibus et orbitate Silanae maritus poteretur. Illa spe ultionis oblata parat accusatores ex clientibus suis, Iturium et Calvisium, non vetera et saepius iam audita disserens, quod Britannici mortem lugeret aut Octaviae iniurias evulgaret, sed destinavisse eam Rubellium Plautum, per maternam originem pari ac Neronem gradu a divo Augusto, ad res novas extollere coniugioque eius et iam imperio rem publicam rursus invadere. Haec Iturius et Calvisius Atimeto, Domitiae Neronis amitae liberto, aperiunt. Qui laetus oblatis (quippe inter Agrippinam et Domitiam infensa aemulatio exercebatur) Paridem histrionem, libertum et ipsum Domitiae, impulit ire propere crimenque atrociter deferre. Provecta nox erat et Neroni per vinulentiam trahe- 20

2 olim, tum *L* : solitum 3 nuper eundem in *Böttticher* : super eundem 4 degredi *Ernesti* coetus *pr* 6 auiae *Nipperdey* (*ipse praefert* proauiae) : *om* 7 sęptus (*cf. ad* 1 5) 9 nixae *L* : nixa 11 incertum *G* Iunia *L* : Iulia 12 silia messalina 13 lausciuia 18 spe ultionis *Puteolanus* (*non Lipsius, ut narrant*) : speculationis (*vitium recenti m. correctum est*) 20 disserens *Heinsius* : differens (deferens *Puteolanus*) 22 Neronem *Heinsius* : nero dibo *pr* 23 et iam imperio *Gronovius* : etiam perio (et imperio *Nipperdey*) 24 rem p̃. 29 uinulentiam

batur, cum ingreditur Paris, solitus alioquin id temporis luxus principis intendere, sed tunc compositus ad maestitiam, expositoque indicii ordine ita audientem exterret, ut non tantum matrem Plautumque interficere, sed Burrum etiam demovere praefectura destinaret tamquam Agrippinae gratia provectum et vicem reddentem. Fabius Rusticus auctor est, scriptos esse ad Caecinam Tuscum codicillos, mandata ei praetoriarum cohortium cura, sed ope Senecae dignationem Burro retentam: Plinius et Cluvius nihil dubitatum de fide praefecti referunt; sane Fabius inclinat ad laudes Senecae, cuius amicitia floruit. Nos consensum auctorum secuturi, quae diversa prodiderint, sub nominibus ipsorum trademus. Nero trepidus et interficiendae matris avidus non prius differri potuit quam Burrus necem eius promitteret, si facinoris coargueretur: sed cuicumque, nedum parenti defensionem tribuendam; nec accusatores adesse, sed vocem unius ex inimica domo afferri: reputaret tenebras et vigilatam convivio noctem omniaque temeritati et inscitiae propiora.
21 Sic lenito principis metu et luce orta itur ad Agrippinam, ut nosceret obiecta dissolveretque vel poenas lueret. Burrus iis mandatis Seneca coram fungebatur; aderant et ex libertis arbitri sermonis. Deinde a Burro, postquam crimina et auctores exposuit, minaciter actum. Et Agrippina ferociae memor 'non miror' inquit 'Silanam, numquam edito partu, matrum affectus ignotos habere: neque enim perinde a parentibus liberi quam ab inpudica adulteri mutantur. Nec si Iturius et Calvisius adesis omnibus fortunis novissimam suscipiendae accusationis operam anui rependunt, ideo aut mihi infamia parricidii aut Caesari conscientia subeunda est. Nam Domitiae inimicitiis gratis agerem, si benivolentia mecum in Neronem meum certaret: nunc per concubinum Atimetum et histrionem Paridem quasi scenae fabulas componit. Baiarum suarum piscinas extollebat, cum meis con-

12 quae *G* : q̄ (*debebat* q̄) 15 cuicūque 17 reputaret *L* : re futare 20 pena (s *vetere m.*) 22 arbitris *pr* 25 perinde *Puteolanus* : ꝑInde 28 suscipiendae *G* : suscipiendā 30 *gratis : gratias 31 concubinum *Puteolanus* : concubinam 32 scene

siliis adoptio et proconsulare ius et designatio consulatus et cetera apiscendo imperio praepararentur. Aut existat qui cohortes in urbe temptatas, qui provinciarum fidem labefactatam, denique servos vel libertos ad scelus corruptos arguat. Vivere ego Britannico potiente rerum poteram? Ac si Plautus aut quis alius rem publicam iudicaturus obtinuerit, desunt scilicet mihi accusatores, qui non verba impatientia caritatis aliquando incauta, sed ea crimina obiciant, quibus nisi a filio absolvi non possim.' Commotis qui aderant ultroque spiritus eius mitigantibus, colloquium filii exposcit, ubi nihil pro innocentia, quasi diffideret, nec de beneficiis, quasi exprobraret, disseruit, sed ultionem in delatores et praemia amicis obtinuit. Praefectura annonae Faenio Rufo, cura lu- 22
dorum, qui a Caesare parabantur, Arruntio Stellae, Aegyptus Claudio Balbillo permittuntur. Syria P. Anteio destinata, set variis mox artibus elusus, ad postremum in urbe retentus est. At Silana in exilium acta; Calvisius quoque et Iturius relegantur; de Atimeto supplicium sumptum, validiore apud libidines principis Paride quam ut poena afficeretur. Plautus ad praesens silentio transmissus est.

Deferuntur dehinc consensisse Pallas ac Burrus, ut Cor- 23
nelius Sulla claritudine generis et adfinitate Claudii, cui per nuptias Antoniae gener erat, ad imperium vocaretur. Eius accusationis auctor extitit Paetus quidam, exercendis apud aerarium sectionibus famosus et tum vanitatis manifestus. Nec tam grata Pallantis innocentia quam gravis superbia fuit: quippe nominatis libertis eius, quos conscios haberet, respondit nihil umquam se domi nisi nutu aut manu significasse, vel si plura demonstranda essent, scripto usum, ne vocem consociaret. Burrus quamvis reus inter iudices

2 cętera at *edd. ret.* exsistat 5 potentie *pr* 6 rem p. 7 deerunt *Heinsius* 10 spiritus] spm̄ (m *a m. recentiore*) expos scit 11 de *Acidalius* : *om* 13 Faenio *L* : senio (Faenii *nomen, dictum a faeno, septies per* ae *effert Mediceus* 14 51, 15 50 *et* 53 *et* 61 *et* 66 (*bis*) *et* 68, *bis per* e 14 57, 16 12, *et* ae *tituli veteres plerumque habent*) 14 aegiptus 15 *Claudio : Ꝺ. (= *C.; cf. Corp. I. Gr.* 4699. 4730. 4957, 28) P. Anteio *L* : panteIo 16 sed *Heinsius* : et 22 cui *R* : q 28 ūquam

sententiam dixit. Exiliumque accusatori inrogatum et tabulae exustae sunt, quibus obliterata aerarii nomina retrahebat.

24 Fine anni statio cohortis adsidere ludis solita demovetur, quo maior species libertatis esset, utque miles theatrali licentiae non permixtus incorruptior ageret et plebes daret experimentum, an amotis custodibus modestiam retineret. Vrbem princeps lustravit ex responso haruspicum, quod Iovis ac Minervae aedes de caelo tactae erant.

25 Q. Volusio P. Scipione consulibus otium foris, foeda P. Ch. domi lascivia, qua Nero itinera urbis et lupanaria et deverti- 56 cula veste servili in dissimulationem sui compositus pererrabat, comitantibus qui raperent venditioni exposita et obviis vulnera inferrent, adversus ignaros adeo, ut ipse quoque exciperet ictus et ore praeferret. Deinde ubi Caesarem esse qui grassaretur pernotuit, augebanturque iniuriae adversus viros feminasque insignes, et quidam permissa semel licentia sub nomine Neronis inulti propriis cum globis eadem exercebant, in modum captivitatis nox agebatur; Iuliusque Montanus, senatorii ordinis, sed qui nondum honorem capessisset, congressus forte per tenebras cum principe, quia vim...attemptantem acriter reppulerat, deinde adgnitum oraverat, quasi exprobrasset, mori adactus est. Nero tum metuentior in posterum milites sibi et plerosque gladiatores circumdedit, qui rixarum initia modica et quasi privata sinerent: si a laesis validius ageretur, arma inferebant. Ludicram quoque licentiam et fautores histrionum velut in proelia convertit inpunitate et praemiis, atque ipse occultus et plerumque coram prospectans, donec discordi populo et gravioris motus terrore non aliud remedium repertum est, quam

1 exiliumque *G*: auxiliumque 2 nomina *Gronovius*: monim̄ta retrahebāt (trahebat *G*) 4 fine anni *G*: finē annis 8 ex *ed. princeps*: et aruspicum *pr* 9 iobis *pr* 10 cōs. fo̱da 13 uenditioni *corr G*: uenditionē (ad uenditionem ς) 19 in *Iac. Gronovius*: T· (*debuit* Ī, et in *G*) Iuliusque *Orelli*: Iuliusquē 21 congressus *G*: congressi *quia uim...temptantem: qauia tēptātē (*expleas* quia uim aduersus uxorem eius temptantem; *cf. Sueton. Ner.* 26, *Dio* 61 9) 22 adgnitum *R*: adagnitū 23 tū (*sic*, tamen *Petersen*) 27 uelud

ut histriones Italia pellerentur milesque theatro rursum adsideret.

Per idem tempus actum in senatu de fraudibus liber- 26
torum, efflagitatumque ut adversus male meritos revocandae libertatis ius patronis daretur. Nec deerant qui censerent, sed consules relationem incipere non ausi ignaro principe, perscripsere tamen ei consensum senatus. Ille an auctor constitutionis fieret, interrogat paucos et sententiae diversos, quibusdam coalitam libertate inreverentiam eo prorupisse frementibus, *ut*, vine *abscederent* an aequo cum patronis iure agerent, sententiam eorum consultarent, ac verberibus manus ultro intenderent, impune rei vel poenam suam dissuadentes. Quid enim aliud laeso patrono concessum quam ut centesimum ultra lapidem in oram Campaniae libertum releget? Ceteras actiones promiscas et pares esse. Tribuendum aliquod telum quod sperni nequeat. Nec grave *munus* manumissis per idem obsequium retinendi libertatem, per quod adsecuti sint: at criminum manifestos merito ad servitutem retrahi, ut metu coerceantur quos beneficia non mutavis- 27
sent. Disserebatur contra: paucorum culpam ipsis exitiosam esse debere, nihil universorum iuri derogandum; quippe late fusum id corpus. Hinc plerumque tribus decurias, ministeria magistratibus et sacerdotibus, cohortes etiam in urbe conscriptas; et plurimis equitum, plerisque senatoribus non aliunde originem trahi: si separarentur libertini, manifestam fore penuriam ingenuorum. Non frustra maiores, cum dignitatem ordinum dividerent, libertatem in communi posuisse. Quin et manumittendi duas species institutas, ut relinqueretur poenitentiae aut novo beneficio locus. Quos vindicta

4 et flagitatumque *pr* 7 ei consensum *Pichena* : c̄sensum senatus. Ille (*sic codex distinguit*) 8 *interrogat : ut inter (consuluit inter *Bezzenberger*) diuersos *L* : adūsos 9 libertatē 10 *ut, uine abscederent : uine (ut, uine *Ernesti*) 12 *impune rei : Impulere (impune *Muretus*, impune fere *Bezzenberger*) penam 13 ut centesimum *L* : uicesimum 14 campaniae *G* : campaniā 15 promissas (promiscuas *Puteolanus*) 16 *munus manumissis : manumissis 18 absecuti 19 detrahi (r *vetere m.*) 27 Incommuni 29 poenitentiae *Puteolanus* penitentiae

patronus non liberaverit, velut vinclo servitutis attineri. Dispiceret quisque merita tardeque concederet quod datum non adimeretur. Haec sententia valuit, scripsitque Caesar senatui, privatim expenderent causam libertorum, quotiens a patronis arguerentur: in commune nihil derogarent. Nec multo post ereptus amitae *eius* libertus Paris quasi iure civili, non sine infamia principis, cuius iussu perpetratum ingenuitatis iudicium erat.

28 Manebat nihilo minus quaedam imago rei publicae. Nam inter .. Vibullium praetorem et plebei tribunum .. Antistium ortum certamen, quod inmodestos fautores histrionum et a praetore in vincla ductos tribunus omitti iussisset. Conprobavere patres, incusata Antistii licentia. Simul prohibiti tribuni ius praetorum et consulum praeripere aut vocare ex Italia cum quibus lege agi posset. Addidit L. Piso, designatus consul, ne quid intra domum pro potestate adverterent, neve multam ab iis dictam quaestores aerarii in publicas tabulas ante quattuor menses referrent; medio temporis contra dicere liceret, deque eo consules statuerent. Cohibita artius et aedilium potestas statutumque quantum curules, quantum plebei pignoris caperent vel poenae irrogarent. Et Helvidius Priscus, tribunus plebei, adversus Obultronium Sabinum, aerarii quaestorem, contentiones proprias exercuit, tamquam ius hastae adversus inopes inclementer augeret. Dein princeps curam tabularum publicarum a quaestoribus ad prae-
29 fectos transtulit. Varie habita ac saepe mutata eius rei forma. Nam Augustus senatui permisit deligere praefectos; deinde ambitu suffragiorum suspecto, sorte ducebantur ex numero

3 scripsitque *G* : scriptaque (*in marg.* scripsit) 4 causa 5 derogarent *Muretus* : derogent 6 *amitae eius : amite 9 nichil ominus rei P 10 ..*Vibullium : bibullium (*expleveris* A. Vibullium) ..*Antistium : antistium (*ortum hoc fortasse ex* tribunūmantistium, *h. e.* tribunum M. Antistium) 12 non probauere *Vrsinus* 14 16 19 cōs. 16 aūterent 17 iis *Puteolanus* : his 20 statumque *pr* 21 paenae et *Gronovius* : eo 22 tribunus plebei *tacite Halm* : TR. PL. (*vulgo* tribunus plebis) 23 tāquā 24 augeret] g *est in rasura* (ageret *Ricklefs*) 25 *fortasse* praetorios praefectos 26 mutata *ed. princeps* : Imitata, *corr* immutata

praetorum qui praeessent. Neque id diu mansit, quia sors deerrabat ad parum idoneos. Tunc Claudius quaestores rursum imposuit, iisque, ne metu offensionum segnius consulerent, extra ordinem honores promisit: sed deerat robur aetatis cum primum magistratum capessentibus. Igitur Nero praetura perfunctos et experientia probatos delegit.

Damnatus isdem consulibus Vipsanius Laenas ob Sardiniam provinciam avare habitam. Absolutus Caesius Proculus repetundarum, Cretensibus accusantibus. Clodius Quirinalis, quod praefectus remigum, qui Ravennae habentur, velut infimam nationum Italiam luxuria saevitiaque afflictavisset, veneno damnationem anteiit. Caninius Rebilus, ex primoribus peritia legum et pecuniae magnitudine, cruciatus aegrae senectae emisso per venas sanguine effugit, haud creditus sufficere ad constantiam sumendae mortis, ob libidines muliebriter infamis. At L. Volusius egregia fama concessit, cui tres et nonaginta anni spatium vivendi praecipuaeque opes bonis artibus, inoffensa tot imperatorum malitia, fuere. 30

Nerone iterum L. Pisone consulibus pauca memoria digna evenere, nisi cui libeat laudandis fundamentis et trabibus, quis molem amphitheatri apud campum Martis Caesar extruxerat, volumina implere, cum ex dignitate populi Romani repertum sit res illustres annalibus, talia diurnis urbis actis mandare. Ceterum coloniae Capua atque Nuceria additis veteranis firmatae sunt, plebeique congiarium quadringeni nummi viritim dati, et sestertium quadringenties aerario inlatum est ad retinendam populi fidem. Vectigal quoque quintae et vicesimae venalium mancipiorum remissum, specie magis quam vi, quia cum venditor pendere iuberetur, in par- 31 P. Ch. 57

5 capessentibus (*alterum* s *in rasura est*) 6 praetura *Pichena*: p̃fectura delecit (*sic*) 7 cõs. lenas 8 abare *pr* *Caesius: cestus (cesius *G in rasura*, Cestius *R*) 9 Cretensibus *Nipperdey*: credentibus 10 rabenne *pr* *habentur: haberentur 11 uelud 12 damnatione³ ante iit (*sigla fortasse a rec. manu*) Caninius Rebilus *L*: ·Ɛ· Aminius rebius 14 emisso *Heinsius*: misso 17 annis *pr* 18 fuere *Heinsius*: fuit 19 *iterum: II. (*ante fuit* secundo *vel* secundum) cõs. 22 ·P̄R̄· 24 actis mandare *G*: actissimā dare ceterum ꝫ: ceterae 25 quadringeni *L*: quadrigeni

tem pretii emptoribus accrescebat. Edixit Caesar, ne quis magistratus aut procurator in provincia *ludum* optineret, spectaculum gladiatorum aut ferarum aut quod aliud ludicrum ederet. Nam ante non minus tali largitione quam corripiendis pecuniis subiectos affligebant, dum quae libidine deliquerant, ambitu propugnant.

32 Factum et senatus consultum ultioni iuxta et securitati, ut, siquis a suis servis interfectus esset, ii quoque, qui testamento manumissi sub eodem tecto mansissent, inter servos supplicia penderent. Redditur ordini Lurius Varus consularis, avaritiae criminibus olim perculsus. Et Pomponia Graecina, insignis femina, Plautio, qui ovans se de Britannis rettulit, nupta ac superstitionis externae rea, mariti iudicio permissa. Isque prisco instituto propinquis coram de capite famaque coniugis cognovit et insontem nuntiavit. Longa hinc Pomponiae aetas, set continua tristitia fuit: nam post Iuliam, Drusi filiam, dolo Messalinae interfectam per quadraginta annos non cultu nisi lugubri, non animo nisi maesto egit; idque illi imperitante Claudio inpune, mox ad gloriam vertit.

33 Idem annus plures reos habuit, quorum P. Celerem accusante Asia, quia absolvere nequibat Caesar, traxit, senecta donec mortem obiret: nam Celer interfecto, ut memoravi, Silano pro consule magnitudine sceleris cetera flagitia obtegebat. Cossutianum Capitonem Cilices detulerant maculosum foedumque et idem ius audaciae in provincia ratum quod in urbe exercuerat; sed pervicaci accusatione conflictatus postremo defensionem omisit ac lege repetundarum damnatus est. Pro Eprio Marcello, a quo Lycia res repetebat, eo usque ambitus praevaluit, ut quidam accusatorum eius exilio multarentur, tamquam insonti periculum fecissent.

2 qui prouinciam *R* *ludum optineret : optineret (optineret *delevit Halm*) 5 dumque libidine 7 S̄C̄. securitati *G* : securitatis 8 siquis Ii *in rasura* 10 Varus *Nipperdey* : uarius 12 Plautio *L* : platio (plantio *G*) Britannis ς : brittanniis 13 suptionis *pr* 15 pronuntiauit *Muretus* hinc *Neue* : huic 16 *set : et 21 asya 23 ꝙcōs. 25 fedumque 28 *Lycia res : lycires (Lycii res *G et vulgo; cf. quod paulo ante legitur* accusante Asia) repetebat (n *a rec. manu*) 30 tāquā

Nerone tertium consule simul iniit consulatum Vale- 34
rius Messala, cuius proavum, oratorem Corvinum, divo p. Ch. 58
Augusto, abavo Neronis, collegam in eo magistratu fuisse pauci iam senum meminerant. Sed nobili familiae honor auctus est oblatis in singulos annos quingenis sestertiis, quibus Messala paupertatem innoxiam sustentaret. Aurelio quoque Cottae et Haterio Antonino annuam pecuniam statuit princeps, quamvis per luxum avitas opes dissipassent.

Eius anni principio mollibus adhuc initiis prolatatum inter Parthos Romanosque de obtinenda Armenia bellum acriter resumitur, quia nec Vologeses sinebat fratrem Tiridaten dati a se regni expertem esse aut alienae id potentiae donum habere, et Corbulo dignum magnitudine populi Romani rebatur parta olim a Lucullo Pompeioque recipere. Ad hoc Armenii ambigua fide utraque arma invitabant, situ terrarum, similitudine morum Parthis propiores, conubiisque permixti ac libertate ignota illud magis ad servitium inclinantes. Sed Corbuloni plus molis adversus ignaviam militum 35
quam contra perfidiam hostium erat: quippe Syria transmotae legiones, pace longa segnes, munia armatorum aegerrime tolerabant. Satis constitit fuisse in eo exercitu veteranos, qui non stationem, non vigilias inissent, vallum fossamque quasi nova et mira viserent, sine galeis, sine loricis, nitidi et quaestuosi, militia per oppida expleta. Igitur dimissis quibus senectus aut valitudo adversa erat, supplementum petivit. Et habiti per Galatiam Cappadociamque dilectus, adiectaque ex Germania legio cum equitibus alariis et peditatu cohortium. Retentusque omnis exercitus sub pellibus, quamvis hieme saeva adeo, ut obducta glacie nisi effossa humus tentoriis locum non praeberet. Ambusti multorum artus vi

1 iniit *ed. princeps*: Init 3 collega (collegā *G*) 7 Haterio *L*: atherio 8 auitas *L*: habitas 11 resumitur *Heinsius*: sumitur (*cf. c.* 6—9) tiridatē 12 exepertem 13 ·PR· 14 reuatur *pr* luculo 17 illud *L*: illuc 19 trasmote *superposito* n 20 *armatorum: romanorum (armorum *Freinsheim*, castrorum *Böttticher*, Romanorum armorum *Iac. Gronovius*, castrorum Romanorum *Nipperdey*) 21 tollerabant exercito *pr* 24 quaestiosi *pr* 25 sectus *pr* 26 galitiam (gallaciam *G*) cappodiciamque 30 praeberent

frigoris et quidam inter excubias exanimati sunt. Adnotatusque miles, qui fascem lignorum gestabat, ita praeriguisse manus, ut oneri adhaerentes truncis brachiis deciderent. Ipse cultu levi, capite intecto, in agmine, in laboribus frequens adesse, laudem strenuis, solacium invalidis, exemplum omnibus ostendere. Dehinc quia duritiam caeli militiaeque multi abnuebant deserebantque, remedium severitate quaesitum est. Nec enim, ut in aliis exercitibus, primum alterumque delictum venia prosequebatur, sed qui signa reliquerat, statim capite poenas luebat. Idque usu salubre et misericordia melius apparuit: quippe pauciores illa castra deseruere quam ea in quibus
36 ignoscebatur. Interim Corbulo legionibus intra castra habitis, donec ver adolesceret, dispositisque per idoneos locos cohortibus auxiliariis, ne pugnam priores auderent praedicit: curam praesidiorum Paccio Orfito, primi pili honore perfuncto, mandat. Is quamquam incautos barbaros et bene gerendae rei casum offerri scripserat, tenere se munimentis et maiores copias opperiri iubetur. Sed rupto imperio, postquam paucae e proximis castellis turmae advenerant pugnamque imperitia poscebant, congressus cum hoste funditur. Et damno eius exterriti qui subsidium ferre debuerant, sua quisque in castra trepida fuga rediere. Quod graviter Corbulo accepit, increpitumque Paccium et praefectos militesque tendere extra vallum iussit; inque ea contumelia detenti nec nisi precibus uni-
37 versi exercitus exoluti sunt. At Tiridates, super proprias clientelas ope Vologesi fratris adiutus, non furtim iam sed palam bello infensare Armeniam, quosque fidos nobis rebatur, depopulari, et si copiae contra ducerentur, eludere hucque et illuc volitans plura fama quam pugna exterrere. Igitur Corbulo, quaesito diu proelio frustra habitus et exemplo hostium circumferre bellum coactus, dispertit vires, ut legati praefectique di-

2 fascꝫ (*nota a rec. manu*) 4 leui *G*: eui 6 duritia celi (duriciē caeli *G*) militiae que 9 pęnas 14 auderent *liber Vaticanus Lipsii*: audirent (adirent ꝫ) 15 pactio (*mox* pacium, 15 12 paccium, *ut est in titulis*) 18 pauca 25 clientelas *G*: clientalas 26 Vologaesis *Nipperdey* 27 cqsq: (*sic*) 28 copiae contra ducerentur *G*: copia econtra duceretur hucque *L*: hucqq:

versos locos pariter invaderent; simul regem Antiochum monet proximas sibi praefecturas petere. Nam Pharasmanes interfecto filio Radamisto quasi proditore, quo fidem in nos testaretur, vetus adversus Armenios odium promptius exercebat. Tuncque primum illecti Moschi, gens ante alias socia Romanis, avia Armeniae incursavere. Ita consilia Tiridati in contrarium vertebant, mittebatque oratores qui suo Parthorumque nomine expostularent, cur datis nuper obsidibus redintegrataque amicitia, quae novis quoque beneficiis locum aperiret, vetere Armeniae possessione depelleretur. Ideo nondum ipsum Vologesen commotum, quia causa quam vi agere mallent: sin perstaretur in bello, non defore Arsacidis virtutem fortunamque saepius iam clade Romana expertam. Ad ea Corbulo, satis comperto Vologesen defectione Hyrcaniae attineri, suadet Tiridati precibus Caesarem aggredi: posse illi regnum stabile et res incruentas contingere, si omissa spe longinqua et sera praesentem potioremque sequeretur. Placitum dehinc, quia commeantibus in vicem nuntiis nihil 38
in summam pacis proficiebatur, conloquio ipsorum tempus locumque destinari. Mille equitum praesidium Tiridates affore sibi dicebat: quantum Corbuloni cuiusque generis militum assisteret, non statuere, dum positis loricis et galeis in faciem pacis veniretur. Cuicumque mortalium, nedum veteri et provido duci, barbarae astutiae patuissent: ideo artum inde numerum finiri et hinc maiorem offerri, ut dolus pararetur: nam equiti sagittarum usu exercito si detecta corpora obicerentur, nihil profuturam multitudinem. Dissimulato tamen intellectu rectius de iis quae in publicum consulerentur, totis exercitibus coram dissertaturos respondit. Locumque delegit, cuius pars altera colles erant clementer adsurgentes accipiendis peditum ordinibus, pars in planitiem porrigebatur ad explicandas equitum turmas. Dieque pacto prior Corbulo socias cohortes et auxilia regum pro cornibus,

5 *Moschi : Insochi 6 *incursauere : incursauit (*hoc natum est assimilandi errore* incursau*ere*. ita) ritidati 9 nobis 11 uologesē 12 mallet *G* 14 yrcaniae 19 summam *Faernus* : summa (summam *deleto* pacis *Muretus*) 23 cuicūque 24 barberae *pr* 25 offerri *Danesius et Agricola* : afferri 26 equitis *pr*

medio sextam legionem constituit, cui accita per noctem aliis ex castris tria milia tertianorum permiscuerat, una cum aquila, quasi eadem legio spectaretur. Tiridates vergente iam die procul adstitit, unde videri magis quam audiri posset. Ita sine congressu dux Romanus abscedere militem sua quemque
39 in castra iubet. Rex sive fraudem suspectans, quia plura simul in loca ibatur, sive ut commeatus nostros Pontico mari et Trapezunte oppido adventantes interciperet, propere discedit. Sed neque commeatibus vim facere potuit, quia per montes ducebantur praesidiis nostris insessos, et Corbulo, ne inritum bellum traheretur utque Armenios ad sua defendenda cogeret, excindere parat castella, sibique quod validissimum in ea praefectura, cognomento Volandum, sumit; minora Cornelio Flacco legato et Insteio Capitoni, castrorum praefecto, mandat. Tum circumspectis munimentis et quae expugnationi idonea provisis, hortatur milites ut hostem vagum neque paci aut proelio paratum, sed perfidiam et ignaviam fuga confitentem exuerent sedibus gloriaeque pariter et praedae consulerent. Tum quadripertito exercitu hos in testudinem conglobatos subruendo vallo inducit, alios scalas moenibus admovere, multos tormentis faces et hastas incutere iubet. Libratoribus funditoribusque attributus locus, unde eminus glandes torquerent, ne qua pars subsidium laborantibus ferret, pari undique metu. Tantus inde ardor certantis exercitus fuit, ut intra tertiam diei partem nudati propugnatoribus muri, obices portarum subversi, capta escensu munimenta omnesque puberes trucidati sint, nullo milite amisso, paucis admodum vulneratis. Et inbelle vulgus sub corona venundatum, reliqua praeda victoribus cessit. Pari fortuna legatus ac praefectus usi sunt, tribusque una die castellis expugnatis cetera terrore et alia sponte incolarum in deditionem veniebant. Vnde orta fiducia caput gentis Artaxata aggrediendi. Nec tamen proximo itinere ductae legiones, quae si amnem Araxen, qui moenia alluit, ponte transgre-

18 exsuerent 19 quadriptito 20 *fortasse* ipse ducit 22 libratoribus *G* : libritoribus (*cf.* 2 20) 24 metu *L* : motu 25 nudati *G* : nudatis 28 ammodum 32 capti, *corr* capitis (capud *G*) 34 araxē menia

derentur, sub ictum dabantur: procul et latioribus vadis transiere. At Tiridates pudore et metu, ne, si concessisset 40
obsidioni, nihil opis in ipso videretur, si prohiberet, inpeditis locis seque et equestres copias illigaret, statuit postremo ostendere aciem et dato die proelium incipere vel simulatione fugae locum fraudi parare. Igitur repente agmen Romanum circumfundit, non ignaro duce nostro, qui viae pariter et pugnae composuerat exercitum. Latere dextro tertia legio, sinistro sexta incedebat, mediis decimanorum delectis; recepta inter ordines impedimenta, et tergum mille equites tuebantur, quibus iusserat, ut instantibus comminus resisterent, refugos non sequerentur. In cornibus pedes sagittarius et cetera manus equitum ibat, productiores [cornu] in sinistro per ima collium, ut, si hostis intravisset, fronte simul et sinu exciperetur. Adsultare ex diverso Tiridates, non usque ad ictum teli, sed tum minitans, tum specie trepidantis, si laxare ordines et diversos consectari posset. Vbi nihil temeritate solutum, nec amplius quam decurio equitum audentius progressus et sagittis confixus ceteros ad obsequium exemplo firmaverat, propinquis iam tenebris abscessit. Et 41
Corbulo castra in loco metatus, an expeditis legionibus nocte Artaxata pergeret obsidioque circumdaret agitavit, concessisse illuc Tiridaten ratus. Dein postquam exploratores attulere longinquum regis iter et Medi an Albani peterentur incertum, lucem opperitur. Praemissaque levi armatura, quae muros interim ambiret oppugnationemque eminus inciperet,... Sed oppidani portis sponte patefactis se suaque Romanis permisere, quod salutem ipsis tulit: Artaxatis ignis inmissus, deletaque et solo aequata sunt, quia nec teneri sine valido *poterant* praesidio ob magnitudinem moenium, nec id nobis virium erat, quod firmando praesidio et capessendo bello divideretur, vel si integra et incustodita relin-

13 productiores *Nipperdey*: productiore (e *linea inductum*) corn; 16 ad ictum *Baiter*: addictum *pr*, ad iactum *corr* telis *pr* 17 diuerso^{s} 25 praemissaque] praemissa *Heinsius distinguendo* opperitur, praemissa leuis *G* 27 *inciperet,...: inciperet (*explcas* sequebatur agmen legionum) 28 artaxati 30 *poterant praesidio: praesidio (*etiam *Halmio* poterant *videtur intercidisse, sede vocis non definita*)

querentur, nulla in eo utilitas aut gloria quod capta essent. Adicitur miraculum velut numine oblatum: nam cuncta extra [tectis hactenus] sole illustria fuere; quod [repente] moenibus eingebatur, ita atra nube coopertum fulgoribusque discretum est, ut quasi infensantibus deis exitio tradi crederetur. Ob haec consalutatus imperator Nero, et senatus consulto supplicationes habitae, statuaeque et arcus et continui consulatus principi, utque inter festos referretur dies, quo patrata victoria, quo nuntiata, quo relatum de ea esset, aliaque in eandem formam decernuntur, adeo modum egressa, ut C. Cassius de ceteris honoribus adsensus, si pro benignitate fortunae dis grates agerentur, ne totum quidem annum supplicationibus sufficere disseruerit, eoque oportere dividi sacros et negotiosos dies, quis divina colerent et humana non impedirent.

42 Variis deinde casibus iactatus et multorum odia meritus reus, haud tamen sine invidia Senecae, damnatur. Is fuit P. Suillius, imperitante Claudio terribilis ac venalis et mutatione temporum non quantum inimici cuperent demissus quique se nocentem videri quam supplicem mallet. Eius opprimendi gratia repetitum credebatur senatus consultum poenaque Cinciae legis adversum eos qui pretio causas oravissent. Nec Suillius quaestu aut exprobratione abstinebat, praeter ferociam animi extrema senecta liber et Senecam increpans infensum amicis Claudii, sub quo iustissimum exilium pertulisset. Simul studiis inertibus et iuvenum inperitiae suetum livere iis, qui vividam et incorruptam eloquentiam tuendis civibus exercerent. Se quaestorem Germanici, illum domus eius adulterum fuisse. An gravius aestimandum sponte litigatoris praemium honestae operae assequi, quam corrumpere cubicula principum feminarum? qua sapientia, quibus philosophorum praeceptis intra quadriennium regiae amicitiae

1 cappta 2 uelud 3 *[tectis hactenus] : tectis hactenus *quod [repente] : quod repente (repente *post* ita promovit *R*) 4 fulguribusque *Puteolanus* 5 dedeis 6 consalutatus *R* : consolatus Imp. SC 7 statuae que (*malim* statuaque; *cf.* 14 12, 13 8) 8 refereretur 21 SC 22 penaque cincie 23 *quaestu : questu 27 *potius* assuetum 29 extimandum (estimandum *G*) 32 philosoforum

ter milies sestertium paravisset? Romae testamenta et orbos velut indagine eius capi, Italiam et provincias inmenso fenore hauriri: at sibi labore quaesitam et modicam pecuniam esse. Crimen periculum, omnia potius toleraturum quam *ut* veterem ac domi partam dignationem subitae felicitati submitteret. Nec deerant qui haec isdem verbis aut versa in 43
deterius Senecae deferrent. Repertique accusatores direptos socios, cum Suillius provinciam Asiam regeret, ac publicae pecuniae peculatum detulerunt. Mox quia inquisitionem annuam impetraverant, brevius visum urbana crimina incipi, quorum obvii testes erant. Ii acerbitate accusationis Q. Pomponium ad necessitatem belli civilis detrusum, Iuliam, Drusi filiam, Sabinamque Poppaeam ad mortem actas, et Valerium Asiaticum, Lusium Saturninum, Cornelium Lupum circumventos, iam equitum Romanorum agmina damnata omnemque Claudii saevitiam Suillio obiectabant. Ille nihil ex his sponte susceptum, sed principi paruisse defendebat, donec eam orationem Caesar cohibuit, compertum sibi referens ex commentariis patris sui nullam cuiusquam accusationem ab eo coactam. Tum iussa Messalinae praetendi et labare defensio: cur enim neminem alium delectum qui saevienti impudicae vocem praeberet? puniendos rerum atrocium ministros, ubi pretia scelerum adepti scelera ipsa aliis delegent. Igitur adempta bonorum parte (nam filio et nepti pars concedebatur, eximebanturque etiam quae testamento matris aut aviae acceperant) in insulas Baleares pellitur, non in ipso discrimine, non post damnationem fractus animo; ferebaturque copiosa et molli vita secretum illud toleravisse. Filium eius Nerullinum aggressis accusatoribus per invidiam patris et crimina repetundarum, intercessit princeps tamquam satis expleta ultione.

Per idem tempus Octavius Sagitta, plebei tribunus, 44

2 uelud 4 tolleraturum 5 * ut : *om* (*cf. c.* 22 *et* 25 *et* 26 *cet.*) domi *Iac. Gronovius* : dõ (dicendo *Spengel*) 6 submitteret *L* : submittere 8 asyam 9 detulerN (= *detulerunt*) 10 urbana *Ernesti* : sub urbana 11 Q.] ·QV· 13 poppeam 20 ꝑtendi (pretendi *G*) 23 adeptis 25 auiae *Freinsheim* : auia (ab auia *Sirker*) 26 insulas ꝯ : insulā 28 tollerauisse 29 inuidia³ (*nota a recenti m.*)

Pontiae, mulieris nuptae, amore vecors, ingentibus donis adulterium et mox, ut omitteret maritum, emercatur, suum matrimonium promittens ac nuptias eius pactus. Sed ubi mulier vacua fuit, nectere moras, adversam patris voluntatem causari, repertaque spe ditioris coniugis promissa exuere. Octavius contra modo conqueri, modo minitari, famam perditam, pecuniam exhaustam obtestans, denique salutem, quae sola reliqua esset, arbitrio eius permittens. Ac postquam spernebatur, noctem unam ad solacium poscit, qua delenitus modum in posterum adhiberet. Statuitur nox, et Pontia consciae ancillae custodiam cubiculi mandat. Ille uno cum liberto ferrum veste occultum infert. Tum, ut adsolet in amore et ira, iurgia preces, exprobratio satisfactio; et pars tenebrarum libidini seposita est; qua stimulante incensus nihil metuentem ferro transverberat et accurrentem ancillam vulnere absterret cubiculoque prorumpit. Postera die manifesta caedes, haud ambiguus percussor: quippe mansitasse una convincebatur, sed libertus suum illud facinus profiteri, se patroni iniurias ultum esse. Commoveratque quosdam magnitudine exempli, donec ancilla ex vulnere refecta verum aperuit. Postulatusque apud consules a patre interfectae, postquam tribunatu abierat, sententia patrum et lege de sicariis condemnatur.

45 Non minus insignis eo anno inpudicitia magnorum rei publicae malorum initium fecit. Erat in civitate Sabina Poppaea, T. Ollio patre genita, sed nomen avi materni sumpserat, illustri memoria Poppaei Sabini, consulari et triumphali decore praefulgentis: nam Ollium honoribus nondum functum amicitia Seiani pervertit. Huic mulieri cuncta alia fuere prae-

4 auersam *Heinsius* 10 posterum *ed. princeps* : postremum 14 libidini *R* : libidine *seposita est; qua stimulante incensus : seposita, et quastim census (seposita. ex qua incensus *Bekker*, seposita; et quasi incensus *Iac. Gronovius*, seposita. ex qua statim incensus *Walther*, seposita; ei quasi intentus *Seyffert*, seposita, atque aestu incensus *Hiller*, seposita : et questu incensus *G*) 15 accurentem 19 commeueratque 21 cõs. 23 condempnatur 26 poppea, *mox* poppei, *c.* 46 poppea, *ac perinde semper* 27 consulari et triumphali *Puteolanus* : consularis et triumphalis

ter honestum animum. Quippe mater eius, aetatis suae feminas pulchritudine supergressa, gloriam pariter et formam dederat; opes claritudini generis sufficiebant. Sermo comis nec absurdum ingenium. Modestiam praeferre et lascivia uti. Rarus in publicum egressus, idque velata parte oris, ne satiaret aspectum, vel quia sic decebat. Famae numquam pepercit, maritos et adulteros non distinguens; neque affectui suo aut alieno obnoxia, unde utilitas ostenderetur, illuc libidinem transferebat. Igitur agentem eam in matrimonio Rufrii Crispini, equitis Romani, ex quo filium genuerat, Otho pellexit iuventa ac luxu, et quia flagrantissimus in amicitia Neronis habebatur. Nec mora quin adulterio matrimonium iungeretur. Otho sive amore incautus laudare formam elegan- 46
tiamque uxoris apud principem, sive ut accenderet ac, si eadem femina poterentur, id quoque vinculum potentiam ei adiceret. Saepe auditus est consurgens e convivio Caesaris, ...seque ire ad illam, sibi concessam dictitans nobilitatem pulchritudinem, vota omnium et gaudia felicium. His atque talibus irritamentis non longa cunctatio interponitur. Sed accepto aditu Poppaea primum per blandimenta et artes valescere, imparem cupidini se et forma Neronis captam simulans; mox acri iam principis amore ad superbiam vertens, si ultra unam alteramque noctem attineretur, nuptam esse se dictitans, nec posse matrimonium amittere, devinctam Othoni per genus vitae, quod nemo adaequaret: illum animo et cultu magnificum; ibi se summa fortuna digna visere: at Neronem, paelice ancilla et adsuetudine Actes devinctum, nihil e contubernio servili nisi abiectum et sordidum traxisse. Deicitur familiaritate sueta, post congressu et comitatu Otho, et ad postremum, ne in urbe aemulatus ageret, provinciae Lusita-

6 nunquā, *ut saepius* 7 afectui *pr* 9 Rufrii] rufri (*sic; cf. ad* 12 42) 10 Crispini *L* : crispi 15 *poterentur : potirentur ea[1 d] diceret *in rasura* (ei adiiceret *G*) 16 *Caesaris.....seque : caesaris seque (Caesaris : se ς; *expleveris* se domi desiderari a coniuge, seque) 17 sibi *L* : ubi 21 cupidini se et *G* : cupidinis et *pr* similans *pr* 24 omittere *Agricola* 26 dignā (*nota a m. recenti*) 27 pelícē ancillā (pellice ancilla *G*; *cf. ad* 4 3) adsuetudinē (assuetudine *G*; per pelicem ancillam et assuetudinem *Weissenborn*) 30 emulatus

niae praeficitur; ubi usque ad civilia arma non ex priore infamia sed integre sancteque egit, procax otio et potestatis temperantior.

47 Hactenus Nero flagitiis et sceleribus velamenta quaesivit. Suspectabat maxime Cornelium Sullam, socors ingenium eius in contrarium trahens callidumque et simulatorem interpretando. Quem metum Graptus, ex libertis Caesaris, usu et senecta Tiberio abusque domum principum edoctus, tali mendacio intendit. Pons Mulvius in eo tempore celebris nocturnis inlecebris erat; ventitabatque illuc Nero, quo solutius urbem extra lasciviret. Igitur regredienti per viam Flaminiam compositas insidias fatoque evitatas, quoniam diverso itinere Sallustianos in hortos remeaverit, auctoremque eius doli Sullam ementitur, quia forte redeuntibus ministris principis quidam per iuvenilem licentiam, quae tunc passim exercebatur, inanem metum fecerant. Neque servorum quisquam neque clientium Sullae adgnitus, maximeque despecta et nullius ausi capax natura eius a crimine abhorrebat: perinde tamen quasi convictus esset, cedere patria et Massiliensium moenibus coerceri iubetur.

48 Isdem consulibus auditae Puteolanorum legationes, quas diversas ordo plebsque ad senatum miserant, illi vim multitudinis, hi magistratuum et primi cuiusque avaritiam increpantes. Eaque seditio ad saxa et minas ignium progressa ne caedem et arma proliceret, C. Cassius adhibendo remedio delectus. Quia severitatem eius non tolerabant, precante ipso ad Scribonios fratres ea cura transfertur, data cohorte praetoria, cuius terrore et paucorum supplicio rediit oppidanis concordia.

49 Non referrem vulgatissimum senatus consultum, quo

2 *otio : otii (*cf.* 1 16, 14 15, *H.* 2 23, 3 62) 8 abusque *L* : auo usque (*sic*) 10 uentitabatque *G* : uentabatque solutius *G* : solitius (*prius* i *in rasura*) 12 flamineam fatoque euitatas *G* : fato quieuit atas 13 salustianos (*cf.* 1 6, 2 40, 3 30, *H.* 3 82) ortos 15 iuuenilem ς : iuenalem 17 syllae 18 ꝑinde *G* : ꝓinde 21 cõs. 22 plebs$^{q;}$ (*sic; nota an sit a vetere m., non liquet*), *unde* plebsque ς 25 ne caedem *Nipperdey* : necem (ne necem *Walther*) ꝓliceret 26 *potius* sed quia tollerabant 30 ·S̄C̄·

civitati Syracusanorum egredi numerum edendis gladiatoribus finitum permittebatur, nisi Paetus Thrasea contra dixisset praebuissetque materiem obtrectatoribus arguendae sententiae. Cur enim, si rem publicam egere libertate senatoria crederet, tam levia consectaretur? Quin de bello aut pace, de vectigalibus et legibus, quibusque aliis res Romanae continentur, suadere dissuadereve *vellet?* Licere patribus, quotiens ius dicendae sententiae accepissent, quae vellent expromere relationemque in ea postulare. An solum emendatione dignum, ne Syracusis spectacula largius ederentur: cetera per omnes imperii partes perinde egregia, quam si non Nero sed Thrasea regimen eorum teneret? Quod si summa dissimulatione transmitterentur, quanto magis inanibus abstinendum? Thrasea contra, rationem poscentibus amicis, non praesentium ignarum respondebat eiusmodi consulta corrigere, sed patrum honori dare, ut manifestum fieret magnarum rerum curam non dissimulaturos, qui animum etiam levissimis adverterent.

Eodem anno crebris populi flagitationibus, inmodestiam publicanorum arguentis, dubitavit Nero, an cuncta vectigalia omitti iuberet idque pulcherrimum donum generi mortalium daret. Sed impetum eius, multum prius laudata magnitudine animi, attinuere senatores, dissolutionem imperii docendo, si fructus quibus res publica sustineretur deminuerentur: quippe sublatis portoriis sequens ut tributorum abolitio expostularetur. Plerasque vectigalium societates a consulibus et tribunis plebei constitutas acri etiam populi Romani tum libertate; reliqua mox ita provisa, ut ratio quaestuum et necessitas erogationum inter se congruerent. Temperandas plane publicanorum cupidines, ne per tot an-

1 ciuitate siracusanorum 2 petus 3 praebuitsetque *pr* 4 rem p. 6 *res Romanae continentur : romana continentur (res Romana continetur *L, sed cf.* 6 14 (20), 12 7, 16 16, *H.* 1 11, 2 6, *etiam* res Italas *Horatii* Epl. II 1 2) 7 *dissuadereue uellet : dissuadereue (suaderet dissuaderetue *L*) 19 flagitionibus Inmodestia 23 seniores *L* 24 res p. de minuerentur 27 *plebei : plebis .p.R· tum (tum populi Romani *Vrsinus*) 29 congruerent *G* : congruere (congrueret *Halm*)

nos sine querella tolerata novis acerbitatibus ad invidiam ver-
51 terent. Ergo edixit princeps, ut leges cuiusque publici, occultae ad id tempus, proscriberentur; omissas petitiones non ultra annum resumerent; Romae praetor, per provincias qui pro praetore aut consule essent, iura adversus publicanos extra ordinem redderent; militibus immunitas servaretur, nisi in iis quae vaeno exercerent; aliaque admodum aequa, quae brevi servata, dein frustra habita sunt. Manet tamen abolitio quadragesimae quinquagesimaeque et quae alia exactionibus illicitis nomina publicani invenerant. Temperata apud transmarinas provincias frumenti subvectio, et ne censibus negotiatorum naves ascriberentur tributumque pro illis penderent, constitutum.

52 Reos ex provincia Africa, qui proconsulare imperium illic habuerant, Sulpicium Camerinum et Pompeium Silvanum absolvit Caesar, Camerinum adversus privatos et paucos, saevitiae magis quam captarum pecuniarum crimina obicientes. Silvanum magna vis accusatorum circumsteterat poscebatque tempus evocandorum testium: reus ilico defendi postulabat. Valuitque pecuniosa orbitate et senecta, quam ultra vitam eorum produxit, quorum ambitu evaserat.

53 Quietae ad id tempus res in Germania fuerant, ingenio ducum, qui pervulgatis triumphi insignibus maius ex eo decus sperabant, si pacem continuavissent. Paulinus Pompeius et L. Vetus ea tempestate exercitui praeerant. Ne tamen segnem militem attinerent, ille inchoatum ante tres et sexaginta annos a Druso aggerem coercendo Rheno absolvit, Vetus Mosellam atque Ararem facta inter utrumque fossa conectere parabat, ut copiae per mare, dein Rhodano et

1 querela (*idem H.* 1 23 querellas) 2 publici *G* : publicis 5 pro praetore *G* : ꝓ· p· R· cōs. 6 Immunita[s] 7 his ueno 9 quadragesimae *Puteolanus* : quadringentesimę quinquagesimeq; et que *pr* exactionibus *R* : exauctionibus 12 tributumq; (tributumue *Wurm*) 15 habuerant *R* : habuerunt sulpicium camerinum *G* : supplicium camelinum Pompeium *L* : pomponium (*cf. H.* 2 86, 3 50, 4 47) 19 poscebantque *Halm* 23 peruulgatis *Puteolanus* : peruulgati 25 nec *littera* c *vetere m. inducta* 27 cohercendo 28 *Ararem : *om* (Ararim *Puteolanus, sed cf. proximum* Arare) 29 parabant *pr* rodano

Arare subvectae per eam fossam, mox fluvio Mosella in Rhenum, exim Oceanum decurrerent, sublatisque itineris difficultatibus navigabilia inter se occidentis septentrionisque litora fierent. Invidit operi Aelius Gracilis, Belgicae legatus, deterrendo Veterem ne legiones alienae provinciae inferret studiaque Galliarum affectaret, formidolosum id imperatori dictitans, quo plerumque prohibentur conatus honesti. Ceterum continuo exercituum otio fama incessit ere- 54
ptum ius legatis ducendi in hostem. Eoque Frisii iuventutem saltibus aut paludibus, inbellem aetatem per lacus admovere ripae agrosque vacuos et militum usui sepositos insedere, auctore Verrito et Malorige, qui nationem eam regebant, in quantum Germani regnantur. Iamque fixerant domos, semina arvis intulerant utque patrium solum exercebant, cum Dubius Avitus, accepta a Paulino provincia, minitando vim Romanam, nisi abscederent Frisii veteres in locos aut novam sedem a Caesare inpetrarent, perpulit Verritum et Malorigem preces suscipere. Profectique Romam dum aliis curis intentum Neronem opperiuntur, inter ea quae barbaris ostentantur intravere Pompei theatrum, quo magnitudinem populi viserent. Illic per otium (neque enim ludicris ignari oblectabantur) dum consessum caveae, discrimina ordinum, quis eques, ubi senatus percunctantur, advertere quosdam cultu externo in sedibus senatorum; et quinam forent rogitantes, postquam audiverant earum gentium legatis id honoris datum, quae virtute et amicitia Romana praecellerent, nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse exclamant, degrediunturque et inter patres considunt. Quod comiter a visentibus exceptum, quasi impetus antiqui et bona aemulatione. Nero civitate Romana ambos donavit, Frisios decedere agris iussit. Atque illis aspernantibus auxiliaris eques repente immissus necessitatem attulit, captis caesisve qui pervicacius restiterant.

2 exin *corr* 5 de|deterrendo 6 studiaque *R*: in studiaque (in *repetitum ex* inferret) 12 malorie *pr*, *mox* mallorigem qui *Puteolanus*: quia 16 Frisii *glossa visa est Acidalio* 18 profecitque *pr* 19 Intereaque 24 fore^{nt} 25 legatis *G*: legum (um *in rasura*) 28 patres *G*: partes 30 aemulatio *R*

55 Eosdem agros Ampsivarii occupavere, validior gens non modo sua copia, sed adiacentium populorum miseratione, quia pulsi a Chaucis et sedis inopes tutum exilium orabant. Aderatque iis clarus per illas gentes et nobis quoque fidus, nomine Boiocalus, vinctum se rebellione Cherusca iussu Arminii referens, mox Tiberio *ac* Germanico ducibus stipendia meruisse; set quinquaginta annorum obsequio id quoque adiungere, quod gentem suam ditioni nostrae subiceret. Quo tantam partem campi iacere, in quam pecora et armenta militum aliquando transmitterentur? Servarent sane receptus gregibus, *modo* inter hominum famam, modo ne vastitatem et solitudinem mallent quam amicos populos. Chamavorum quondam ea arva, mox Tubantum et post Vsiporum fuisse. Sicuti caelum deis, ita terras generi mortalium datas; quaeque vacuae, eas publicas esse. Solem inde aspiciens, et cetera sidera vocans, quasi coram interrogabat, velletne contueri inane solum: potius mare superfunderet adversus terrarum
56 ereptores. Et commotus his Avitus patienda meliorum imperia *ait*; id dis quos inplorarent placitum, ut arbitrium penes Romanos maneret, quid darent quid adimerent, neque alios iudices quam se ipsos paterentur. Haec in publicum Ampsivariis respondit, ipsi Boiocalo ob memoriam amicitiae daturum agros. Quod ille ut proditionis pretium aspernatus addidit 'deesse nobis terra ubi vivamus, potest, in qua moriamur, non potest.' Atque ita infensis utrimque animis discessum. Illi Bructeros, Tencteros, ulteriores etiam nationes socias bello vocabant: Avitus scripto ad Curtilium Manciam, superioris exercitus legatum, ut Rhenum transgressus arma

1 Ampsiuarii *ex c.* 56 : amsibarii 4 iis *Puteolanus* : his 5 boicalus *pr* 6 *ac : *om* (et *G*) 7 *set : et 8 dicioni quo tantam *L* : quotam 9 quā *G* : qua 10 receptus *Faernus* : receptos 11 *modo inter : inter 15 sole⁊ Inde (*sic;* solem deinde *Budensis et vulgo*) aspiciens *R* : despiciens (suspiciens *Heinsius*) cętera sydera 16 uellent ne *G* 17 *superfunderet : superfundere. (*sic;* superfunderent *G*) 18 habitus 19 *ait; id : id (ait *L*, ita *Wurm*) pęnes 21 se ipsi *fortasse* 22 boIocalo 24 terra ubi uiuamus *Sillig* (*diurn. Ienens. a.* 1834) : terra⁊ uiua⁊ (*pro* terra ubi uiuam; *Iac. Gron.* terra in uitam) potest *Heinsius* : *om* mori amor 25 discesum *pr* 27 auitu

a tergo ostenderet, ipse legiones in agrum Tencterorum induxit, excidium minitans ni causam suam dissociarent. Igitur absistentibus his pari metu exterriti Bructeri; et ceteris quoque aliena pericula defendentibus sola Ampsivariorum gens retro ad Vsipos et Tubantes concessit. Quorum terris exacti cum Chattos, dein Cheruscos petissent, errore longo hospites egeni, hostes in alieno, quod iuventutis erat, caeduntur, inbellis aetas in praedam divisa est.

Eadem aestate inter Hermunduros Chattosque certatum 57 magno proelio, dum flumen gignendo sale fecundum et conterminum vi trahunt, super libidinem cuncta armis agendi religione insita, eos maxime locos propinquare caelo precesque mortalium a deis nusquam propius audiri. Inde indulgentia numinum illo in amne illisque silvis salem provenire, non ut alias apud gentes eluvie maris arescente unda, sed super ardentem arborum struem fusa, ex contrariis inter se elementis, igne atque aquis, concretum. Sed bellum Hermunduris prosperum, Chattis exitiosius fuit, quia victores diversam aciem Marti ac Mercurio sacravere, quo voto equi viri, cuncta victa occidioni dantur. Et minae quidem hostiles in ipsos vertebant. Sed civitas Vbiorum, socia nobis, malo inproviso afflicta est. Nam ignes terra editi villas arva vicos passim corripiebant, ferebanturque in ipsa conditae nuper coloniae moenia. Neque extingui poterant, non si imbres caderent, non si fluvialibus aquis aut quo alio umore *uterentur*, donec inopia remediorum et ira cladis agrestis quidam eminus saxa iaceret; dein resistentibus flammis propius suggressi

1 *Tencterorum : tenerum (Tencterum *B*, *cf. G.* 38) 2 exscidium 3 absistentibus *R* : asistentibus 4 deserentibus *R* 5 adus ipsos 6 catthos etrrore (*sic*) 7 alieno *G* : alio erat *G* : erant 9 catthosque, *mox* catthis 11 libidinem *R* : libidine 14 salem *Puteolanus* : Itē 16 ardentem *R* : arentem 17 elementis *Puteolanus* : alimentis (clementis *G*) concretum *L* : concreta 18 exitio sius 20 hostile 21 Vbiorum *Heinsius* : uibonu᷑ 24 menia 25 non *pro* non si *Pichena* *umore uterentur : humore. (*sic*) 26 *remediorum : remedio (remedii ς) agrestis (agrestes *G et vulgo*) 27 *iaceret : iacere. residentibus *liber Budensis* ꝑprius

ictu fustium aliisque verberibus ut feras absterrebant; postremo tegmina corpori direpta iniciunt, quanto magis profana et usu polluta, tanto magis oppressura ignes.

58 Eodem anno Ruminalem arborem in comitio, quae octingentos et quadraginta ante annos Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus et arescente trunco deminutam prodigii loco habitum est, donec in novos fetus revivisceret.

2 derepta *Agricola* 4 octingentos *Vaticanus* 1958 : septingentos et triginta *L*, atque triginta *Heinsius et Freinsheim* 7 loco abditum *pr* reuiuisceret ς : reuluesceret (reuiresceret *Pichena*). Explicit Cornelii Taciti liber tertius decim; Inciꝑ. XIIII. *rubris litteris et paulo maioribus.*

LIBER XIIII.

BREVIARIVM. C. 1—19. Annus a Ch. 59, imperatoris Neronis 6. Nero amore Poppaeae in dies flagrantior matricidium diu meditatum aggredi statuit, dum Agrippina ad retinendam potentiam extrema conatur (1—3). Nero eam Baias elicit, inde Baulos regredientem ac navis et maris insidias elapsam per Anicetum occidit (4—9). A Caesare perfecto demum scelere magnitudo eius intellecta est, sed tribunorum centurionumque adulatione ad spem firmatur; amici dehinc et proxima Campaniae laetitiam ostentant. Neronis ad senatum litterae facinus cum mendacio narrantis et excusantis, et Seneca (is epistulam composuerat) adverso rumore (10—11). Sed miro certamine procerum decernuntur supplicationes et foedae adulationes peraguntur, inter quae Thraseae verus animus et rara libertas, sed inutilis (12). Romam regressus laeta et prompta omnia habet. Hinc superbus et publici servitii victor in omnes libidines se effundere coepit, quas male coercitas qualiscumque matris reverentia tardaverat. Iam curriculo quadrigarum insistere et canere cithara intendit. Prius concessum a Seneca et Burro, ne utrumque pervinceret, et clausum valle Vaticano spatium, in quo equos regeret, haud promiscuo spectaculo. Sed mox populus ultro convocatur, laudibusque extollit principis curam et artem (13—14). Ne iam publico theatro dehonestaretur, ludos Iuvenalium instituit Caesar, in quos passim nomina data a viris nobilibus et honoratis, et ipse scenam incessit cantans cithara; conscripti Augustiani collaudantes principis formam et vocem (15). Etiam carminum studium affectat et sapientiae doctoribus operam impendit post epulas (16). Discordiae inter colonos Nucerinos Pompeianosque (17). Motus e senatu Pedius Blaesus, Cyrenenses pecunia iuvantur (18). Mortes virorum illustrium, Domitii Afri et M. Servilii (19).

C. 20—28. Annus a Ch. 60. Quinquennale ludicrum Romae institutum, idque ab aliis vituperatum, ab aliis defensum et excusatum. Ne modica quidem plebis studia exarsere. Eloquentiae victorem esse Caesarem pronuntiatur (20—21). Prodigia et ob ea Rubellius Plautus in Asiam demotus; Nero nimii luxus cupidine periculum vitae adit (22). Corbulonis post deleta Artaxata per Armeniam facinora. Tigranocerta in deditionem accepta; Tiridaten extrema Armeniae intrantem dux Romanus depellit, Tigrani misso ex urbe ad capessendum Armeniae imperium tradit regnum, ipse in Syriam sibi permissam abscedit (23—26). Eodem anno Laodicea tremore terrae prolapsa; in Italia coloniis nonnullis subventum; comitia praetoria in ambitionem versa a principe composita; Vibius Secundus repetundarum damnatus (27—28).

C. 29—47. Annus a Ch. 61, Neronis principis 8. Per Britanniam Suetonii Paulini coepta, pericula, victoria (29—37). Cuius laudibus obtrectat Classicianus procurator, et missus ad Britanniae statum spectandum Polyclitus libertus, terribilis suis, contemptus a Britannis. Suetonius ob amissas paucas naves revocatus exercitum tradit Petronio Turpiliano (38—39). Eodem anno Romae insignia scelera admissa, alterum audacia senatoris, falsum testamentum cum consciis Domitio Balbo subicere temptantis, alterum a servo, qui occidit praefectum urbis Pedanium Secundum; familia omnis quae sub eodem tecto mansitaverat ad supplicium ducta post diversas in senatu super ea poena sententias et plebis turbas (40—45). Isdem consulibus damnatus Tarquitius Priscus, census per Gallias acti, mortuus Memmius Regulus (46—47).

C. 48—65. Anni a Ch. sexagesimi secundi, qui est nonus Neronis Caesaris, ad scelera et flagitia prorumpentis iamque suo tantum ingenio utentis, res domesticae. Revocatur lex maiestatis atque exercetur in Antistium praetorem, ob factitata in principem carmina delatum, qui Thraseae libertate supplicium evadit et ininsulam mittitur (48—49). Haud dispari crimine Veiento Italia depulsus (50). Burrus vita concedit, valitudine an veneno incertum; praetoriis cohortibus impositi Faenius Rufus, vir militaris et bonus, Sofonius Tigillinus, deterrimus mortalium (51). Burri mors Senecae potentiam infregit; is tempus sermoni orat, quietem petit, fenus et villas a Nerone dono acceptas redditurus. Qui modeste negat; Seneca prohibet coetus salutantium, vitat comitantes, rarus in urbe (52—56). Etiam Faenius imminutus, validior in dies Tigillinus, qui metus principis rimatus Plauto et Sullae perniciem struit. Quibus sublatis Nero nuptias Poppaeae parat maturare et amoliri Octaviam coniugem (57—59). Exturbatur Octavia, mox instigante Poppaea servilis amoris accusatur, in Campaniam pellitur. Inde ob crebros vulgi questus revocata a Nerone, et turbae propter immodicam plebis laetitiam in urbe. Poppaea ira et metu atrox Neronem perpellit, ut falso adulterii crimine Octaviam in insulam Pandateriam releget, dein interficiat (60—64). Isdem temporibus libertorum praecipuos Nero interfecisse veneno creditus est (65). Externae eius res in proximum librum differuntur.

1 Gaio Vipstano *C.* Fonteio consulibus diu meditatum
P. Ch. 59 scelus non ultra Nero distulit, vetustate imperii coalita audacia, et flagrantior in dies amore Poppaeae, quae sibi matrimonium et discidium Octaviae incolumi Agrippina haud sperans, crebris criminationibus, aliquando per facetias incusaret principem et pupillum vocaret, qui iussis alienis obnoxius non modo imperii sed libertatis etiam indigeret. Cur enim differri nuptias suas? Formam scilicet displicere et triumphales avos, an fecunditatem et verum animum? timeri ne uxor saltem iniurias patrum, iram populi adversus superbiam avaritiamque matris aperiat. Quod si nurum Agrippina non nisi filio infestam ferre posset, reddatur ipsa Othonis coniugio: ituram quoquo terrarum, ubi audiret potius contumelias imperatoris quam viseret periculis eius inmixta. Haec atque talia lacrimis et arte adulterae penetrantia nemo prohibebat, cupientibus cunctis infringi potentiam matris et credente nullo usque ad caedem eius duratura filii odia.
2 Tradit Cluvius ardore retinendae Agrippinam potentiae eo usque provectam, ut medio diei, cum id temporis Nero

1 Vipstano *Chr. Ad. Rupertus* (*cf. ad* 11 23): uipsano *C. Fonteio: fonteio consuli[b]* 5 facecias 12 reddatur *G*: redditur (redderetur *Acidalius*) 15 penetrantia

per vinum et epulas incalesceret, offerret se saepius temulento comptam et incesto paratam. Iamque lasciva oscula et praenuntias flagitii blanditias adnotantibus proximis, Senecam contra muliebres inlecebras subsidium a femina petivisse, inmissamque Acten libertam, quae simul suo periculo et infamia Neronis anxia deferret pervulgatum esse incestum gloriante matre, nec toleraturos milites profani principis imperium. Fabius Rusticus non Agrippinae sed Neroni cupitum id memorat eiusdemque libertae astu disiectum. Sed quae Cluvius, eadem ceteri quoque auctores prodidere, et fama huc inclinat, seu concepit animo tantum inmanitatis Agrippina, seu credibilior novae libidinis meditatio in ea visa est, quae puellaribus annis stuprum cum Lepido spe dominationis admiserat, pari cupidine usque ad libita Pallantis provoluta et exercita ad omne flagitium patrui nuptiis. Igitur Nero vitare secretos eius congressus, abscedentem in hortos aut Tusculanum vel Antiatem in agrum laudare, quod otium capesseret. Postremo, ubicumque haberetur, praegravem ratus interficere constituit, hactenus consultans, veneno an ferro vel qua alia vi. Placuitque primo venenum. Sed inter epulas principis si daretur, referri ad casum non poterat tali iam Britannici exitio; et ministros temptare arduum videbatur mulieris usu scelerum adversus insidias intentae; atque ipsa praesumendo remedia munierat corpus. Ferrum et caedes quonam modo occultaretur, nemo reperiebat; et nequis illi tanto facinori delectus iussa sperneret, metuebant. Optulit ingenium Anicetus libertus, classi apud Misenum praefectus et pueritiae Neronis educator ac mutuis odiis Agrippinae invisus. Ergo navem posse componi docet, cuius pars ipso in mari per artem soluta effunderet ignaram: nihil tam capax fortuitorum quam mare; et si naufragio intercepta sit, quem adeo iniquum, ut sce- 3

1 offerret se ς : offerre^{se} (*sic;* se *ab al. m.*) 3 flagitii *R* : flagitiis 10 cęteri 13 spedo minitationis 14 am^{d}miserat 18 capesseret *Heinsius* : lacesseret ubicūque 19 praegraue *Puteolanus* : praegraue 21 princis *pr* 22 brittannici 26 repperiebat neꝙuis illi *Puteolanus* : illo 27 metuebat *G* anicętus 28 et ducator

leri adsignet quod venti et fluctus deliquerint? additurum principem defunctae templum et aras et cetera ostentandae
4 pietati. Placuit sollertia, tempore etiam adiuta, quando Quinquatrium festos dies apud Baias *Nero* frequentabat. Illuc matrem elicit, ferendas parentium iracundias et placandum animum dictitans, quo rumorem reconciliationis efficeret; accepitque Agrippina, facili feminarum credulitate ad gaudia. Venientem dehinc obvius in litora (nam Antio adventabat) excepit manu et complexu ducitque..Baulos. Id villae nomen est, quae promuntorium Misenum inter et Baianum lacum flexo mari alluitur. Stabat inter alias navis ornatior, tamquam id quoque honori matris daretur: quippe sueverat triremi et classiariorum remigio vehi. At tum invitata ad epulas erat, ut occultando facinori nox adhiberetur. Satis constitit extitisse proditorem, et Agrippinam auditis insidiis, an crederet ambiguam, gestamine sellae Baulos pervectam. Ibi blandimentum sublevavit metum; comiter excepta superque ipsum collocata. Iam pluribus sermonibus, modo familiaritate iuvenili Nero et rursus adductus, quasi seria consociaret, tracto in longum convictu, prosequitur abeuntem, artius oculis et pectori haerens, sive explenda simulatione, seu periturae matris supremus aspectus quamvis ferum animum retinebat.
5 Noctem sideribus illustrem et placido mari quietam quasi convincendum ad scelus dei praebuere. Nec multum erat progressa navis, duobus e numero familiarium Agrippinam comitantibus, ex quis Crepereius Gallus haud procul gubernaculis astabat, Acerronia super pedes cubitantis reclinis

3 adiuta ς : iuta qnquatriū (quinquatruum ς) 4 *Nero : *om* 5 elicit] *immo* epta elicit, *h. e.* epistula elicit; *cf. Sueton. Ner.* 34 : iucundissimis litteris Baias euocauit ferenda 6 morē *efficeret : accepitque : efficeret acciperetque (acceperatque *Acidalius*) 7 agrippina³ (*nota a rec. manu*) 8 excepit 9 ..*Baulos : baulos (*expleo* Baias, inde Baulos) 10 promuntorium (*cf.* 2 39) 11 alluitur ς : allauitur 12 matris *L* : matri 13 *at : ac 16 Baulos] Baias *Puteolanus, sed cf. Dio* 61 13 17 metu³ (*nota rec. manu*) 18 iam *Heinsius* : nam 19 *malim* adductius 21 inhaerens *Heinsius* peturę *pr* 23 syderibus 24 *dei : dii

poenitentiam filii et recuperatam matris gratiam per gaudium memorabat, cum dato signo ruere tectum loci multo plumbo grave; pressusque Crepereius et statim exanimatus est. Agrippina et Acerronia eminentibus lecti parietibus ac forte validioribus, quam ut oneri cederent, protectae sunt. Nec dissolutio navigii sequebatur, turbatis omnibus, et quod plerique ignari etiam conscios impediebant. Visum dehinc remigibus unum in latus inclinare atque ita navem submergere: sed neque ipsis promptus in rem subitam consensus, et alii contra nitentes dedere facultatem lenioris in mare iactus. Verum Acerronia [inprudentia!] dum se Agrippinam esse utque subveniretur matri principis clamitat, contis et remis et quae fors obtulerat navalibus telis conficitur: Agrippina silens eoque minus agnita (unum tamen vulnus umero excepit) nando, deinde occursu lenunculorum Lucrinum in lacum vecta villae suae infertur. Illic reputans ideo se fallacibus litteris accitam 6 et honore praecipuo habitam, quodque litus iuxta, non ventis acta, non saxis inpulsa navis summa sui parte veluti terrestre machinamentum concidisset, observans etiam Acerroniae necem, simul suum vulnus aspiciens, solum insidiarum remedium esse, si non intellegerentur, *vidit;* misitque libertum Agerinum, qui nuntiaret filio benignitate deum et fortuna eius evasisse gravem casum; orare ut quamvis periculo matris exterritus visendi curam differret; sibi ad praesens quiete opus. Atque interim securitate simulata medicamina vulneri et fomenta corpori adhibet; testamentum Acerroniae requiri bonaque obsignari iubet, id tantum non per simulationem. At Neroni nuntios patrati facinoris opperienti affer- 7 tur, evasisse ictu levi sauciam et hactenus adito discrimine, ne auctor dubitaretur. Tum pavore exanimis et iam iamque

1 poenitentiam *Puteolanus* : penitentiam matri *Faernus* 2 *fortasse* rueret 5 quam ut *Pichena* : quāuis honeri 7 consios *pr* 10 dedere] dere, *in margine* c d'emere 11 *[inprudentia!] : Inprudentia 14 agnita (*sic*) tam̄ humero (*idem* 14 61 humeris, *sed H.* 2 22 umeros, *H.* 3 28 *et* 4 15 umeris, *prior Mediceus* umeris *scribit* 1 8 *et* 22, 3 2, umeros 3 23; *cf.* ὦμος 21 *uidit: misitque : misitque (esse sensit, si non int. *Beezenberger*) 22 dm̄ 30 ne auctor dubitaretur *G* : auctor dubitaret et iam] etiam

adfore obtestans vindictae properam, sive servitia armaret vel militem accenderet, sive ad senatum et populum pervaderet, naufragium et vulnus et interfectos amicos obiciendo: quod contra subsidium sibi, nisi quid Burrus et Seneca? [expergens] Quos statim acciverat, incertum an et ante *non* ignaros. Igitur longum utriusque silentium, ne irriti dissuaderent, an eo descensum credebant, ut, nisi praeveniretur Agrippina, pereundum Neroni esset. Post Seneca hactenus prompsit ut respiceret Burrum ac sciscitaretur an militi imperanda caedes esset. Ille praetorianos toti Caesarum domui obstrictos memoresque Germanici nihil adversus progeniem eius atrox ausuros respondit: perpetraret Anicetus promissa. Qui nihil cunctatus poscit summam sceleris. Ad eam vocem Nero illo sibi die dari imperium auctoremque tanti muneris libertum profitetur: iret propere duceretque promptissimos ad iussa. Ipse audito venisse missu Agrippinae nuntium Agerinum, scenam ultro criminis parat, gladiumque, dum mandata perfert, abicit inter pedes eius, tum quasi deprehenso vincla inici iubet, ut exitium principis molitam matrem et pudore deprehensi sceleris sponte mortem sumpsisse confingeret.

8 Interim vulgato Agrippinae periculo, quasi casu evenisset, ut quisque acceperat, decurrere ad litus. Hi molium obiectus, hi proximas scaphas scandere; alii, quantum corpus sinebat, vadere in mare; quidam manus protendere; questibus votis, clamore diversa rogitantium aut incerta respondentium omnis ora compleri; adfluere ingens multitudo cum luminibus, atque ubi incolumem esse pernotuit, ut ad gratandum sese expedire, donec aspectu armati et minitantis agminis disiecti sunt. Anicetus villam statione circumdat refractaque ianua obvios servorum abripit, donec ad fo-

4 *Seneca? [expergens] Quos : seneca expgens. Quos 5 *non ignaros : ignaros 7 ut *G* : *om* 8 prompsit ut *Heraeus* : promptius (sententiam hactenus prompsit ut *Pluygers*) 9 ac sciscitaretur *liber Budensis* : ac siscitaretur (*sic*) imperande 13 possit summa^{c} (*nota a vetere m., ut videtur*) illo sibi die *R* : illos Inbidie 16 agerrimum 19 exitium *G* : exitū 24 quęstibus 25 uotis *R* : uocis 28 gratādum 29 disiecti *G* : deiecti 30 refractaque *G* : retractaque^{de}

res cubiculi veniret; cui pauci adstabant, ceteris terrore inrumpentium exterritis. Cubiculo modicum lumen inerat et ancillarum una, magis ac magis anxia Agrippina, quod nemo a filio ac ne Agerinus quidem: aliam fore laetae rei faciem; nunc solitudinem ac repentinos strepitus et extremi mali indicia. Abeunte dehinc ancilla, 'tu quoque me deseris' prolocuta, respicit Anicetum, trierarcho Herculeio et Obarito, centurione classiario, comitatum, ac, si ad visendum venisset, refotam nuntiaret: sin facinus patraturus, nihil se de filio credere; non imperatum parricidium. Circumsistunt lectum percussores et prior trierarchus fusti caput eius adflixit. Iam in mortem centurioni ferrum destringenti protendens uterum 'ventrem ferri' exclamavit multisque vulneribus confecta est. Haec consensu produntur. Aspexeritne matrem 9
exanimem Nero et formam corporis eius laudaverit, sunt qui tradiderint, sunt qui abnuant. Cremata est nocte eadem convivali lecto et exequiis vilibus; neque, dum Nero rerum potiebatur, congesta aut clausa humus. Mox domesticorum cura levem tumulum accepit, viam Miseni propter et villam Caesaris dictatoris, quae subiectos sinus editissima prospectat. Accenso rogo libertus eius cognomento Mnester ipse se ferro transegit, incertum caritate in patronam an metu exitii. Hunc sui finem multos ante annos crediderat Agrippina contempseratque. Nam consulenti super Nerone responderant Chaldaei fore ut imperaret matremque occideret: atque illa 'occidat' inquit, 'dum imperet.'

Sed a Caesare perfecto demum scelere magnitudo eius 10
intellecta est. Reliquo noctis modo per silentium defixus, saepius pavore exurgens et mentis inops lucem opperiebatur tamquam exitium allaturum. Atque eum auctore Burro prima centurionum tribunorumque adulatio ad spem firmavit, prensantium manum gratantiumque quod discrimen inpro-

2 inherat 4 laetae rei *Bezzenberger* : lateret (*sic*) 5 indicia *G* : indicta 7 aniceṭum 11 capud 12 iam *Faernus* : nam in mortem ꝯ : morte *superposito* ı 17 ex quiis *ascripto* e (*sic*) 21 ipse se *Ernesti* : ipse 24 responderant *Haase* : responderunt chaldei

25 ad quae illa *Heinsius* 26 inquid *pr* 30 burri^{o} 31 primum *fortasse* 32 prensantium *Ernesti* : pressantiū

visum et matris facinus evasisset. Amici dehinc adire templa, et coepto exemplo proxima Campaniae municipia victimis et legationibus laetitiam testari: ipse diversa simulatione maestus et quasi incolumitati suae infensus ac morti parentis illacrimans. Quia tamen non, ut hominum vultus, ita locorum facies mutantur, obversabaturque maris illius et litorum gravis aspectus (et erant qui crederent sonitum tubae collibus circum editis planctusque e tumulo matris audiri), Neapolim concessit litterasque ad senatum misit, quarum summa erat, repertum cum ferro percussorem Agerinum, ex intimis Agrippinae libertis, et luisse eam poenas *eadem* conscientia, qua sce-
11 lus paravisset. Adiciebant crimina longius repetita, quod consortium imperii iuraturasque in feminae verba praetorias cohortes idemque dedecus senatus et populi speravisset, ac postquam frustra habita sit, infensa militi patribusque et plebi dissuasisset donativum et congiarium periculaque viris illustribus struxisset. Quanto suo labore perpetratum, ne irrumperet curiam, ne gentibus externis responsa daret. Temporum quoque Claudianorum obliqua insectatione cuncta eius dominationis flagitia in matrem transtulit, publica fortuna extinctam referens. Namque et naufragium narrabat: quod fortuitum fuisse, quis adeo hebes inveniretur ut crederet? Aut a muliere naufraga missum cum telo unum, qui cohortes et classes imperatoris perfringeret? Ergo non iam Nero, cuius inmanitas omnium questus anteibat, sed Seneca ad-
12 verso rumore erat, quod oratione tali confessionem scripsisset. Miro tamen certamine procerum decernuntur supplicationes apud omnia pulvinaria, utque Quinquatrus, quibus apertae insidiae essent, ludis annuis celebrarentur; aureum Minervae simulacrum in curia et iuxta principis imago statuerentur; dies natalis Agrippinae inter nefastos esset. Thra-

2 cepto 4 morti *L* : morte 8 e *Orelli* : om 11 *poenas eadem conscientia, qua : pęna⁊ conscientia, qua (poenas conscientia, quas *Nipperdey*, poenas c., tamquam *Heraeus*) 12 adiciebant (*litterae scilicet;* adiiciebat *G*) 15 habita *Muretus* : ablata 17 *struxisset : Instruxisset 19 obliqua *Agricola* : oblita 20 puplica 21 iamque *L* 22 fuisse *R* : fuisset 23 mulire naufra^{ga} 25 aduerso rumore *G* : aduerso ⁊ more 28 qnquatruus 29 celebrarentur *G* : celebraretur 30 Iusta

sea Paetus silentio vel brevi adsensu priores adulationes transmittere solitus exiit tum senatu, ac sibi causam periculi fecit, ceteris libertatis initium non praebuit. Prodigia quoque crebra et irrita intercessere. Anguem enixa mulier, et alia in concubitu mariti fulmine exanimata; iam sol repente obscuratus et tactae de caelo quattuordecim urbis regiones. Quae adeo sine cura deum eveniebant, ut multos post annos Nero imperium et scelera continuaverit. Ceterum quo gravaret invidiam matris eaque demota auctam lenitatem suam testificaretur, feminas illustres Iuniam et Calpurniam, praetura functos Valerium Capitonem et Licinium Gabolum sedibus patriis reddidit, ab Agrippina olim pulsos. Etiam Lolliae Paulinae cineres reportari sepulcrumque extrui permisit; quosque ipse nuper relegaverat, Iturium et Calvisium poena exolvit. Nam Silana fato functa erat, longinquo ab exilio Tarentum regressa labante iam Agrippina, cuius inimicitiis conciderat, vel tantum mitigata. Cunctari *dein* in oppidis Cam- 13
paniae, quonam modo urbem ingrederetur, an obsequium senatus, an studia plebis reperiret anxius: contra deterrimus quisque, quorum non alia regia fecundior extitit, invisum Agrippinae nomen et morte eius accensum populi favorem disserunt: iret intrepidus et venerationem sui coram experiretur; simul praegredi exposcunt. Et promptiora quam promiserant inveniunt, obvias tribus, festo cultu senatum, coniugum ac liberorum agmina per sexum et aetatem disposita, extructos, qua incederet, spectaculorum gradus, quomodo triumphi visuntur. Hinc superbus ac publici servitii victor Capitolium adiit, grates exolvit, seque in omnes libidines effudit, quas male coercitas qualiscumque matris reverentia tardaverat.

1 petus (*quod et hic et* 16 21 *ex glossa videtur adesse; cf.* 13 49, 14 48 *et* 49, 15 20 *et* 23, 16 24 *et* 33 *et* 35, *H.* 2 91, 4 5 *et* 7, *A.* 2) 2 exiit tum senatu *L*: exitium senatui 6 tactae *G*: tactas decelo 7 dñ 10 praetura *L*: p̃fectura 12 solliae 14 Iturium *R*: tyturium (*cf.* 13 19 *et* 22) pœna exoluit 17 *tantum: tam̄ (tum *G*, tandem *Bekker*) *dein in: in (at Nero cunctari in *Baiter*, at Caesar cunctari in *Nipperdey*, cunctari tamen in *Bezzenberger*) 19 repperiret (t *recenti manu adscriptum est*) ansius 20 estitit 24 senatu 26 incenderet qmodo 29 qualiscūque

14 Vetus illi cupido erat curriculo quadrigarum insistere, nec minus foedum studium cithara ludicrum in modum canere, cum cenaret. Certare equis regium et antiquis ducibus factitatum memorat, idque vatum laudibus celebre et deorum honori datum. Enimvero cantus Apollini sacros, talique ornatu astare non modo Graecis in urbibus sed Romana apud templa numen praecipuum et praescium. Nec iam sisti poterat, cum Senecae ac Burro visum, ne utraque pervinceret, alterum concedere. Clausumque valle Vaticana spatium in quo equos regeret, haud promisco spectaculo. Mox ultro vocari populus Romanus laudibusque extollere, ut est vulgus cupiens voluptatum et, si eodem princeps trahat, laetum. Ceterum evulgatus pudor non satietatem, ut rebantur, sed incitamentum attulit. Ratusque dedecus molliri, si plures foedasset, nobilium familiarum posteros egestate venales in scenam deduxit; quos fato perfunctos ne nominatim tradam, maioribus eorum tribuendum puto. Nam et eius flagitium est, qui pecuniam ob delicta potius dedit quam ne delinquerent. Notos quoque equites Romanos operas arenae promittere subegit donis ingentibus, nisi quod merces ab eo qui iubere potest
15 vim necessitatis affert. Ne tamen adhuc publico theatro dehonestaretur, instituit ludos Iuvenalium vocabulo, in quos passim nomina data. Non nobilitas cuiquam, non aetas aut acti honores impedimento, quo minus Graeci Latinive histrionis artem exercerent usque ad gestus modosque haud viriles. Quin et feminae illustres deformia meditari; extructaque apud nemus, quod navali stagno circumposuit Augustus, conventicula et cauponae et posita vaeno irritamenta luxui. Dabanturque stipes, quas boni necessitate, intemperantes gloria consumerent. Inde gliscere flagitia et infamia, nec ulla moribus olim corruptis plus libidinum circumdedit quam illa colluvies. Vix

1 cupido *L* : copia 2 fẹdum cythara 3 celaret *pr* *certare equis : qs (equos regere *Bezzenberger*, ludicrum in modum canere. concertare equis *Halm*, ludicrum in m. canere. curru certare et equis *Baiter*) 4 memorabat *G* cẹlebre 5 appolinis 7 numen *R* : nom̄ 10 promiscọ 12 cẹterum 14 fẹdasset 15 scẹnam (*sic*; *v. ad* 6 51) 21 puplico 22 iuuenalium *Puteolanus* : iuuenilium 25 motusque *Heinsius* 28 ueno

artibus honestis pudor retinetur, nedum inter certamina vitiorum pudicitia aut modestia aut quicquam probi moris reservaretur. Postremum ipse scenam incedit, multa cura temptans citharam et praemeditans. [assistentibus facies!] Accesserat cohors militum, centuriones tribunique, et maerens Burrus ac laudans. Tuncque primum conscripti sunt equites Romani cognomento Augustianorum, aetate ac robore conspicui, et pars ingenio procaces, alii in spe potentiae. Ii dies ac noctes plausibus personare, formam principis vocemque deum vocabulis appellantes; quasi per virtutem clari honoratique agere. Ne tamen ludicrae tantum imperatoris artes 16
notescerent, carminum quoque studium adfectavit, contractis quibus aliqua pangendi facultas. Necdum insignis aetatis e senatu considere simul, et adlatos vel ibidem repertos versus conectere atque ipsius verba quoquo modo prolata supplere. Quod species ipsa carminum docet, non impetu et instinctu nec ore uno fluens. Etiam sapientiae doctoribus tempus impertiebat post epulas, utque contraria adseverantium discordia frueretur,... nec deerant qui ore vultuque tristi inter obIectamenta regia spectari cuperent.

Sub idem tempus levi initio atrox caedes orta inter 17
colonos Nucerinos Pompeianosque gladiatorio spectaculo, quod Livineius Regulus, quem motum senatu rettuli, edebat. Quippe oppidana lascivia in vicem incessentes probra, dein saxa, postremo ferrum sumpsere, validiore Pompeianorum plebe, apud quos spectaculum edebatur. Ergo deportati sunt

3 postremu᷑s (*sic*) scenam *pr*, scenas *vetere m. corr* 4 cytharam *praemeditans. [assistentibus facies!] : praemeditans. assistentibus facies. (*sic;* assistentibus phonascis *Muretus*) 5 accesserat *L* : abscesserat 7 cognomento *Puteolanus* : cognomentū (in cognomentum *Wurm*) Augustianorum *Nipperdey* : august tano2ł (*sic; cf. Sueton. Ner.* 25) 8 in spem *Acidalius*, in *delendum censebat Muretus* Hii 10 dm̃ 13 facultas. Necdum (*sic distinguit Mediceus*) *e senatu : nati (auctoritas: hi cenati *Halm et Haase*, claritas. hi *Nipperdey*) 14 ablatos (allatos *G*) 18 ępulas adseuerant. tum (asseuerantium *Puteolanus*) discordia frueretur *Bezzenberger* : discordiae rueretur 19 *frueretur,... : rueretur (*expleverim* sententiae diuersos adhibebat) 21 initio *Ernesti* : intentio

23 Liuineius *L* : libidineius 24 incessentes *L* : incessente

in urbem multi e Nucerinis trunco per vulnera corpore, ac plerique liberorum aut parentum mortes deflebant. Cuius rei iudicium princeps senatui, senatus consulibus permisit. Et rursus re ad patres relata, prohibiti publice in decem annos eiusmodi coetu Pompeiani, collegiaque quae contra leges instituerant dissoluta; Livineius et qui alii seditionem conciverant exilio multati sunt.

18 Motus senatu et Pedius Blaesus, accusantibus Cyrenensibus violatum ab eo thesaurum Aesculapii dilectumque militarem pretio et ambitione corruptum. Iidem Cyrenenses reum agebant Acilium Strabonem, praetoria potestate usum et missum disceptatorem a Claudio agrorum, quos regi Apioni quondam avitos et populo Romano cum regno relictos proximus quisque possessor invaserant, diutinaque licentia et iniuria quasi iure et aequo nitebantur. Igitur abiudicatis agris orta adversus iudicem invidia; et senatus ignota sibi esse mandata Claudii et consulendum principem respondit. Nero probata Strabonis sententia, se nihilo minus subvenire sociis et usurpata concedere scripsit.

19 Sequuntur virorum illustrium mortes, Domitii Afri et M. Servilii, qui summis honoribus et multa eloquentia viguerant, ille orando causas, Servilius diu foro, mox tradendis rebus Romanis celebris et elegantia vitae; quam clariorem effecit, ut par ingenio, ita morum diversus.

20 Nerone quartum Cornelio Cosso consulibus quinquennale ludicrum Romae institutum est ad morem Graeci certaminis, varia fama, ut cuncta ferme nova. Quippe erant qui Cn. quoque Pompeium incusatum a senioribus ferrent, quod mansuram theatri sedem posuisset. Nam antea subitariis gradibus et scena in tempus structa ludos edi solitos, vel si vetustiora repetas, stantem populum spectavisse, ne, si

1 multi e] multae *pr* 4 partes 5 cętu 6 Liuineius *L*: liuidinel; 8 blesus cirenensibus 9 esculapii 10 Idem cyrenses 12 regi Apinioni *L*: regis apionis 13 auitos *Heinsius*: habitos 15 iurę 16 horta Indicem 17 consulē dum 18 Nero *Pichena*: ne 19 rescripsit *Haase* 25 quartum *Puteolanus*: quarto cons. 26 institum 28 ℰN. 30 scęna (*cf. ad* 6 51) 31 spectauisse, ne, si—continuaret. spectaculorum *Agricola*: spectauisse. si—continuaret. ne spectaculorum

consideret, theatro dies totos ignavia continuaret. Spectaculorum quidem antiquitas servaretur, quotiens praetor praesideret, nulla cuiquam civium necessitate certandi. Ceterum abolitos paulatim patrios mores funditus everti per accitam lasciviam, ut quod usquam corrumpi et corrumpere queat, in urbe visatur, degeneretque studiis externis iuventus, gymnasia et otia et turpes amores exercendo, principe et senatu auctoribus, qui non modo licentiam vitiis permiserint, sed vim adhibeant, ut proceres Romani specie orationum et carminum scena polluantur. Quid superesse, nisi ut corpora quoque nudent et caestus adsumant easque pugnas pro militia et armis meditentur? An iustius augurii et [decurias equitum] egregium iudicandi munus expleturos, si fractos sonos et dulcedinem vocum perite audissent? Noctes quoque dedecori adiectas, ne quod tempus pudori relinquatur, sed coetu promisco, quod perditissimus quisque per diem concupiverit, per tenebras audeat. Pluribus ipsa licentia placebat, ac tamen 21
honesta nomina praetendebant. Maiores quoque non abhorruisse spectaculorum oblectamentis pro fortuna quae tunc erat, eoque a Tuscis accitos histriones, a Thuriis equorum certamina; et possessa Achaia Asiaque ludos curatius editos, nec quemquam Romae honesto loco ortum ad theatrales artes degeneravisse, ducentis iam annis a L. Mummii triumpho, qui primus id genus spectaculi in urbe praebuerit. Sed et consultum parsimoniae, quod perpetua sedes theatro locata sit potius, quam immenso sumptu singulos per annos consurgeret ac destrueretur. Nec perinde magistratus rem familiarem exhausturos aut populo efflagitandi Graeca certamina a magistratibus causam fore, cum eo sumptu res publica fungatur. Oratorum ac vatum victorias incitamentum ingeniis allaturas;

2 *praetor praesideret : praetor sederet (praetores ederent *Muretus et L*) 3 cęterum 7 amore^{ut} principes *pr* 9 ut *Acidalius* : *om* 10 quid *G* : Q (*sic*) In 12 *iustius : ius titia (*sic*) *[decurias equitum] : decurias ęquitum 15 pudoris *pr* cętu promisco^{u} 19 fortunaque *tunc : tu (*cum spatio duarum litterarum; tum vulgo*) 21 asyaque 22 quenquam 23 L. nummii 24 consul tum 27 destrueretur *Nodell (crit. observatt. Campis* 1781 *p.* 77) : strueretur 28 certamina a *R* : certamina. (*sic*) 29 res p.

nec cuiquam iudici grave aures studiis honestis et voluptatibus concessis impertire. Laetitiae magis quam lasciviae dari paucas totius quinquennii noctes, quibus tanta luce ignium nihil illicitum occultari queat. Sane nullo insigni dehonestamento id spectaculum transiit. Ac ne modica quidem studia plebis exarsere, quia redditi quamquam scenae pantomimi certaminibus sacris prohibebantur. Eloquentiae primas nemo tulit, sed victorem esse Caesarem pronuntiatum. Graeci amictus, quis per eos dies plerique incesserant, tum exoleverunt.

22 Inter quae et sidus cometes effulsit, de quo vulgi opinio est tamquam mutationem regis portendat. Igitur quasi iam depulso Nerone, quisnam deligeretur, anquirebant. Et omnium ore Rubellius Plautus celebratur, cui nobilitas per matrem ex Iulia familia. Ipse placita maiorum colebat, habitu severo, casta et secreta domo, quantoque metu occultior, tanto plus famae adeptus. Auxit rumorem pari vanitate orta interpretatio fulguris. Nam quia discumbentis Neronis apud Simbruina stagna [cui Sublaqueum nomen est] ictae dapes mensaque disiecta erat, idque finibus Tiburtum acciderat, unde paterna Plauto origo, hunc illum numine deum destinari credebant, fovebantque multi, quibus nova et ancipitia praecolere avida et plerumque fallax ambitio est. Ergo permotus his Nero componit ad Plautum litteras, consuleret quieti urbis seque prava diffamantibus subtraheret: esse illi per Asiam avitos agros, in quibus tuta et inturbida iuventa frueretur. Ita illuc cum coniuge Antistia et paucis familiarium concessit.

Isdem diebus nimia luxus cupido infamiam et periculum Neroni tulit, quia fontem aquae Marciae ad urbem deductae

2 imptire 3 totius *L* : potius 5 transiit *L* : transit 8 amictus] ami *in loco eraudo renovatum est* 9 quis *Groslotius* : q^{o} exoleuerunt *Heinsius* : exoleuerant (*ortum assimilationis errore;* cito exsoleuerant *Neue*) 10 Interque 11 regnis *Bentleius ad Lucani* 1 529 13 pl^{u}atus celebrabatur *Muretus* 16 rumore 17 interpretatio *G* : Intra. et at^{c}io 18 *stagna [cui Sublaqueum nomen est] : stagna. cui sublaqueum nomen est 19 in finibus *potius* 20 *fortasse* hunc ilico numine dñ, *item paulo post* 23 quieti urbis *Pichena* : q e turbis 24 asyam 26 familiarius *pr* (*retere m. correctum*) 28 Neroni *Puteolanus* : neronis margio (Martiae *Puteolanus*)

nando incesserat; videbaturque potus sacros et caerimoniam loci corpore loto polluisse. Secutaque anceps valitudo iram deum affirmavit.

At Corbulo post deleta Artaxata utendum recenti ter- 23
rore ratus ad occupanda Tigranocerta, quibus excisis metum hostium intenderet vel, si pepercisset, clementiae famam adipisceretur, illuc pergit, non infenso exercitu, ne spem veniae auferret, neque tamen remissa cura, gnarus facilem mutatu gentem, ut segnem ad pericula, ita infidam ad occasiones. Barbari, pro ingenio quisque, alii preces offerre, quidam deserere vicos et in avia digredi; ac fuere qui se speluncis et carissima secum abderent. Igitur dux Romanus diversis artibus, misericordia adversus supplices, celeritate adversus profugos, inmitis iis qui latebras insederant, ora et exitus specuum sarmentis virgultisque completos igni exurit. Atque illum fines suos praegredientem incursavere Mardi, latrociniis exerciti contraque irrumpentem montibus defensi; quos Corbulo inmissis Hiberis vastavit hostilemque audaciam externo sanguine ultus est. Ipse exercitusque ut 24
nullis ex proelio damnis, ita per inopiam et labores fatiscebant, carne pecudum propulsare famem adacti. Ad hoc penuria aquae, fervida aestas, longinqua itinera sola ducis patientia mitigabantur, eadem pluraque gregario milite tolerantis. Ventum dehinc in locos cultos, demessaeque segetes, et ex duobus castellis, in quae confugerant Armenii, alterum impetu captum; qui primam vim depulerant, obsidione coguntur. Vnde in regionem Tauraunitium transgressus inprovisum periculum vitavit. Nam haud procul tentorio eius non ignobilis barbarus cum telo repertus ordinem insidiarum seque auctorem et socios per tormenta edidit, convictique et puniti sunt qui specie amicitiae dolum parabant. Nec multo post legati Tigranocertis missi patere moenia afferunt, intentos popularis ad iussa: simul hospitale donum, coronam auream, tradebant. Accepitque cum honore, nec quicquam

2 loto *L* : toto 6 intenderet *G* : intendere 7 *malim* apisceretur 8 faciem *correcto in margine* facilem 14 iis *G* : his 23 pluraque *Iacob* : plura quam tolerantis *Ernesti* : toleranti 25 inque conf. 32 *Tigranocertis : triganocerta menia

urbi detractum, quo promptius obsequium integri retinerent.
25 At praesidium legerat, quod ferox iuventus clauserat, non sine certamine expugnatum est: nam et proelium pro muris ausi erant et pulsi intra munimenta aggeri demum et irrumpentium armis cessere. Quae facilius proveniebant, quia Parthi Hyrcano bello distinebantur. Miserantque Hyrcani ad principem Romanum societatem oratum, attineri a se Vologesen pro pignore amicitiae ostentantes. Eos regredientes Corbulo, ne Euphraten transgressi hostium custodiis circumvenirentur, dato praesidio ad litora maris rubri deduxit, unde vitatis Parthorum finibus patrias in sedes remea-
26 vere. Quin et Tiridaten per Medos extrema Armeniae intrantem, praemisso cum auxiliis *Severo* Verulano legato, atque ipse legionibus citis, abire procul ac spem belli omittere subegit; quosque nobis [ab rege] alienos cognoverat, caedibus et incendiis perpopulatus possessionem Armeniae usurpabat, cum advenit Tigranes a Nerone ad capessendum imperium delectus, Cappadocum ex nobilitate, regis Archelai nepos, sed quod diu obses apud urbem fuerat, usque ad servilem patientiam demissus. Neque consensu acceptus, durante apud quosdam favore Arsacidarum. At plerique superbiam Parthorum perosi datum a Romanis regem malebant. Additum et praesidium, mille legionarii, tres sociorum cohortes duaeque equitum alae; et, quo facilius novum regnum tuerentur, pars Armeniae, ut cuique finitima, Pharasmani Polemonique et Aristobulo atque Antiocho parere iussae sunt. Corbulo

2 legerat] *fortasse* loco in arduo (inerat *Agricola*, regium *Puteolanus*, Legerda *Bezzenberger*) 4 aggeri *Boettticher* : aggeris (aggeribus *Ryck*) 6 yrcano 8 uologese—ostentante (uologensem—ostentantes *G*) 9 eufraten 10 deduxit ꝫ : dedix̃ 13 *Seuero Verulano : uerulano (*cf.* 15 3) 14 omittere *Agricola* : amittere 15 *[ab rege] : ab re^{ge} (*ge eadem manu ascriptum*) *alienos : animis (alienos animis *Agricola*, ob regem aduersos animis *G*, ob regem auersos animis *Puteolanus*, auersos animi *ego olim*, aduersantis *Nipperdey*, aduersos aut ambigere animis *Haase*, abhorrere animis *Iac. Gronovius*) 20 *neque : ne (nec *Puteolanus*) 21 fabore *pr* plerique superbiam *G* : plerisque superbia 22 posi *G* : pobsi 23 ei *Heinsius* 24 *tuerentur : tueretur 25 Armeniae, ut *G* : armenia eunt Pharasmani Polemonique *Gronovius* : pars nipulique

in Suriam abscessit, morte Vmmidii legati vacuam ac sibi permissam.

Eodem anno ex inlustribus Asiae urbibus Laodicea 27
tremore terrae prolapsa, nullo a nobis remedio, propriis opibus revaluit. At in Italia vetus oppidum Puteoli ius coloniae et cognomentum a Nerone apiscuntur. Veterani Tarentum et Antium adscripti non tamen infrequentiae locorum subvenere, dilapsis pluribus in provincias in quibus stipendia expleverant; neque coniugiis suscipiendis neque alendis liberis sueti orbas sine posteris domos relinquebant. Non enim, ut olim, universae legiones deducebantur cum tribunis et centurionibus et sui cuiusque ordinis militibus, ut consensu et caritate rem publicam efficerent, sed ignoti inter se, diversis manipulis, sine rectore, sine affectibus mutuis, quasi ex alio genere mortalium repente in unum collecti, numerus magis quam colonia.

Comitia praetorum arbitrio senatus haberi solita, quo- 28
niam acriore ambitu exarserant, princeps composuit, tris, qui supra numerum petebant, legioni praeficiendo. Auxitque patrum honorem statuendo ut, qui a privatis iudicibus ad senatum provocavissent, eiusdem pecuniae periculum facerent, cuius ii, qui imperatorem appellavere: nam antea vacuum id solutumque poena fuerat. Fine anni Vibius Secundus, eques Romanus, accusantibus Mauris repetundarum damnatur atque Italia exigitur, ne graviore poena afficeretur, Vibii Crispi fratris opibus enisus.

Caesennio Paeto et Petronio Turpiliano consulibus gra- 29
vis clades in Britannia accepta, in qua neque A. Didius p. Ch. 61
legatus, ut memoravi, nisi parta retinuerat, et successor *Q.* Veranius modicis excursibus Siluras populatus, quin ultra bellum proferret, morte prohibitus est, magna, dum vixit, severitatis fama, supremis testamenti verbis ambitionis mani-

1 abscessit *L*: accessit umidii 4 a *G*: *om* 6 *fortasse* et Claudiae cogn. 9 expleberant 13 rem .p. 17 quoniam *Haase*: quo (quod *Puteolanus*) 22 ii *G*: is (si *Halm*) 23 uiuius 24 dāmatur 25 italię *pr* paena 26 fratris opibus *Pichena*: frisoribus 27 Caesennio *Nipperdey*: cesonio cōs. 28 brittania A. Didius *L*: hauitus 29 *Q. Veranius: ueranius 30 Siluras *L*: siluas

festus: quippe multa in Neronem adulatione addidit subiecturum ei provinciam fuisse, si biennio proximo vixisset. Sed tum Paulinus Suetonius optinebat Britannos, scientia militiae et rumore populi, qui neminem sine aemulo sinit, Corbulonis concertator, receptaeque Armeniae decus aequare domitis perduellibus cupiens. Igitur Monam insulam, incolis validam et receptaculum perfugarum, adgredi parat, navesque fabricatur plano alveo adversus brevia et incertum. Sic pedes; equites vado secuti aut altiores inter undas adnantes
30 equis tramisere. Stabat pro litore diversa acies, densa armis virisque, intercursantibus feminis; in modum Furiarum veste ferali, crinibus deiectis faces praeferebant; Druidaeque circum, preces diras sublatis ad caelum manibus fundentes, novitate aspectus perculere militem, ut quasi haerentibus membris immobile corpus vulneribus praeberent. Dein cohortationibus ducis et se ipsi stimulantes, ne muliebre et fanaticum agmen pavescerent, inferunt signa sternuntque obvios et igni suo involvunt. Praesidium posthac inpositum victis excisique luci saevis superstitionibus sacri: nam cruore captivo adolere aras et hominum fibris consulere deos fas habebant. Haec agenti Suetonio repentina defectio provinciae
31 nuntiatur. Rex Icenorum Prasutagus, longa opulentia clarus, Caesarem heredem duasque filias scripserat, tali obsequio ratus regnumque et domum suam procul iniuria fore. Quod contra vertit, adeo ut regnum per centuriones, domus per servos velut capta vastarentur. Iam primum uxor eius Boudicca verberibus affecta et filiae stupro violatae sunt; praecipui quique Icenorum, quasi cunctam regionem muneri *Romani* accepissent, avitis bonis exuuntur, et propinqui regis inter mancipia habebantur. Qua contumelia et metu graviorum, quando in formam provinciae cesserant, rapiunt arma,

1 adulationē 2 prouinciam *L* : prouincias 3 optinebat brittannos (b) 8 breuia *Acidalius et Heinsius* : breue 9 uado *G* : uados (uada *Gronovius*, uadosa *Nipperdey*) 11 Immodum 12 faces *G* : facies 13 celum 14 milite³s (*nota manu vetere*) 17 strenuuntque 20 dõs 22 Icenorum *R* : Igeno♃, *mox* ygenorum 23 scripserat (b) 26 uelud Boudicca *Haase* : boodicia 28 *muneri Romani : muneri 29 hauitis *pr*

commotis ad rebellationem Trinobantibus et qui alii nondum servitio fracti resumere libertatem occultis coniurationibus pepigerant, acerrimo in veteranos odio. Quippe in coloniam Camulodunum recens deducti pellebant domibus, exturbabant agris, captivos, servos appellando, foventibus inpotentiam veteranorum militibus similitudine vitae et spe eiusdem licentiae. Ad hoc templum divo Claudio constitutum quasi arx aeternae dominationis aspiciebatur, delectique sacerdotes specie religionis omnis fortunas effundebant. Nec arduum videbatur excindere coloniam nullis munimentis septam; quod ducibus nostris parum provisum erat, dum amoenitati prius quam usui consulitur. Inter quae nulla palam causa delapsum 32
Camuloduni simulacrum Victoriae ac retro conversum, quasi cederet hostibus. Et feminae in furorem turbatae adesse exitium..canebant, externosque fremitus in curia eorum auditos; consonuisse ululatibus theatrum, visamque speciem in aestuario Tamesae subversae coloniae: iam Oceanus cruento aspectu, hinc labente aestu humanorum corporum effigies relictae, ut Britannis ad spem, ita veteranis ad metum trahebantur. Sed quia procul Suetonius aberat, petivere a Cato Deciano procuratore auxilium. Ille haud amplius quam ducentos sine iustis armis misit; et inerat modica militum manus. Tutela templi freti, et impedientibus qui occulti rebellionis conscii consilia turbabant, neque fossam aut vallum praeduxerunt, neque motis senibus et feminis iuventus sola restitit: quasi media pace incauti multitudine barbarorum circumveniuntur. Et cetera quidem impetu direpta aut incensa sunt: templum, in quo se miles conglobaverat, biduo obsessum expugnatumque. Et victor Britannus Petilio Ceriali, legato legionis nonae, in subsidium adventanti obvius fudit legionem, et quod peditum interfecit: Cerialis cum equitibus evasit in castra et

1 trinouantibus 2 fracti *Agricola*: facti 5 In potentiam 7 arx *eadem m. correctum ex* arae 9 oñs 14 furorem *Faernus*: furore 15 ..*canebant: canebant (*erpleo* colonis canebant) 17 Tamesae *Pichena*: ta^{s} es^{e} aspectus *pr* 18 *hinc labente: sic labente (dilabente *L*, et dilabente *Holm*) 19 Britannis—ueteranis *Iac. Gronovius*: brittanni—ueterani 20 haberat *pr* 22 Inherat 24 fossa 25 ita quasi *Acidalius* 27 cetera 29 britia^{s}nus Petilio *L*: petio 30 aduentanti *G*: aduentati

munimentis defensus est. Qua clade et odiis provinciae, quam avaritia eius in bellum egerat, trepidus procurator Catus
33 in Galliam transiit. At Suetonius mira constantia medios inter hostes Londinium perrexit, cognomento quidem coloniae non insigne, sed copia negotiatorum et commeatuum maxime celebre. Ibi ambiguus, an illam sedem bello deligeret, circumspecta infrequentia militis, satisque magnis documentis temeritatem Petilii coercitam, unius oppidi damno servare universa statuit. Neque fletu et lacrimis auxilium eius orantium flexus est, quin daret profectionis signum et comitantes in partem agminis acciperet: si quos inbellis sexus aut fessa aetas vel loci dulcedo attinuerant, ab hoste oppressi sunt. Eadem clades municipio Verulamio fuit, quia barbari omissis castellis praesidiisque militarium, quod uberrimum spoliantibus et defendentibus intutum, laeti praeda et aliorum segnes pete-
34 bant. Ad septuaginta milia civium et sociorum iis quae memoravi locis cecidisse constitit. Neque enim capere aut venundare, aliudve quod belli commercium, sed caedes patibula, ignes cruces, tamquam reddituri supplicia ac praerepta interim ultione, festinabant. Iam Suetonio quarta decuma legio cum vexillariis vicesimanis, ex proximis auxiliares, decem ferme milia armatorum erant, cum omittere cunctationem et congredi acie parat. Deligitque locum artis faucibus et a tergo silva clausum, satis cognito nihil hostium nisi in fronte et apertam planitiem esse, sine metu insidiarum. Igitur legionarius frequens ordinibus, levis circum armatura, conglobatus pro cornibus eques astitit. At Britannorum copiae passim per catervas et turmas exultabant, quanta non alias multitudo, et animo adeo feroci, ut coniuges quoque testes victoriae secum traherent plaustrisque inponerent, quae super extremum amb-
35 itum campi posuerant. Boudicca curru filias prae se vehens,

2 *auaritia eius : auaritiae (auaritia ς *et valgo*) 12 *attinuerant : attinuerat 14 militaribus *Pichena* spoliantibus *Aldalius* : spoliant (spolianti *Mercerus*) 15 laborum *L* segnes *Mercerus* : Insignes 16 hiis 17 cecidisse constitit *margo* : consistit 18 aliutue 19 *supplicia : suppliciū 21 uicesimanis *Aldalius* : uicesimariis *ex proximis : et ꝑximis (et e proximis *Puteolanus et valgo*) 27 brittannorum caterbas *pr* 29 feroci *Doederlein* : fero 31 Boudicca *Haase* : bouducca (*sic*)

ut quamque nationem accesserat, solitum quidem Britannis feminarum ductu bellare testabatur, sed tunc non ut tantis maioribus ortam regnum et opes *se,* verum ut unam e vulgo libertatem amissam, confectum verberibus corpus, contrectatam filiarum pudicitiam ulcisci. Eo provectas Romanorum cupidines, ut non corpora, ne senectam quidem aut virginitatem inpolluta relinquant. Adesse tamen deos iustae vindictae: cecidisse legionem quae proelium ausa sit; ceteros castris occultari aut fugam circumspicere. Ne strepitum quidem et clamorem tot milium, nedum impetus et manus perlaturos. Si copiam armatorum, si causas belli secum expenderent, vincendum illa acie vel cadendum esse. Id mulieri destinatum: viverent viri et servirent. Ne Sueto- 36
nius quidem in tanto discrimine silebat. Quamquam confideret virtuti, tamen exhortationes et preces miscebat, ut spernerent sonores barbarorum et inanes minas. Plus illic feminarum quam iuventutis aspici. Inbelles inermes cessuros statim, ubi ferrum virtutemque vincentium totiens fusi agnovissent. Etiam in multis legionibus paucos, qui proelia profligarent; gloriaeque eorum accessurum quod modica manus universi exercitus famam adipiscerentur. Conferti tantum et pilis emissis, post umbonibus et gladiis stragem caedemque continuarent, praedae inmemores: parta victoria cuncta ipsis cessura. Is ardor verba ducis sequebatur, ita se ad intor-
quenda pila expedierat vetus miles et multa proeliorum experientia, ut certus *de* eventu Suetonius daret pugnae signum. Ac primum legio gradu inmota et angustias loci pro muni- 37
mento retinens, postquam propius suggressus hostis certo iactu tela exhauserat, velut cuneo erupit. Idem auxiliarium impetus; et eques protentis hastis perfringit quod obvium

1 brittannis 2 ductu *G* : dictu 3 *opes se *:* opes 4 contrectatam *G* : contrectam 6 ne *Ernesti* : nec 7 *inpolluta : Inpollutam ds 10 milium *L* : militum 11 *copiam : copias 13 uiri^{s} 14 quamquam] quam (qui quanquam ς) 19 esse qui *G* (*verum id videtur, vel* esse etiam in m. l. p.) 20 accesserum 21 fama *malim* apiscerentur 24 ardor *ex correctione* (*videtur fuisse* ordo) 26 *de euentu : euentu (euentus *R*) daret *G* : dare 28 in propius suggressos *Doederlein* 29 uelud 30 astis

et validum erat. Ceteri terga praebuere, difficile effugium, quia circumiecta vehicula sepserant abitus. Et miles ne mulierum quidem neci temperabat, confixaque telis etiam iumenta corporum cumulum auxerant. Clara et antiquis victoriis par ea die laus parta: quippe sunt qui paulo minus quam octoginta milia Britannorum cecidisse tradant, militum quadringentis ferme interfectis nec multo amplius vulneratis. Boudicca vitam veneno finivit. Et Poenius Postumus, praefectus castrorum secundae legionis, cognitis quartadecimanorum vicesimanorumque prosperis rebus, quia pari gloria legionem suam fraudaverat abnueratque contra ritum militiae
38 iussa ducis, se ipse gladio transegit. Contractus deinde omnis exercitus sub pellibus habitus est ad reliqua belli perpetranda. Auxitque copias Caesar missis ex Germania duobus legionariorum milibus, octo auxiliarium cohortibus ac mille equitibus, quorum adventu nonani legionario milite suppleti sunt. Cohortes alaeque novis hibernaculis locatae, quodque nationum ambiguum aut adversum fuerat, igni atque ferro vastatur. Sed nihil aeque quam fames affligebat serendis frugibus incuriosos, et omni aetate ad bellum versa, dum nostros commeatus sibi destinant. Gentesque praeferoces tardius ad pacem inclinabant, quia Iulius Classicianus, successor Cato missus et Suetonio discors, bonum publicum privatis simultatibus impediebat disperseratque novum legatum opperiendum esse, sine hostili ira et superbia victoris clementer deditis consulturum. Simul in urbem mandabat, nullum proeliorum finem expectarent, nisi succederetur Suetonio, cuius adversa pravitati ipsius, prospera ad fortunam
39 imperatoris referebat. Igitur ad spectandum Britanniae statum missus est e libertis Polyclitus, magna Neronis spe posse

1 *difficile effugium : difficili effugium (difficili effugio ς) 3 telis *G* : teli 6 octoginta *ed. princeps* : octingenta (*sic*) brittannorum 8 boudicca (*sic*) *suspicor* Faenius Postumus 9 quartadecim Iano 2 12 ipse *A. Ruperti* : ipsum 13 suppellibus 21 destinant *G* : destinat 22 inclinabant *Acidalius* : inclinant 23 suetonio *G* : suetior 24 pribatis *pr* noum 26 urbem *R* : urbe 27 proeliorum *L* : p̄lio succederet ursuetonio 29 imperatoris *Sirker* : ipsius (ipsius *deleri coluit Ernesti*) brittanniae 30 neroni

auctoritate eius non modo inter legatum procuratoremque concordiam gigni, sed et rebelles barbarorum animos pace componi. Nec defuit Polyclitus quo minus, ingenti agmine Italiae Galliaeque gravis, postquam Oceanum transmiserat, militibus quoque nostris terribilis incederet. Sed hostibus irrisui fuit, apud quos flagrante etiam tum libertate nondum cognita libertinorum potentia erat; mirabanturque quod dux et exercitus tanti belli confector servitiis obedirent. Cuncta tamen ad imperatorem in mollius relata, detentusque rebus gerundis Suetonius;.... quod post paucas naves in litore remigiumque in iis amiserat, tamquam durante bello, tradere exercitum Petronio Turpiliano, qui iam consulatu abierat, iubetur. Is non irritato hoste neque lacessitus honestum pacis nomen segni otio imposuit.

Eodem anno Romae insignia scelera, alterum senatoris, 40
servili alterum audacia, admissa sunt. Domitius Balbus erat praetorius, simul longa senecta, simul orbitate et pecunia insidiis obnoxius. Ei propinquus Valerius Fabianus, capessendis honoribus destinatus, subdidit testamentum asciis Vinicio Rufino et Terentio Lentino, equitibus Romanis. Illi Antonium Primum et Asinium Marcellum sociaverant. Antonius audacia promptus, Marcellus Asinio Pollione proavo clarus, neque morum spernendus habebatur, nisi quod paupertatem praecipuum malorum credebat. Igitur Fabianus tabulas, *consciis* quos memoravi et aliis minus illustribus, obsignat. Quod apud patres convictum, et Fabianus Antoniusque cum Rufino et Terentio lege Cornelia damnantur. Marcellum memoria maiorum et preces Caesaris poenae magis quam infamiae exemere. Perculit is dies Pompeium quoque 41

2 barbarum *pr* 7 libertorum *B* 10 ....*quod : quod (*expleo* quod contra uertit : nam quod) posthac *Halm*, paulo post *Nipperdey* (*cf.* 15 24 : nuper clausum Tigranen, post Paetum legionesque, cum opprimere posset, incolumes dimisisse) remigiumque *G* : remigu'que 11 iis *Puteolanus* : his ā miserat 12 his non 16 seruilia *pr* 18 ei *R* : et fabianis 20 Vinicio *R* : uincio 22 promptu asilio *pr* 23 clarus] clarus erat *Nipperdey* (*cf.* c. 33 : neque enim capere aut uenundare, aliudue quod belli commercium) 24 tabulas *correcto* s *in* r, *ut ascito proximo* iis *fieret* tabulariis 25 *consciis : iis (ascitis *Kiessling*) 27 damnatur *pr* 28 penae, *mox* pœna

Aelianum, iuvenem quaestorium, tamquam flagitiorum Fabiani gnarum, eique Italia et Hispania, in qua ortus erat, interdictum est. Pari ignominia Valerius Ponticus afficitur, quod reos, ne apud praefectum urbis arguerentur, ad praetorem detulisset, interim specie legum, mox praevaricando ultionem elusurus. Additur senatus consulto, qui talem operam emptitasset vendidissetve, perinde poena teneretur ac publico iudicio calumniae condempnatus.

42 Haud multo post praefectum urbis Pedanium Secundum servus ipsius interfecit, seu negata libertate, cui pretium pepigerat, sive amore exoleti infensus et dominum aemulum non tolerans. Ceterum cum vetere ex more familiam omnem, quae sub eodem tecto mansitaverat, ad supplicium agi oporteret, concursu plebis, quae tot innoxios protegebat, usque ad seditionem ventum est, senatusque *nutabat*, in quo ipso erant studia nimiam severitatem aspernantium, pluribus nihil mutandum censentibus. Ex quis C. Cassius sententiae loco in hunc
43 modum disseruit. 'Saepenumero, patres conscripti, in hoc ordine interfui, cum contra instituta et leges maiorum nova senatus decreta postularentur; neque sum adversatus, non quia dubitarem super omnibus negotiis melius atque rectius olim provisum et quae converterentur in deterius mutari, sed ne nimio amore antiqui moris studium meum extollere viderer. Simul quicquid hoc in nobis auctoritatis est, crebris contradictionibus destruendum non existimabam, ut maneret integrum, si quando res publica consiliis eguisset. Quod hodie venit, consulari viro domi suae interfecto per insidias serviles, quas nemo prohibuit aut prodidit, quamvis nondum concusso senatus consulto, quod supplicium toti familiae mini-

7 tenerentur (alterum n *linea inductum est*) ac publico *Faernus*: ac^{si} ublico (si *a vetere m.*) 8 *condempnatus: condemptatus (condemnatus ς) 11 incensus *Pichena* 13 masitauerat (n *superpositum a vetere manu*) 15 *senatusque nutabat, in quo ipso: senatusque in^{o} q ipso (senatuque in ipso *L*, senatusque obsessus, in quo ipso *Iacob*, senatu quoque in ipso *Doederlein*) 16 mutandum ς: multandum 18 p. C. 22 in *G*: *om* 23 mi^{ni}o (ni *a vetere manu*) 25 mana^{e}ret 26 res .p. 27 euenit *G* 28 prodidit *G*: prodiit

tabatur. Decernite Hercule inpunitatem, ut quem dignitas sua defendat, cui praefectura urbis non profuit, quem numerus servorum tueatur, cum Pedanium Secundum quadringenti non protexerint, cui familia opem ferat, quae ne in metu quidem pericula nostra advertit. An, ut quidam fingere non erubescunt, iniurias suas ultus est interfector, quia de paterna pecunia transegerat aut avitum mancipium detrahebatur? Pronuntiemus ultro dominum iure caesum videri. Libet argumenta conquirere in eo quod sapientio- 44
ribus deliberatum est? Sed et si nunc primum statuendum haberemus, creditisne servum interficiendi domini animum ita sumpsisse, ut non vox minax excideret, nihil per temeritatem proloqueretur? Sane consilium occuluit, telum inter ignaros paravit: num excubias transire, cubiculi fores recludere, lumen inferre, caedem patrare *occepit* omnibus nesciis? Multa sceleris indicia praeveniunt; servi si prodant, possumus singuli inter plures, tuti inter anxios, postremo, si pereundum sit, non inulti inter nocentes agere. Suspecta maioribus nostris fuerunt ingenia servorum, etiam cum in agris aut domibus isdem nascerentur caritatemque dominorum statim acciperent. Postquam vero nationes in familiis habemus, quibus diversi ritus, externa sacra aut nulla sunt, colluviem istam non nisi metu coercueris. At quidam insontes peribunt. Nam et ex fuso exercitu cum decimus quisque fusti feritur, etiam strenui sortiuntur. Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur.' Sententiae Cassii ut nemo unus contra ire au- 45
sus est, ita dissonae voces respondebant numerum aut aetatem aut sexum ac plurimorum indubiam innocentiam mise-

2 cui] cum *liber Budensis et Puteolanus* praefectura *Puteolanus* : p̄fectus profuerit *Puteolanus* 3 tueatur *Nipperdey* : tuebitur 4 feret *Puteolanus* 5 *vulgo signum interrogationis ponitur post* aduertit. *etiam post* protexerint *atque* profuit (*sive* profuerit) 7 hauitum *pr* 8 iurę 12 *ita sumpsisse : Insumpsisse (sumpsisse *liber Budensis*) minax ς : minas (*fortasse* minans) 13 occul uit (*spatio vacuo manus recentior* ta *intulit*) 14 transire—recludere—inferre—patrare (et *pro* e *in fine quater correctum recenti manu*) 15 *occepit omnibus : omnibus 18 agerent *pr* 19 fuer̃ 20 isdem] Idem, *rursus c.* 46 (iisdem ς) 25 ueritur 28 aetate 29 innocentiam *G* : Innocentium

rantium: praevaluit tamen pars quae supplicium decernebat. Sed obtemperari non poterat, conglobata multitudine et saxa ac faces minante. Tum Caesar populum edicto increpuit atque omne iter, quo damnati ad poenam ducebantur, militaribus praesidiis sepsit. Censuerat Cingonius Varro ut liberti quoque, qui sub eodem tecto fuissent, Italia deportarentur. Id a principe prohibitum est, ne mos antiquus, quem misericordia non minuerat, per saevitiam intenderetur.

46 Damnatus isdem consulibus Tarquitius Priscus repetundarum Bithynis interrogantibus, magno patrum gaudio, quia accusatum ab eo Statilium Taurum, pro consule ipsius, meminerant. Census per Gallias a Q. Volusio et Sextio Africano Trebellioque Maximo acti sunt, aemulis inter se per nobilitatem Volusio atque Africano: Trebellium dum uterque dedignatur, supra tulere.

47 Eo anno mortem obiit Memmius Regulus, auctoritate constantia fama, in quantum praeumbrante imperatoris fastigio datur, clarus, adeo ut Nero aeger valetudine, et adulantibus circum qui finem imperio adesse dicebant, si quid fato pateretur, responderit habere subsidium rem publicam; rogantibus dehinc in quo potissimum, addiderat in Memmio Regulo. Vixit tamen post haec Regulus, quiete defensus et quia nova generis claritudine neque invidiosis opibus erat. Gymnasium eo anno dedicatum a Nerone, praebitumque oleum equiti ac senatui Graeca facilitate.

48 P. Mario L. Asinio consulibus Antistius praetor, quem P. Ch. 62 in tribunatu plebis licenter egisse memoravi, probrosa adversus principem carmina factitavit, vulgavitque celebri convivio, dum apud Ostorium Scapulam epulatur. Exim a Cossutiano Capitone, qui nuper senatorium ordinem precibus Tigillini, soceri sui, receperat, maiestatis delatus est. Tum primum revocata ea lex, credebaturque haud perinde exi-

4 pęnam 5 saepsit Cingonius Varro *R* : cingontus barro 8 intenderetur *R* : Incenderetur 11 qui *L* ꝙconsule : proconsulem *G* 16 obiit *G* : obit 18 ualetudinę 20 rem .p. 21 addiderit *Puteolanus* 24 gimnasium 26 cōs. 28 uulgabitque *pr* 31 Tigillini *Puteolanus* : tigellani (Tigillinum *liber Mediceus semper hominem nominat excepto hoc loco et* 15 37) *fortasse* Tigillini Sofonii magestatis 32 credebaturque *Acidalius* : credebatur. quę

tium Antistio quam imperatori gloria quaeri, ut condemnatum a senatu intercessione tribunicia morti eximeret. Et cum Ostorius nihil audivisse pro testimonio dixisset, adversis testibus creditum; censuitque Iunius Marullus, consul designatus, adimendam reo praeturam necandumque more maiorum. Ceteris inde assentientibus, Paetus Thrasea, multo cum honore Caesaris et acerrime increpito Antistio, non quicquid nocens reus pati mereretur, id egregio sub principe et nulla necessitate obstricto senatui statuendum disseruit: carnificem et laqueum pridem abolita, et esse poenas legibus constitutas, quibus sine iudicum saevitia et temporum infamia supplicia decernerentur. Quin in insula publicatis bonis, quo longius sontem vitam traxisset, eo privatim miseriorem et publicae clementiae maximum exemplum futurum. Libertas Thraseae servitium aliorum rupit, et postquam 49
discessionem consul permiserat, pedibus in sententiam eius iere, paucis exceptis, in quibus adulatione promptissimus fuit A. Vitellius, optimum quemque iurgio lacessens et respondenti reticens, ut pavida ingenia solent. At consules, perficere decretum senatus non ausi, de consensu scripsere Caesari. Ille inter pudorem et iram cunctatus, postremo rescripsit: nulla iniuria provocatum Antistium gravissimas in principem contumelias dixisse; earum ultionem a patribus postulatam, et pro magnitudine delicti poenam statui par fuisse. Ceterum se, qui severitatem decernentium impeditus fuerit, moderationem non prohibere: statuerent ut vellent, datam et absolvendi licentiam. His atque talibus recitatis et offensione manifesta, non ideo aut consules mutavere relationem aut Thrasea decessit sententia, ceterive quae probaverant deseruere, pars, ne principem obiecisse invidiae

1 gloria *Acidalius* : gloriam quaeri, ut *Acidalius* : quaesiuit. *condemnatum : condemnatus 2 eximeretur *G* 6 cęteris 10 penas 12 quin ꝙ : qui 13 traxisset *Puteolanus* : transisset priuati miseriorem *Muretus* : miserior 16 cos 17 iere *G* : ieret exceptis *Pichena* : exeptis 18 quenque lacescens 20 ausit *pr* 24 poenam statui *G* : pęnam statuit 25 ceterum seq se ueritatem 26 bellent *pr* 27 absoluendi *G* : adsoluendi 29 sententiā cęteriue

viderentur, plures numero tuti, Thrasea sueta firmitudine animi, et ne gloria intercideret.

50 Haud dispari crimine Fabricius Veiento conflictatus est, quod multa et probrosa in patres et sacerdotes composuisset iis libris quibus nomen codicillorum dederat. Adiciebat Tullius Geminus accusator venditata ab eo munera principis et adipiscendorum honorum ius. Quae causa Neroni fuit suscipiendi iudicii, convictumque Veientonem Italia depulit et libros exuri iussit, conquisitos lectitatosque, donec cum periculo parabantur: mox licentia habendi oblivionem attulit.

51 Sed gravescentibus in dies publicis malis subsidia minuebantur, concessitque vita Burrus, incertum valetudine an veneno. Valetudo ex eo coniectabatur, quod inter se tumescentibus paulatim faucibus et impedito meatu spiritum finiebat. Plures iussu Neronis, quasi remedium adhiberetur, inlitum palatum eius noxio medicamine adseverabant, et Burrum intellecto scelere, cum ad visendum eum princeps venisset, aspectum eius aversatum sciscitanti hactenus respondisse: 'ego me bene habeo.' Civitati grande desiderium eius mansit per memoriam virtutis et successorum alterius segnem innocentiam, alterius flagrantissima flagitia [adulteria]. Quippe Caesar duos praetoriis cohortibus imposuerat, Faenium Rufum ex vulgi favore, quia rem frumentariam sine quaestu tractabat, Sofonium Tigillinum, veterem inpudicitiam atque infamiam in eo secutus. Atque illi pro cognitis moribus fuere, validior Tigillinus in animo principis et intimis libidinibus adsumptus, prospera populi et militum fama Rufus, quod apud Neronem adversum experiebatur.

52 Mors Burri infregit Senecae potentiam, quia nec bonis artibus idem virium erat altero velut duce amoto, et Nero ad deteriores inclinabat. Hi variis criminationibus Senecam

3 crimine Veiento *Puteolanus* : uegento 4 partes *pr* 6 Tullius *Borghesi* : talius 7 neronū *pr* 8 conuictuncque Veientonem *Puteolanus* : uegentone 10 abendi 13 an *R* : aut 14 *inter : in (quod intumescentibus *Muretus*) 16 ius^{su} 19 auersatum *Puteolanus* : aduersatum 22 flagitia *Orelli* : flagitia. adulteria. 25 Sophonium *L* : ofonium 26 cognitis ς *et Mercerus* : cognatis 31 uelud

adoriuntur, tamquam ingentes et privatum modum evectas opes adhuc augeret, quodque studia civium in se verteret, hortorum quoque amoenitate et villarum magnificentia quasi principem supergrederetur. Obiciebant etiam eloquentiae laudem uni sibi asciscere et carmina crebrius factitare, postquam Neroni amor eorum venisset. Iam oblectamentis principis palam iniquum detractare vim eius equos regentis, illudere voces, quotiens caneret. Quem ad finem nihil in re publica clarum fore, quod non ab illo reperiri credatur? Certe finitam Neronis pueritiam et robur iuventae adesse: exueret magistrum, satis amplis doctoribus instructus maioribus suis. At Seneca criminantium non ignarus, prodentibus 53
iis, quibus aliqua honesti cura, et familiaritatem eius magis aspernante Caesare, tempus sermoni orat et accepto ita incipit: 'quartus decimus annus est, Caesar, ex quo spei tuae admotus sum, octavus, ut imperium obtines: medio temporis tantum honorum atque opum in me cumulasti, ut nihil felicitati meae desit nisi moderatio eius. Vtar magnis exemplis, non meae fortunae sed tuae. Abavus tuus Augustus Marco Agrippae Mytilenense secretum, C. Maecenati urbe in ipsa velut peregrinum otium permisit; quorum alter bellorum socius, alter Romae pluribus laboribus iactatus ampla quidem, sed pro ingentibus meritis praemia acceperant. Ego quid aliud *munus* munificentiae adhibere potui quam studia, ut sic dixerim, in umbra educata, et quibus claritudo venit, quod iuventae tuae rudimentis affuisse videor, grande huius rei pretium. At tu gratiam inmensam, innumeram pecuniam circumdedisti, adeo ut plerumque intra me ipse volvam: egone, equestri et provinciali loco ortus, proceribus civitatis adnumeror? inter nobiles et longa decora praeferentes novitas mea enituit? ubi est animus ille modicis contentus? talis hortos extruit et per haec suburbana incedit et tantis agro-

3 amenitate 5 uni *novo atramento adiutum est, non correctum* 6 uenisset *L* : euenisset *iam : nam 8 uocem *Muretus* re .p. no 9 repperiri 13 hiis et familiaritatem *G* : effamiliaritatem 19 ne (nec *G*) abauus *L* : atauus 20 mytelensnse (*sic; prius* s *vetere m. mutatum in* e, ut sit mytelenense) mecenati 24 *munus : *om* (*cf. c.* 54 : id primum tui muneris habeo) 30 decora ς : cura

rum spatiis, tam lato fenore exuberat? Vna defensio occur-
54 rit, quod muneribus tuis obniti non debui. Sed uterque
mensuram inplevimus, et tu, quantum princeps tribuere
amico posset, et ego, quantum amicus a principe accipere:
cetera invidiam augent *curamque;* quae quidem, ut omnia
mortalia, infra tuam magnitudinem iacent, sed mihi incum-
bunt, mihi subveniendum est. Quomodo in militia aut via
fessus adminiculum orarem, ita in hoc itinere vitae senex et
levissimis quoque curis inpar, cum opes meas ultra susti-
nere non possim, praesidium peto. Iube eas per procuratores
tuos administrari, in tuam fortunam recipi. Nec me in pau-
pertatem ipse detrudam, sed traditis quorum fulgore prae-
stringor, quod temporis hortorum aut villarum curae sepo-
nitur, in animum revocabo. Superest tibi robur et tot per
annos visum fastigii regimen: possumus seniores amici quie-
tem reposcere. Hoc quoque in tuam gloriam cedet, eos ad
55 summa vexisse qui et modica tolerarent.' Ad quae Nero sic
ferme respondit ei: 'quod meditatae orationi tuae statim oc-
curram, id primum tui muneris habeo, qui me non tantum
praevisa sed subita expedire docuisti. Abavus meus Augu-
stus Agrippae et Maecenati usurpare otium post labores
concessit, sed in ea ipse aetate, cuius auctoritas tueretur
quicquid illud et qualecumque tribuisset; ac tamen neutrum
datis a se praemiis exuit. Bello et periculis meruerant: in
iis enim iuventa Augusti versata est. Nec mihi tela et ma-
nus tuae defuissent in armis agenti: sed quod praesens con-
ditio poscebat, ratione consilio praeceptis pueritiam, dein
iuventam meam fovisti. Et tua quidem erga me munera,
dum vita suppetet, aeterna erunt: quae a me habes, horti
et fenus et villae, casibus obnoxia sunt. Ac licet multa vi-

3 tu *G* : *om* 5 cętera augent ꝫ : agent *curamque : *om* 6 iacet *L* incumbt, *h. e.* incumbunt (incumbit *L*) 10 iube eas per *editi veteres* : iuuenere (*alterum* u *correctum in* b; iube rem per *Baiter*) ꝓcuratores *pr*, p ꝓcuratores *corr* 11 aministrari 12 praestringor *Cannegieter* (*Diss. ad Avian. p.* 320) : pstringor 16 reposcere *Halm et Oelschläger* : respondere 18 ei : quod *Spengel* : et quod 20 abauus *L* : auus m̃s 21 mecenati 22 ipse *Vrsinus et Agricola* : ipsa actoritas 23 qualecūque 26 c̄dicio 30 fęnus (*v. ad* 3 40) obnoxię (a *correctum retere manu*)

deantur, plerique haudquaquam artibus tuis pares plura tenuerunt. Pudet referre libertinos, qui ditiores spectantur: unde etiam rubori mihi est quod praecipuus caritate nondum omnes fortuna antecellis. Verum et tibi valida aetas rebusque 56
et fructui rerum sufficiens, et nos prima imperii spatia ingredimur, nisi forte aut te Vitellio, ter consuli, aut me Claudio postponis. Sed quantum Volusio longa parsimonia quaesivit, tantum in te mea liberalitas explere non potest. Quin, siqua in parte lubricum adulescentiae nostrae declinat, revocas ornatumque robur subsidio inpensius regis? Non tua moderatio, si reddideris pecuniam, nec quies, si reliqueris principem, sed mea avaritia, meae crudelitatis metus in ore omnium versabitur. Quod si maxime continentia tua laudetur, non tamen sapienti viro decorum fuerit, unde amico infamiam paret, inde gloriam sibi recipere.' His adicit complexum et oscula, factus natura et consuetudine exercitus velare odium fallacibus blanditiis. Seneca, qui finis omnium cum dominante sermonum, grates agit: sed instituta prioris potentiae commutat, prohibet coetus salutantium, vitat comitantis, rarus per urbem, quasi valetudine infensa aut sapientiae studiis domi adtineretur.

Perculso Seneca promptum fuit Rufum Faenium inmi- 57
nuere Agrippinae amicitiam in eo criminantibus. Validiorque in dies Tigillinus, et malas artes, quibus solis pollebat, gratiores ratus, si principem societate scelerum obstringeret, metus eius rimatur; conpertoque Plautum et Sullam maxime timeri, Plautum in Asiam, Sullam in Galliam Narbonensem nuper amotos, nobilitatem eorum et propinquos huic Orientis, illi Germaniae exercitus commemorat. Non se, ut Burrum, diversas spes, sed solam incolumitatem Neronis spectare; cui caveri utcumque ab urbanis insidiis praesenti opera: longinquos motus quonam modo comprimi posse? Erectas Gal-

1 tenuer̃ 2 te ditiores *Danesius* 3 nondum ꝺs 5 inperii 8 te *G*: me libertas *pr* 10 ornatumque *addito ab alia m.* 1. *unde* inornatumque ς 11 pecunia *pr* 19 cętus 22 fenium 26 sillam, *et sic paulo post tribus locis* 27 asyam nabronensem 31 utcū-que praesenti opera *L*: praesentiora (pr. cura *Heinsius*, pr. copia *Haase*)

lias ad nomen dictatorium, nec minus suspensos Asiae populos claritudine avi Drusi. Sullam inopem, unde praecipuam audaciam, et simulatorem segnitiae, dum temeritati locum reperiret. Plautum magnis opibus ne fingere quidem cupidinem otii, sed veterum Romanorum imitamenta praeferre, assumpta etiam Stoicorum arrogantia sectaque, quae turbidos et negotiorum adpetentes faciat. Nec ultra mora. Sulla sexto die pervectis Massiliam percussoribus ante metum et rumorem interficitur, cum epulandi causa discumberet. Relatum caput eius illusit Nero tamquam praematura canitie
58 deforme. Plauto parari necem non perinde occultum fuit, quia pluribus salus eius curabatur, et spatium itineris ac maris tempusque interiectum moverat famam; vulgoque fingebant petitum ab eo Corbulonem, magnis tum exercitibus praesidentem et, clari atque insontes si interficerentur, praecipuum ad pericula. Quin et Asiam favore iuvenis arma cepisse, nec milites ad scelus missos aut numero validos aut animo promptos, postquam iussa efficere nequiverint, ad spes novas transisse. Vana haec more famae credentium otio augebantur; ceterum libertus Plauti celeritate ventorum praevenit centurionem et mandata L. Antistii soceri attulit: effugeret segnem mortem; otii suffugium, et magni nominis miseratione reperturum bonos, consociaturum audaces: nullum interim subsidium aspernandum. Si sexaginta milites (tot enim adveniebant) propulisset, dum refertur nuntius Neroni, dum manus alia permeat, multa secutura quae adusque bellum evalescerent. Denique aut salutem tali consilio quaeri, aut nihil gravius audenti quam ignavo patiendum

1 suspensos *L* : suspectos 2 praecipuum ad *Bezzenberger* collatis 6 13, 14 58; *ego malim* praecipuum audacia, *ut est c.* 55 : praecipuus caritate 3 temeritate *pr* 4 repperire 6 stoycorum 7 mora^{s} 9 Prelatum (P *linea inductum*) 10 canitię deformę 11 plautio 13 famam *G* : fama fingebat (n *manu rec.*) 15 si *Bezzenberger et Heinisch* : *om* 16 asya fabore *pr* 19 noua^{s} transisse *G* : transissent uana *Bochorn* : una 20 augebantur *Modius* : agebantur ceterum caeleritate 21 antistiis *pr* 22 effugeret *G* : effugere ocii *Agricola* : otiu^{m} (obuium *Orelli*, odium *Iacob*, promptum *Halm*) 23 miseratione ꝛ : miserationē 24 aspernandum *Puteolanus* : aspernantium 26 ad usque 28 audenti *G* : audienti

esse. Sed Plautum ea non movere, sive nullam opem pro- 59
videbat inermis atque exul, seu taedio ambiguae spei, an amore coniugis et liberorum, quibus placabiliorem fore principem rebatur nulla sollicitudine turbatum. Sunt qui alios a socero nuntios venisse ferant, tamquam nihil atrox immineret; doctoresque sapientiae, Coeranum Graeci, Musonium Tusci generis, constantiam opperiendae mortis pro incerta et trepida vita suasisse. Repertus est certe per medium diei nudus exercitando corpori. Talem eum centurio trucidavit coram Pelagone spadone, quem Nero centurioni et manipulo, quasi satellitibus ministrum regium, praeposuerat. Caput interfecti relatum; cuius aspectu (ipsa principis verba referam) 'cur', inquit, '...Nero'? Et posito metu nuptias Poppaeae, ob eiusmodi terrores dilatas, maturare parat Octaviamque coniugem amoliri, quamvis modeste ageret, nomine patris et studiis populi gravem. Sed ad senatum litteras misit de caede Sullae Plautique haud confessus, verum utriusque turbidum ingenium esse, et sibi incolumitatem rei publicae magna cura haberi. Decretae eo nomine supplicationes, utque Sulla et Plautus senatu moverentur, gravioribus tamen ludibriis quam malis.

Igitur accepto patrum consulto, postquam cuncta scele- 60
rum suorum pro egregiis accipi videt, exturbat Octaviam, sterilem dictitans; exim Poppaeae coniungitur. Ea diu paelex et adulteri Neronis, mox mariti potens, quendam ex ministris Octaviae impulit servilem ei amorem obicere. Destinaturque reus cognomento Eucaerus, natione Alexandrinus, canere puer tibiis doctus. Actae ob id de ancillis quaestiones, et vi tormentorum victis quibusdam ut falsa annuerent, plures perstitere sanctitatem dominae tueri; ex quibus una instanti Tigillino castiora esse muliebria Octaviae re-

6 *potius* Cornutum 8 uitas uasisse 11 capud 12 aspectū referam *Putcolanus*: referebam 13 inquid *'...Nero?' et: nero et (Nero...et *Walther; ego supplecerim*: 'cur', inquit, 'nasuto non pepercit Nero?' et) 14 octauiam quę 18 rei .p. 20 tamen *G*: tā (*debuit* tam) 22 consultū 24 ex im popeae 27 eucęrus Alexandrinus *L*: alexandrina 28 *puer tibiis: ptybias (tibiis *G*) 29 uictis *G*: uicti ut *Putcolanus*: si (*fortasse* quasi) 30 domine tuere 31 uana

spondit quam os eius. Movetur tamen primo civilis discidii specie domumque Burri, praedia Plauti, infausta dona, accipit: mox in Campaniam pulsa est addita militari custodia. Inde crebri questus nec occulti per vulgus, cui minor sapientia, ex mediocritate fortunae pauciora pericula sunt. His quamquam Nero ... poenitentia flagitii coniugem revocavit
61 [Octaviam]. Exim laeti Capitolium scandunt deosque tandem venerantur. Effigies Poppaeae proruunt, Octaviae imagines gestant umeris, spargunt floribus foroque ac templis statuunt. Itur etiam in principis laudes [repetitum venerantium], iamque et Palatium multitudine et clamoribus complebant, cum emissi militum globi verberibus et intento ferro turbatos disiecere. Mutataque quae per seditionem verterant, et Poppaeae honos repositus est. Quae semper odio, tum et metu atrox, ne aut vulgi acrior vis ingrueret aut Nero inclinatione populi mutaretur, provoluta genibus eius, non eo loci res suas agi ait, ut de matrimonio certet, quamquam id sibi vita potius, sed vitam ipsam in extremum adductam a clientelis et servitiis Octaviae, quae plebis sibi nomen indiderint, ea in pace ausi quae vix bello evenirent. Arma illa adversus principem sumpta; ducem tantum defuisse, qui motis rebus facile reperiretur: omitteret modo Campaniam et in urbem ipsa pergeret, ad cuius nutum absentis tumultus cierentur. Quod alioquin suum delictum? quam cuiusquam offensionem? an quia veram progeniem penatibus Caesarum datura sit? malle populum Romanum tibicinis Aegyptii subolem imperatorio fastigio induci? Denique, si id rebus conducat, libens

3 cāpaniā *Puteolanus* : campania 4 quęstus *uulgus : uulgum 5 et ex *Puteolanus*, et *Halm* 6 *Nero ... poenitentia : nero penitentia (*expleveris* Nero irascebatur, nihilo minus tamquam poenitentia (his motus Nero tanquam poenitentia *G*, his Nero, nequaquam paenitentia *Doederlein*) 7 *[Octauiam] ex im 8 poppeae prorugunt 9 humeris 10 *laudes [repetitum uenerantium] : laudes. repetitū uenerantiū. (*suspecta haec iam Muretо et Acidalio*) 12 emisi 13 mutataque quae *Puteolanus* : mutata quaeq; 14 tu (met *retere manu*) 17 *agi ait : agi (ait *pro* agi *Bezzenberger*) 18 clyentelis 22 repperiretur 23 ipsa *Böttticher* : ipsam 24 *malim* alioqui 26 malle *Puteolanus* : mallet (mallene *Haud*) tybicinis egyptiis sobolem

quam coactus acciret dominam, vel consuleret securitati iusta ultione. Et modicis remediis primos motus consedisse: at si desperent uxorem Neronis fore Octaviam, illi maritum daturos. Varius sermo, et ad metum atque iram accommo- 62
datus, terruit simul audientem et accendit. Sed parum valebat suspitio in servo et quaestionibus ancillarum elusa erat. Ergo confessionem alicuius quaeri placet, cui rerum quoque novarum crimen affingeretur. Et visus idoneus maternae necis patrator Anicetus, classi apud Misenum, ut memoravi, praefectus, levi post admissum scelus gratia, dein graviore odio, quia malorum facinorum ministri quasi exprobrantes aspiciuntur. Igitur accitum eum Caesar operae prioris admonet: solum incolumitati principis adversus insidiantem matrem subvenisse; locum haud minoris gratiae instare, si coniugem infensam depelleret. Nec manu aut telo opus: fateretur Octaviae adulterium. Occulta quidem ad praesens, sed magna ei praemia et secessus amoenos promittit, vel, si negavisset, necem intentat. Ille insita vecordia, et facilitate priorum flagitiorum, plura etiam quam iussum erat fingit fateturque apud amicos, quos velut consilio adhibuerat princeps. Tum in Sardiniam pellitur, ubi non inops exilium toleravit et fato obiit. At Nero praefectum in spem sociandae classis 63
corruptum, et incusatae paulo ante sterilitatis oblitus, abactos partus conscientia libidinum, eaque sibi conperta edicto memorat, insulaque Pandateria Octaviam claudit. Non alia exul visentium oculos maiore misericordia affecit. Meminerant adhuc quidam Agrippinae a Tiberio, recentior Iuliae memoria obversabatur a Claudio pulsae: sed illis robur aetatis affuerat; laeta aliqua viderant et praesentem saevitiam melioris olim fortunae recordatione allevabant. Huic primus nuptiarum dies loco funeris fuit, deductae in domum, in qua nihil nisi luctuosum haberet, erepto per venenum patre et

3 forē *pr* maritos *pr* 6 suspicio elusa erat *Faernus et Lectius apud L* : eluserat 10 ammissum 11 malorum. *non* malorum 14 instare *G* : instaret 15 manu *G* : man: 17 ad moenos 21 Sardiniā *Puteolanus* : sardinia 22 Ad sociandae *Puteolanus* : socianda 24 comperta edicto *Lectius* : c̄pertae dicto 25 pandateria *G* : pandec| teria 30 recordationē primus *L* : primum

statim fratre; tum ancilla domina validior et Poppaea non nisi in perniciem uxoris nupta, postremo crimen omni exitio
64 gravius. Ac puella vicesimo aetatis anno, inter centuriones et milites, praesagio malorum iam vitae exempta, nondum tamen morte acquiescebat. Paucis dehinc interiectis diebus mori iubetur, cum iam viduam se et tantum sororem testaretur communesque Germanicos et postremo Agrippinae nomen cieret, qua incolumi infelix quidem matrimonium, sed sine exitio pertulisset. Restringitur vinclis venaeque eius per omnes artus exolvuntur; et quia pressus pavore sanguis tardius labebatur, praefervidi balnei vapore enecatur. Additurque atrocior saevitia, quod caput amputatum latumque in urbem Poppaea vidit. Dona ob haec templis decreta quem ad finem memorabimus? Quicumque casus temporum illorum nobis vel aliis auctoribus noscent, praesumptum habeant, quotiens fugas et caedes iussit princeps, totiens grates deis actas, quaeque rerum secundarum olim, tum publicae cladis insignia fuisse. Neque tamen silebimus, siquod senatus consultum adulatione novum aut patientia postremum fuit.

65 Eodem anno libertorum potissimos veneno interfecisse *Caesar* creditus est, Doryphorum quasi adversatum nuptiis Poppaeae, Pallantem, quod inmensam pecuniam longa senecta detineret. ..Romanus secretis criminationibus incusaverat Senecam ut C. Pisonis socium, sed validius a Seneca eodem crimine perculsus est. Vnde Pisoni timor et orta insidiarum in Neronem magna moles et inprospera.

3 uicesimo] *immo* quinto et uicesimo (duoetuicesimo *Nipperdey*) 4 uitae *Heinsius*: uita 11 lauebatur *pr* 13 *fortasse* uiderit 14 decreta quem *Doederlein*: decretaque memorabim; quicūque 15 noscent *G*: nossent 19 adulationē *pr* 22 *Caesar: *om* aduersatum *superposito* rum *et ab alia m.* ros 24 ..*Romanus: Romanus 27 nerone *pr* Cornelii Taciti Liber quartus decim; explicit. Inciṗ. liber quintus decimus *litteris rubris et paulo maioribus.*

LIBER XV.

BREVIARIVM. C. 1—22. Anni sexagesimi secundi res externae ac nonnullae domesticae continuantur. Vologeses Parthus bellum meditatur adversus Tigranen, Armeniae regem a Romanis impositum (1—2). Verum Corbulo et Syriae provinciae et Armeniae regno consulit, tum moderandum fortunae ratus cum Vologese indutias paciscitur (3—5). Mox Caesennius Paetus Armeniae tuendae missus est, et bellum propalam a Parthis sumptum. Dum Corbulo Syriae provinciae ac suae securitati sapienter providet, Paetus Armeniam improvide ingressus imperitia rei militaris, trepidatione animi, notabili inconstantia rem Romanam afflictavit, postremo pace a Vologese precario impetrata inde decessit (3—16). Paeto cum exercitu regredienti Corbulo obvius ad ripam Euphratis cum suo milite. Is a Vologese obtinuit ut Armenii interim sine arbitro relinquerentur, ipse castella trans Euphraten detraxit (16—17). At Romae tropaea de Parthis arcusque. Rei frumentariae status (18). Simulatae adoptiones prohibentur (19). Decretum nequis ad consilium sociorum referret, agendas apud senatum rectoribus provinciarum grates; nobilitata per eam occasionem Thraseae sententia et eloquentia. Prodigia nonnulla. Oppidum Pompei motu terrae magna ex parte prorsit (20—22).

C. 23—32. Annus a Ch. 63, Neronis 10. Natam sibi ex Poppaea filiam ultra mortale gaudium princeps tulit. Thrasea prohibitus a salutatione Caesaris intrepido animo contumeliam, imminentis caedis praenuntiam, excepit. Infans principalis mox extincta (23). Legati Parthorum dum mandata regis Vologesis afferunt, verus Armeniae status intellegitur. Iam Corbulo gerendo adversus Vologesen et Tiridaten bello praefectus Armeniam intrat, tutus copiis et provisu; quo perculsi Vologeses et Tiridates legatos mittunt, colloquium poscunt. Placitum ponere Tiridaten apud effigiem principis insigne regium, nec nisi manu Neronis resumere. Tiridates, visis ante fratribus Vologese et Pacoro, iter in urbem adit, Armeniae regnum a principe precaturus (24—31). Eodem anno nationes Alpium maritimarum in ius Latii translatae. Spectacula gladiatorum celebrata; feminae illustres et senatorum plures arena foedati (32).

C. 33—47. Annus a Ch. 64. Nero Neapoli promiscuam scenam incedit citharoedus. Beneventi gladiatorium munus a Vatinio editum adit, ac ne inter voluptates quidem cessans a sceleribus Torquatum Silanum mori adigit (33—35). Mox urbem revisit, iter in Orientis provinciam animo agitans, sed Vestae numine territus inceptum deserit, convivia struit, tota urbe quasi domo utitur. Epulae a Tigillino paratae, admissa extrema lascivia. Nero Pythagorae in morem sollemnium nuptiarum coniungitur (36—37). Vrbis incendium, forte an dolo principis incertum. Is patriae ruinis usus ingentem domum extruit. Vrbis novae facies (38—43). Invidiam incendii in Christianos devolvere Nero conatur eosque novis et exquisitis cruciatibus afficit (44). Conferendis pecuniis pervastata Italia, provinciae eversae. Seneca periclitatus (45). Gladiatores apud oppidum Praeneste erumpere conantes coerciti; navalis clades imprudentia principis et caeco obsequio accepta. Fine anni prodigia, imminentium malorum nuntia (46—47).

C. 48—74. Annus a Ch. 65, Neronis imperantis 12. Pisonis in Neronem coniuratio. Quae coepta simul et aucta, ac diu, quamvis in magna coniuratorum multitudine, celata, proditur e domo Scaevini a Milicho liberto. Coniurati catenis onerati, supplicio affecti (48—59). Nero ea occasione

Senecae sibi invisi caedem imperat, cuius circa extremam necessitatem constantia (60—64). Postremo militaris quoque coniuratio detecta et punita; Faenius Rufus praefectus, Subrius Flavus tribunus, Sulpicius Asper centurio ad supplicium tracti (65—68). Etiam Vestinus consul, criminis innoxius, sed invisus Caesari, tollitur (68—69), tum Annaeus Lucanus et alii coniurationis socii occiduntur (70). Simulatum urbis gaudium; Milichus praemiis ditatur; plures in exilium pulsi (71). Senatu vocato honores et praemia decreta. Nymphidii origo, obscura initia et fortuna (72). Nero vocato iterum senatu adversum iniquos rumores se purgat; Gallio, frater Senecae, in periculum adductus (73). Dona decreta et grates deis (74). Liber concluditur et eiusdem anni historia in proximum infertur.

1 Interea rex Parthorum Vologeses cognitis Corbulonis rebus regemque alienigenam Tigranen Armeniae impositum, simul fratre Tiridate pulso spretum Arsacidarum fastigium ire ultum volens, magnitudine rursum Romana et continui foederis reverentia diversas ad curas trahebatur, cunctator ingenio et defectione Hyrcanorum, gentis validae, multisque ex eo bellis illigatus. Atque illum ambiguum novus insuper nuntius contumeliae extimulat: quippe egressus Armenia Tigranes Adiabenos, conterminam nationem, latius ac diutius quam per latrocinia vastaverat, idque primores gentium aegre tolerabant: eo contemptionis descensum, ut ne duce quidem Romano incursarentur, sed temeritate obsidis tot per annos inter mancipia habiti. Accendebat dolorem eorum Monobazus, quem penes Adiabenorum regimen, quod praesidium aut unde peteret rogitans. Iam de Armenia con-
2 cessum, proxima trahi; et nisi defendant Parthi, levius servitium apud Romanos deditis quam captis esse. Tiridates quoque regni profugus per silentium aut modice querendo gravior erat: non enim ignavia magna imperia contineri; virorum armorumque faciendum certamen; id in summa fortuna aequius quod validius; et sua retinere privatae domus, de alienis certare regiam laudem esse. Igitur commotus his Vologeses concilium vocat et proximum sibi Tiridaten constituit atque ita orditur: 'hunc ego eodem mecum patre genitum, cum mihi per aetatem summo nomine concessisset,

2 alienigena tigranē 3 tyridate, *mox* tyridates, c. 2 tyridaten *et* tyridatis 4 magnitudinē *pr* 5 fẹderis 6 yrcanorum 9 tygranes 11 egre tollerabant 14 *Adiabenorum : adiabenum (*cf. c. 2 : Adiabenorum auxiliis) 17 dedetis *pr* 18 aut *B* : haud

in possessionem Armeniae deduxi, qui tertius potentiae gradus habetur: nam Medos Pacorus ante ceperat. Videbarque, contra vetera fratrum odia et certamina, familiae nostrae penates rite composuisse. Prohibent Romani, et pacem numquam ipsis prospere lacessitam nunc quoque in exitium suum abrumpunt. Non ibo infitias: aequitate quam sanguine, causa quam armis retinere parta maioribus malueram. Si cunctatione deliqui, virtute corrigam. Vestra quidem vis et gloria in integro est, addita modestiae fama, quae neque summis mortalium spernenda est et a dis aestimatur.' Simul diademate caput Tiridatis evinxit; promptam equitum manum, quae regem ex more sectatur, Monesi, nobili viro, tradidit, adiectis Adiabenorum auxiliis, mandavitque Tigranen Armenia exturbare, dum ipse positis adversus Hyrcanos discordiis vires intimas molemque belli ciet, provinciis Romanis minitans. Quae ubi Corbuloni certis nuntiis audita sunt, le- 3
giones duas cum Verulano Severo et Vettio Bolano subsidium Tigrani mittit, occulto praecepto, compositius cuncta quam festinantius agerent: quippe bellum habere quam gerere malebat. Scripseratque Caesari proprio duce opus esse, qui Armeniam defenderet: Syriam ingruente Vologese acriore in discrimine esse. Atque interim reliquas legiones pro ripa Euphratis locat, tumultuariam provincialium manum armat, hostiles ingressus praesidiis intercipit. Et quia egena aquarum regio est, castella fontibus inposita; quosdam rivos congestu arenae abdidit. Ea dum a Corbulone tuendae Syriae 4
parantur, acto raptim agmine Moneses, ut famam sui praeiret, non ideo nescium aut incautum Tigranen offendit. Occupaverat Tigranocerta, urbem copia defensorum et magni-

3 certamina *R*¹: certam in 5 in exitium *G*¹: inabsitiū 7 moloribus 9 in *G*¹: *om* 10 adis 11 euincxit 12 monęsi, *c.* 4 moneses, *c.* 5 monesen 13 mandabitque tygranen (*c.* 3 tygrani, 4 tygranē) 14 exturbare *Ernesti*¹: exturba (exturbari ς) hircanos 18 quam festinantius ς¹: c̄festinantius 19 malebat *G*¹: malebant 21 uologeses *pr* 23 eufratis tumultuariam *G*¹: Tūmulti uaria 26 harenae (*prior Mediceus* arenas *scripsit* 2 61, *alter* arenam 15 32, *sed* harena *H.* 2 62, harenae *H.* 5 7) 27 praehiret 29 Tygranocerta *G*¹: tygranocertaꝰ magnitudinē *pr*

tudine moenium validam. Ad hoc Nicephorius amnis haud spernenda latitudine partem murorum ambit, et ducta ingens fossa, qua fluvio diffidebatur. Inerantque milites et provisi ante commeatus, quorum subvectu pauci avidius progressi et repentinis hostibus circumventi ira magis quam metu ceteros accenderant. Sed Partho ad exsequendas obsidiones nulla comminus audacia: raris sagittis neque clausos exterret et semet frustratur. Adiabeni cum promovere scalas et machinamenta inciperent, facile detrusi, mox erumpentibus
5 nostris caeduntur. Corbulo tamen, quamvis secundis rebus suis, moderandum fortunae ratus misit ad Vologesen qui expostularent vim provinciae illatam; socium amicumque regem, cohortes Romanas circumsideri. Omitteret potius obsidionem, aut se quoque in agro hostili castra positurum. Casperius centurio in eam legationem delectus apud oppidum Nisibin, septem et triginta milibus passuum a Tigranocertis distantem, adiit regem et mandata ferociter edidit. Vologesi vetus *studium* et penitus infixum erat arma Romana vitandi, nec praesentia prospere fluebant. Irritum obsidium, tutus manu et copiis Tigranes, fugati qui expugnationem sumpserant, missae in Armeniam legiones, et aliae pro Suria paratae ultro irrumpere; sibi inbecillum equitem pabuli inopia: nam exorta vi locustarum ambesum erat quicquid herbidum aut frondosum. Igitur metu abstruso mitiora obtendens, missurum ad imperatorem Romanum legatos super petenda Armenia et firmanda pace respondet. Monesen omittere Tigranocerta iubet, ipse
6 retro concedit. Haec plures ut formidine regis et Corbulonis minis patrata ac magnifica extollebant: alii occulte pepigisse interpretabantur, ut omisso utrimque bello et abeunte Vologese Tigranes quoque Armenia abscederet. Cur enim exercitum Romanum a Tigranocertis deductum? Cur deserta per

2 ambit *G* : ambiit 3 Inherantque 13 circumsideri *Agricola* : circumsedere ocius *Faernus*, protinus *Boxhorn* obsidionēs *pr* 15 legationem *G* : legionem 16 *Tigranocertis : tygranocerta 17 adiit *G* : adit *studium : *om* 23 uis *G* *ambesum erat : aberat (uis l. ambederat *L*) 26 tygranocerta *G* : tygrano certa, (*sic*) 28 pepigisse eos *potius* 29 intptabant², *et perinde saepe* utrimque (*sic*, *nota inducta est linea transversa*) 30 tygranes exercitūs *pr* 31 tygranocertis

otium quae bello defenderant? an melius hibernavisse in extrema Cappadocia, raptim erectis tuguriis, quam in sede regni modo obtenti? Dilata prorsus arma, ut Vologeses cum alio quam cum Corbulone certaret, Corbulo meritae tot per annos gloriae non ultra periculum faceret. Nam, ut rettuli, proprium ducem tuendae Armeniae poposcerat, et adventare Caesennius Paetus audiebatur. Iamque aderat, copiis ita divisis, ut quarta et duodecima legiones addita quinta, quae recens e Moesis excita erat, simul Pontica et Galatarum Cappadocumque auxilia Paeto oboedirent, tertia et sexta et decuma legiones priorque Syriae miles apud Corbulonem manerent; cetera ex rerum usu sociarent partirenturve. Sed neque Corbulo aemuli patiens, et Paetus, cui satis ad gloriam erat, si proximus haberetur, despiciebat gesta, nihil caedis aut praedae, usurpatas nomine tenus urbium expugnationes dictitans: se tributa ac leges et pro umbra regis Romanum ius victis impositurum. Sub idem tempus legati Vologesis, 7
quos ad principem missos memoravi, revertere inriti, bellumque propalam sumptum a Parthis. Nec Paetus detrectavit, sed duabus legionibus, quarum quartam Funisulanus Vettonianus eo in tempore, duodecumam Calavius Sabinus regebant, Armeniam intrat tristi omine: nam in transgressu Euphratis, quem ponte tramittebant, nulla palam causa turbatus equus, qui consularia insignia gestabat, retro evasit. Hostiaque, quae muniebantur hibernaculis adsistens, semifacta opera fuga perrupit seque vallo extulit. Et pila militum arsere, magis insigni prodigio, quia Parthus hostis missilibus telis decertat. Ceterum Paetus spretis ominibus, necdum satis firmatis 8
hibernaculis, nullo rei frumentariae provisu, rapit exercitum trans montem Taurum reciperandis, ut ferebat, Tigranocertis vastandisque regionibus, quas Corbulo integras omisisset. Et capta quaedam castella, gloriaeque et praedae nonnihil partum, si aut gloriam cum modo aut praedam cum cura

3 *obtenti : re contenti (re *manu vetere*) 5 retuli 9 cappadacumque 10 oboedirent] obuenirent *Pluygers* decū a 15 expugnatione 17 uologęsis 22 tristionē. nam (*nota manu rec. inducta est; debuit* tristi ōme) eufratis 24 consularia *G* : c̄siliaria hostiaque quae *Puteolanus* : ostia quaeq: 28 cęterum hominibus *pr* 30 tygranocertis

habuisset. Longinquis itineribus percursando quae obtineri nequibant, corrupto qui captus erat commeatu et instante iam hieme, reduxit exercitum conposuitque ad Caesarem litteras quasi confecto bello, verbis magnificas, rerum vacuas.
9 Interim Corbulo numquam neglectam Euphratis ripam crebrioribus praesidiis insedit; et ne ponti iniciendo impedimentum hostiles turmae afferrent (iam enim subiectis campis magna specie volitabant), naves magnitudine praestantes et conexas trabibus ac turribus auctas agit per amnem, catapultisque et balistis proturbat barbaros, in quos saxa et hastae longius permeabant, quam ut contrario sagittarum iactu adaequarentur. Dein pons continuatus, collesque adversi per socias cohortes, post legionum castris occupantur, tanta celeritate et ostentatione virium, ut Parthi omisso paratu invadendae
10 Syriae spem omnem in Armeniam verterent; ubi Paetus imminentium nescius quintam legionem procul in Ponto habebat, reliquas promiscuis militum commeatibus infirmaverat, donec adventare Vologesen magno et infenso agmine auditum. Accitur legio duodecima, et unde famam aucti exercitus speraverat, prodita infrequentia, qua tamen retineri castra et eludi Parthus tractu belli poterat, si Paeto aut in suis aut in alienis consiliis constantia fuisset: verum ubi a viris militaribus adversus urgentes casus firmatus erat, rursus, ne alienae sententiae indigens videretur, in diversa ac deteriora transibat. Et tunc relictis hibernis non fossam neque vallum sibi, sed corpora et arma in hostem data clamitans, duxit legiones quasi proelio certaturus. Deinde amisso centurione et paucis militibus, quos visendis hostium copiis praemiserat, trepidus remeavit. Et quia minus acriter Vologeses institerat, vana rursus fiducia tria milia delecti peditis proximo Tauri iugo imposuit, qui transitum regis arcerent; alares quoque Pannonios, robur equitatus, in parte campi

4 magnificas *L* : magnificis (*errore assimilationis*) 5 corbulonū quā 6 Impedimentuum 9 conexa (connexas *G*) aucta sagit *pr* 10 balistis *nunc uno l, ceteris locis duplici*) quos *Puteolanus* : quo 11 permeabant *G* : permanebant 14 paratui *pr* 15 ibi *G* 19 fama (phamam *G*) 26 ballum *pr* 28 centurionē *pr* 30 fiduciā *pr* peditis *Pichena* : pedites 31 *qui : quo (quae *Muretus*)

locat. Coniux ac filius castello, cui Arsamosata nomen est, abditi, data in praesidium cohorte ac disperso milite, qui in uno habitus vagum hostem promptius sustentavisset..... et aegre compulsum ferunt, ut instantem Corbuloni fateretur. Nec a Corbulone properatum, quo gliscentibus periculis etiam subsidii laus augeretur. Expediri tamen itineri singula milia ex tribus legionibus et alarios octingentos, parem numerum e cohortibus iussit. At Vologeses, quamvis obsessa a Paeto 11 itinera hinc peditatu inde equite accepisset, nihil mutato consilio, sed vi ac minis alares exterruit, legionarios obtrivit, uno tantum centurione Tarquitio Crescente turrim, in qua praesidium agitabat, defendere auso factaque saepius eruptione et caesis qui barbarorum propius suggrediebantur, donec ignium iactu circumveniretur. Peditum si quis integer longinqua et avia, vulnerati castra repetivere, virtutem regis, saevitiam et copias gentium, cuncta metu extollentes, facili credulitate eorum qui eadem pavebant. Ne dux quidem obniti adversis, sed cuncta militiae munia deseruerat, missis iterum ad Corbulonem precibus, veniret propere, signa et aquilas et nomen reliquum infelicis exercitus tueretur: se fidem interim, donec vita suppeditet, retenturos. Ille interritus et 12 parte copiarum apud Suriam relicta, ut munimenta Euphrati inposita retinerentur, qua proximum et commeatibus non egenum, regionem Commagenam, exim Cappadociam, inde Armenios petivit. Comitabantur exercitum praeter alia sueta bello magna vis camelorum onusta frumenti, ut simul hostem famemque depelleret. Primum e perculsis Paccium, primi pili centurionem, obvium habuit, dein plerosque militum; quos diversas fugae causas obtendentes redire ad signa et clementiam Paeti experiri monebat: se nisi victoribus immitem esse. Simul suas legiones adire hortari, priorum admonere, novam gloriam ostendere. Non vicos aut oppida Armeniorum, sed castra Romana duasque in iis legiones pretium laboris peti. Si singulis manipularibus praecipua servati

3 ...et aegre *Haase*: et egre (*sententia elapsa huiusmodi fuerit*: quo aduentante discrimen non introspexit Paetus, et aegre) 4 ut uim inst. *Heinsius* 6 subsidii *Puteolanus*: subsidiis iteneri 12 erruptione 13 ꝓrius 21 uitā sub pedit et 22 eufrati 24 ex Im

civis corona imperatoria manu tribueretur, quod illud et quantum decus, ubi par eorum numerus aspiceretur, qui adtulissent salutem et qui accepissent. His atque talibus in commune alacres (et erant quos pericula fratrum aut propinquorum propriis stimulis incenderent) continuum diu noctu-
13 que iter properabant. Eoque intentius Vologeses premere obsessos, modo vallum legionum, modo castellum, quo inbellis aetas defendebatur, adpugnare, propius incedens quam mos Parthis, si ea temeritate hostem in proelium eliceret. At illi vix contuberniis extracti.., nec aliud quam munimenta propugnabant, pars iussu ducis, et alii propria ignavia aut Corbulonem opperientes, ac vis si ingrueret, provisis exemplis Caudinae Numantinaeque; neque eandem vim Samnitibus, Italico populo, aut Hispanis, ut Parthis, Romani imperii aemulis. Validam quoque et laudatam antiquitatem, quotiens fortuna contra daret, saluti consuluisse. Qua desperatione exercitus dux subactus primas tamen litteras ad Vologesen non supplices, sed in modum querentis composuit, quod pro Armeniis, semper Romanae ditionis aut subiectis regi quem imperator delegisset, hostilia faceret: pacem ex aequo utilem;
14 ne praesentia tantum spectaret. Ipsum adversus duas legiones totis regni viribus advenisse: at Romanis orbem terrarum reliquum, quo bellum iuvarent. Ad ea Vologeses nihil pro causa, sed opperiendos sibi fratres Pacorum ac Tiridaten rescripsit; illum locum tempusque consilio destinatum, quid de Armenia cernerent; adiecisse deos dignum *decore* Arsacidarum, simul ut de legionibus Romanis statuerent. Missi posthac a Paeto nuntii et regis colloquium petitum, qui Va-

2 aspiceretur *L* : apisceretur 7 In bellis 10 *extracti.. : extracti. (*expleveris* nolle aciem; *Nipperdey* extrahi) 11 ut Corb. *R* 12 uis si *Walther* : uis (si uis *G*) 13 caudi nenu⁷ antineq; (*h. e.* Caudinae Numantinaeque) neque *G* : *om* uı⁷s amnitibus 14 Hispanis *Freinsheim* : pęnis ut Parthis *om* (quam Parthis *Gronovius*, ut *sine* Parthis *Freinsheim*) 17 Vologesen non] uologesesı⁷n̄ 19 dicionis regi *G* : rei 20 equoutile 22 regnis *pr* ad 24 paucorum *pr* tyridatē 25 rescribsit *fortasse* illis locum destinandum 26 dos̃ *dignum decore : dignum (dignum familia *Heraeus*) 27 ut *Vrsinus et Vertranius* : et 28 posthac a *Haase* : post hac (post a *ed. princeps*) petitu

sacen, praefectum equitatus, ire iussit. Tum Paetus Lucullos Pompeios, et si qua Caesares optinendae donandaeve Armeniae egerant, Vasaces imaginem retinendi largiendive penes nos, vim penes Parthos memorat. Et multum in vicem disceptato, Monobazus Adiabenus in diem posterum testis iis quae pepigissent adhibetur. Placuitque liberari obsidio legiones et decedere omnem militem finibus Armeniorum, castellaque et commeatus Parthis tradi, quibus perpetratis copia Vologesi fieret mittendi ad Neronem legatos. Interim flumini Arsaniae (is castra praefluebat) *Paetus* pontem imposuit, specie sibi illud iter expedientis, sed Parthi quasi documentum victoriae iusserant: namque iis usui fuit, nostri per diversum iere. Addidit rumor sub iugum missas legiones et alia ex rebus infaustis, quorum simulacrum ab Armeniis usurpatum est. Namque et munimenta ingressi sunt, antequam agmen Romanum excederet, et circumstetere vias, captiva olim mancipia aut iumenta adgnoscentes abstrahentesque. Raptae etiam vestes, retenta arma, pavido milite et concedente, ne qua proelii causa existeret. Vologeses armis et corporibus caesorum aggeratis, quo cladem nostram testaretur, visu fugientium legionum abstinuit. Fama moderationis quaerebatur, postquam superbiam expleverat. Flumen Arsaniam elephanto insidens, proximus quisque regem vi equorum perrupere, quia rumor incesserat pontem cessurum oneri dolo fabricantium: sed qui ingredi ausi sunt, validum et fidum intellexere. Ceterum obsessis adeo suppeditavisse rem frumentariam constitit, ut horreis ignem inicerent. Contra quae prodidit Corbulo Parthos inopes copiarum et pabulo attrito relicturos oppugnationem, neque se plus tridui itinere afuisse. Adicit iure iurando Paeti cautum apud signa, astan-

2 si qua Caesares *Pichena* : si quaces *cum spatio trium litterarum* 4 pęnes, *altero loco* penes disseptato 5 iis que *G* : his que 6 adthibetur a obsidio *pr* 10 Arsaniae (is *Acidalius* : arsanieti. Is (Arsaniae (etenim is *L*) *Paetus : *om* 11 expedientis *Grotius et Muretus* : experientis docimentum 13 iugūs *pr* 17 ad noscentes (*sic*) abstraentesque 20 aggeratis *Heinsius* : aggregatis 22 expleberat 26 Cęterum suppiditauisse 27 *contra quae prodidit : contraque prodiderint (*vulgo* inicerent, contraque prodiderit) 30 affuisse adici

tibus iis quos testificando rex misisset, neminem Romanum Armeniam ingressurum, donec referrentur litterae Neronis, an paci annueret. Quae ut augendae infamiae composita, sic reliqua non in obscuro habentur, una die quadraginta milium spatium emensum esse Paetum, desertis passim sauciis, neque minus deformem illam fugientium trepidationem quam si terga in acie vertissent. Corbulo cum suis copiis apud ripam Euphratis obvius non eam speciem insignium et armorum praetulit, ut diversitatem exprobraret. Maesti manipuli ac vicem commilitonum miserantes ne lacrimis quidem temperare; vix prae fletu usurpata consalutatio. Decesserat certamen virtutis et ambitio gloriae, felicium hominum affectus: sola misericordia valebat, et aput minores magis.

17 Ducum inter se brevis sermo secutus est, hoc conquerente inritum laborem, potuisse bellum fuga Parthorum finiri: ille integra utrique cuncta respondit; converterent aquilas et iuncti invaderent Armeniam abscessu Vologesis infirmatam. Non ea imperatoris *se* habere mandata Corbulo: periculo legionum commotum e provincia egressum; quando in incerto habeantur Parthorum conatus, Suriam repetiturum. Sic quoque optimam Fortunam orandam, ut pedes confectus spatiis itinerum alacrem et facilitate camporum praevenientem equitem adsequeretur. Exim Paetus per Cappadociam hibernavit. At Vologeses ad Corbulonem missis nuntiis, detraheret castella trans Euphraten, amnemque ut olim medium faceret, ille Armeniam quoque diversis praesidiis vacuam fieri expostulabat. Et postremo concessit rex; dirutaque quae Euphraten ultra communiverat Corbulo, et Armenii sine arbitro relicti sunt.

18 At Romae tropaea de Parthis arcusque medio Capitolini montis sistebantur, decreta ab senatu integro adhuc

11 temperauere *liber Budensis* 13 minoris 14 conquerente *Faernus* : conquerentium 17 uologeses 18 *se : *om* 21 oranda 22 itenerum *pr* 23 ex Im *pr* cappadocia 24 Vologeses] Vologesi *G*, Vologesis *Puteolanus et vulgo* corbulone *missis nuntiis : missi nuntii 26 *faceret, ille : faceret. Ille 27 *fortasse* expostulabant dirutaque quae *Puteolanus* : diruta queque 28 communiuerat *Bekker* : commmuerat (communierat *Puteolanus*)

bello neque tum omissa, dum aspectui consulitur spreta conscientia. Quin et dissimulandis rerum externarum curis Nero frumentum plebis vetustate corruptum in Tiberim iecit, quo securitatem annonae ostentaret. Cuius pretio nihil additum est, quamvis ducentas ferme naves portu in ipso violentia tempestatis et centum alias Tiberi subvectas fortuitus ignis absumpsisset. Tris dein consulares, L. Pisonem, Ducenium Geminum, Pompeium Paulinum vectigalibus publicis praeposuit, cum insectatione priorum principum, qui gravitate sumptuum iustos reditus anteissent: se annuum sexcenties sestertium rei publicae largiri.

19 Percrebuerat ea tempestate pravissimus mos, cum propinquis comitiis aut sorte provinciarum plerique orbi fictis adoptionibus adsciscerent filios, praeturasque et provincias inter patres sortiti statim emitterent manu quos adoptaverant. ...magna cum invidia senatum adeunt, ius naturae, labores educandi adversus fraudem et artes et brevitatem adoptionis enumerant. Satis pretii esse orbis quod multa securitate, nullis oneribus gratiam honores, cuncta prompta et obvia haberent. Sibi promissa legum diu expectata in ludibrium verti, quando quis sine sollicitudine parens, sine luctu orbus longa patrum vota repente adaequaret. Factum ex eo senatus consultum, ne simulata adoptio in ulla parte muneris publici iuvaret ac ne usurpandis quidem hereditatibus prodesset.

20 Exim Claudius Timarchus Cretensis reus agitur, ceteris criminibus, ut solent praevalidi provincialium et opibus nimiis ad iniurias minorum elati: una vox eius usque ad contumeliam senatus penetraverat, quod dictitasset in sua potestate situm, an pro consulibus qui Cretam obtinuissent gra- tes agerentur. Quam occasionem Paetus Thrasea ad bonum publicum vertens, postquam de reo censuerat provincia Creta depellendum, haec addidit: 'usu probatum est, patres con-

1 omissa *G* : amissa spreta *G* : spreto 3 tyberim, *mox* tyberi 4 ostentaret *Agricola* : sustentaret 7 absumpsisset ς : assumpsisset 11 ·RP· 12 prauissimus mos *ed. princeps* : prauissi mos (prauus mos *correxit recens m.*) 15 patre 16 ...magna *Nipperdey* : magna (*explco* moris eius osores) adeunt, ius *R* : adeuntib; 25 ex Im tymarc: ceteris 27 contumelia 29 ꝯsulib; 32 ·PC·

scripti, leges egregias, exempla honesti, apud bonos ex delictis aliorum gigni. Sic oratorum licentia Cinciam rogationem, candidatorum ambitus Iulias leges, magistratuum avaritia Calpurnia scita pepererunt: nam culpa quam poena tempore prior, emendari quam peccare posterius est. Ergo adversus novam provincialium superbiam dignum fide constantiaque Romana capiamus consilium, quo tutelae sociorum nihil derogetur, nobis opinio decedat, qualis quisque
21 habeatur, alibi quam in civium iudicio esse. Olim quidem non modo praetor aut consul, sed privati etiam mittebantur, qui provincias viserent et quid de cuiusque obsequio videretur referrent, trepidabantque gentes de aestimatione singulorum: at nunc colimus externos et adulamur, et quomodo ad nutum alicuius grates, ita promptius accusatio decernitur. Decernaturque et maneat *potestas* provincialibus potentiam suam tali modo ostentandi: sed laus falsa et..precibus expressa perinde cohibeantur quam malitia, quam crudelitas. Plura saepe peccantur, dum demeremur quam dum offendimus. Quaedam immo virtutes odio sunt, severitas obstinata, invictus adversum gratiam animus. Inde initia magistratuum nostrorum meliora ferme, et finis inclinat, dum in modum candidatorum suffragia conquirimus; quae si arceantur, aequabilius atque constantius provinciae regentur. Nam ut metu repetundarum infracta avaritia est, ita vetita gratia-
22 rum actione ambitio cohibebitur.' Magno adsensu celebrata sententia, non tamen senatus consultum perfici potuit, abnuentibus consulibus ea de re relatum. Mox auctore principe sanxere, ne quis ad concilium sociorum referret agendas apud senatum pro praetoribus prove consulibus grates, neu quis ea legatione fungeretur.

1 *honesti : honesta 4 pęna 6 prouincialium *Faernus* : prouinciarium 9 iudicio ç : Iudicia 12 aestimatione *B* : estimatione (*debuit* ęstim.) 14 nutu 15 *potestas prouincialibus : prouincialibus (*cf. O.* 5 : perpetua potentia ac potestate munitus) 16 ostentandi *G* : optentandi *et..precibus : et p̄cibus (*expleo* et praedicatio precibus) 17 cohibeatur *corr G* 23 aequabilius *Agricola et Groslotius* : aequalibus (aequalius *G*) 25 cohibebitur *L* : cohibetur cęlebrata 28 sansere *pr*

Isdem consulibus gymnasium ictu fulminis conflagravit, effigiesque in eo Neronis ad informe aes liquefacta. Et motu terrae celebre Campaniae oppidum Pompei magna ex parte proruit. Defunctaque virgo Vestalis Laelia, in cuius locum Cornelia ex familia Cossorum capta est.

23 Memmio Regulo et Verginio Rufo consulibus natam sibi ex Poppaea filiam Nero ultra mortale gaudium accepit appellavitque Augustam, dato et Poppaeae eodem cognomento. Locus puerperio colonia Antium fuit, ubi ipse genera- tus erat. Iam senatus uterum Poppaeae commendaverat dis votaque publice susceperat, quae multiplicata exsolutaque. Et additae supplicationes templumque Fecunditati et certamen ad exemplar Actiacae religionis decretum, utque Fortunarum effigies aureae in solio Capitolini Iovis locarentur, ludicrum circense ut Iuliae genti apud Bovillas, ita Claudiae Domitiaeque apud Antium ederetur. Quae fluxa fuere, quartum intra mensem defuncta infante. Rursusque exortae adulationes censentium honorem divae et pulvinar aedemque et sacerdotem. Atque ipse ut laetitiae, ita maeroris inmodicus egit. Adnotatum est, omni senatu Antium sub recentem partum effuso, Thraseam prohibitum inmoto animo praenuntiam imminentis caedis contumeliam excepisse. Secutam dehinc vocem Caesaris ferunt, qua reconciliatum se Thraseae apud Senecam iactaverit, ac Senecam Caesari gratulatum; unde gloria egregiis viris et pericula gliscebant. P. Ch. 63

24 Inter quae veris principio legati Parthorum mandata regis Vologesis litterasque in eandem formam attulere: se priora et totiens iactata super optinenda Armenia nunc omittere, quoniam dei, quamvis potentium populorum arbitri, possessionem Parthis non sine ignominia Romana tradidissent. Nuper clausum Tigranen; post Paetum legionesque, cum opprimere posset, incolumes dimisisse. Satis adprobatam vim; datum et lenitatis experimentum. Nec recusaturum Tiridaten accipiendo diademati in urbem venire, nisi

2 effigiesque *Puteolanus* : effigies usque 6 uirginio (*sic*) c̄sule 8 augustā (*nota rec. m.*) 9 colinia *pr* 11 publicę 13 actierce (*sic*) 14 Iobis 15 uobillas 23 reconciliatu 26 interque 28 omittere (*i* : committere 29 qm̄ *dei : dii 32 adprouatam

sacerdotii religione attineretur. Iturum ad signa et effigies
25 principis, ubi legionibus coram regnum auspicaretur. Talibus Vologesis litteris, quia Paetus diversa tamquam rebus integris scribebat, interrogatus centurio, qui cum legatis advenerat, quo in statu Armenia esset, omnes inde Romanos excessisse respondit. Tum intellecto barbarorum inrisu, qui peterent quod eripuerant, consuluit inter primores civitatis Nero, bellum anceps an pax inhonesta placeret. Nec dubitatum de bello. Et Corbulo militum atque hostium tot per annos gnarus gerendae rei praeficitur, ne cuius alterius inscitia rursum peccaretur, quia Paeti piguerat. Igitur inriti remittuntur, cum donis tamen, unde spes fieret non frustra eadem oraturum Tiridaten, si preces ipse attulisset. Iurisque executio C. Cestio, copiae militares Corbuloni permissae; et quinta decuma legio ducente Mario Celso e Pannonia adiecta est. Scribitur tetrarchis ac regibus praefectisque et procuratoribus, et qui praetorum finitimas provincias regebant, iussis Corbulonis obsequi, in tantum ferme modum aucta potestate, quem populus Romanus Cn. Pompeio bellum piraticum gesturo dederat. Regressum Paetum, cum graviora metueret, facetiis insectari satis habuit Caesar, his ferme verbis: ignoscere se statim, ne tam promptus in pavorem
26 longiore sollicitudine aegresceret. At Corbulo quarta et duodecuma legionibus, quae fortissimo quoque amisso et ceteris exterritis parum habiles proelio videbantur, in Syriam translatis, sextam inde ac tertiam legiones, integrum militem et crebris ac prosperis laboribus exercitum, in Armeniam ducit. Addiditque legionem quintam, quae per Pontum agens expers cladis fuerat, simul quintadecumanos recens adductos et vexilla delectorum ex Illyrico et Aegypto, quodque *aderat* alarum cohortiumque, et auxilia regum in unum conducta apud Melitenen, qua tramittere Euphraten

3 tāquā 6 barbarorum *G* : barba rum 8 inhonesta *Victorius* : Inhosta 13 *iurisque : Syriaeq; (*cf.* 1 80 : in isdem exercitibus aut iurisdictionibus) 14 ex|cutio C. Cestio *Nipperdey* : citio (Cincio ς, Cestio *Pighius*, C. Itio *Orelli; cf.* 3 36, Ioseph. B. I. II 14 3, Eckhel d. n. III 282) 16 praefectis. quę 19 ·ℓN· 25 syria 30 illirico 31 *aderat alarum : alarum cohortium. quae

parabat. Tum lustratum rite exercitum ad contionem vocat, orditurque magnifica de auspiciis imperatoris rebusque a se gestis, adversa in inscitiam Paeti declinans, multa auctoritate, quae viro militari pro facundia erat. Mox iter L. 27
Lucullo quondam penetratum, apertis quae vetustas obsepserat, pergit. Et venientes Tiridatis Vologesisque de pace legatos haud aspernatus, adiungit iis centuriones cum mandatis non inmitibus: nec enim adhuc eo ventum, ut certamine extremo opus esset. Multa Romanis secunda, quaedam Parthis evenisse, documento adversus superbiam. Proinde et Tiridati conducere intactum vastationibus regnum dono accipere, et Vologesen melius societate Romana quam damnis mutuis genti Parthorum consulturum. Scire, quantum intus discordiarum quamque indomitas et praeferoces nationes regeret: contra imperatori suo immotam ubique pacem et unum id bellum esse. Simul consilio terrorem adicere, et megistanas Armenios, qui primi a nobis defecerant, pellit sedibus, castella eorum excindit, plana edita, validos invalidosque pari metu complet. Non infensum nec cum hostili odio Corbulo- 28
nis nomen etiam barbaris habebatur, eoque consilium eius fidum credebant. Ergo Vologeses neque atrox in summam, et quibusdam praefecturis indutias petit: Tiridates locum diemque colloquio poscit. Tempus propinquum, locus, in quo nuper obsessae cum Paeto legiones erant, cum barbaris delectus est ob memoriam laetioris sibi rei, Corbuloni non vitatur, ut dissimilitudo fortunae gloriam augeret. Neque infamia Paeti angebatur, quod eo maxime patuit, quia filio eius tribuno ducere manipulos atque operire reliquias malae pugnae imperavit. Die pacta Tiberius Alexander, inlustris eques Romanus, minister bello datus, et Vinicianus Annius, gener Corbulonis, nondum senatoria aetate set pro legato quintae

3 aduersa in *Freinsheim* : aduersā 7 had 10 docim̄to proinde *G* : pInde 11 tyridati 12 uologeses (Vologessem *G*) 13 *fortasse* scire eum 14 quanq; 15 imperatoris *pr* immota 17 pelluit 19 nedum hostili *L* 20 *fortasse* in barbaris consilio *pr* 21 cre credebant 25 memoria Corbuloni *Agricola* : corbulo uitatur *Sirker* : uitatus 29 tyberius 30 Vinicianus *Ryck* : uinianus 31 aetates et

legioni inpositus, in castra Tiridatis venere, honori eius, ac ne metueret insidias tali pignore; viceni dehinc equites adsumpti. Et viso Corbulone rex prior equo desiluit; nec cunctatus Corbulo, sed pedes uterque dexteras miscuere.
29 Exin Romanus laudat iuvenem omissis praecipitibus tuta et salutaria capessentem. Ille de nobilitate generis multum praefatus, cetera temperanter adiungit: iturum quippe Romam laturumque novum Caesari decus, non adversis Parthorum rebus supplicem Arsaciden. Tum placuit Tiridaten ponere apud effigiem Caesaris insigne regium nec nisi manu Neronis resumere; et colloquium osculo finitum. Dein paucis diebus interiectis, magna utrimque specie, inde eques compositus per turmas et insignibus patriis, hinc agmina legionum stetere fulgentibus aquilis signisque et simulacris deum in modum templi: medio tribunal sedem curulem et sedes effigiem Neronis sustinebat. Ad quam progressus Tiridates, caesis ex more victimis, sublatum capiti diadema imagini subiecit, magnis apud cunctos animorum motibus, quos augebat insita adhuc oculis exercituum Romanorum caedes aut obsidio. At nunc versos casus: iturum Tiridaten ostentui
30 gentibus, quanto minus quam captivum? Addidit gloriae Corbulo comitatem epulasque; et rogitante rege causas, quotiens novum aliquid adverterat, ut initia vigiliarum per centurionem nuntiari, convivium bucina dimitti et structam ante augurale aram subdita face accendi, cuncta in maius attollens admiratione *eum* prisci moris affecit. Postero die spatium oravit, quo tantum itineris aditurus fratres ante matremque viseret: obsidem interea filiam tradit litterasque suppli-
31 ces ad Neronem. Et digressus Pacorum apud Medos, Vologesen Ecbatanis repperit, non incuriosum fratris: quippe et propriis nuntiis a Corbulone petierat, nequam imaginem servitii Tiridates perferret neu ferrum traderet aut complexu provincias optinentium arceretur foribusve eorum adsisteret,

1 tyridatis honori *L*: honor (honore *G*) 5 ex In 6 capescentem multum *Puteolanus*: militum (multa *G*) 14 dm̃ 17 sublatum *G*: sublati capite *R* 20 iturum *R*: iterum 23 aliquit 25 augurale *Agricola et L*: auguralē 26 ammiratione *eum: om* 29 pacorem

tantusque ei Romae quantus consulibus honor esset. Scilicet externae superbiae sueto non inerat notitia nostri, apud quos vis imperii valet, inania tramittuntur.

Eodem anno Caesar nationes Alpium maritimarum in 32
ius Latii transtulit. Equitum Romanorum locos sedilibus plebis anteposuit apud circum: namque ad eam diem indiscreti inibant, quia lex Roscia nihil nisi de quattuordecim ordinibus sanxit. Spectacula gladiatorum idem annus habuit pari magnificentia ac priora: sed feminarum illustrium senatorumque plures per arenam foedati sunt.

C. Laecanio M. Licinio consulibus acriore in dies cu- 33
pidine adigebatur Nero promiscuas scenas frequentandi. P. Ch. 64.
Nam adhuc per domum aut hortos cecinerat Iuvenalibus ludis, quos ut parum celebres et tantae voci angustos sperebat. Non tamen Romae incipere ausus Neapolim quasi Graecam urbem delegit: inde initium fore, ut transgressus in Achaiam insignesque et antiquitus sacras coronas adeptus maiore fama studia civium eliceret. Ergo contractum oppidanorum vulgus, et quos e proximis coloniis et municipiis eius rei fama civerat, quique Caesarem per honorem aut varios usus sectantur, etiam militum manipuli, theatrum Neapolitanorum complent. Illic, plerique ut arbitrabantur, triste, ut 34
ipse, providum potius et secundis numinibus evenit: nam egresso qui affuerat populo vacuum et sine ullius noxa theatrum collapsum est. Ergo per conpositos cantus grates dis atque ipsam recentis casus fortunam celebrans petiturusque maris Hadriae traiectus apud Beneventum interim consedit, ubi gladiatorium munus a Vatinio celebre edebatur. Vatinius inter foedissima eius aulae ostenta fuit, sutrinae tabernae alumnus, corpore detorto, facetiis scurrilibus, primo in con-

2 inherat 8 sancxit 10 fedati 11 cōs. 13 cęcinerat 16 transgressus ę : transgressis 19 uolg[illegible] *nunc primum scriba librarius, postquam et prioris et alterius codicis Medicei scriptor magna constantia per quindecim libros et ab hoc et a similibus* (uolnus, diuolgare, uolnerare *cet.*) *abstinuit; iam alterius Medicei scriba novo popularium Italiae more victus incipit inter utrasque formas incertus vacillare: ego priorem ac melius testatam scribendi rationem sequor* 20 acciuerat *Budensis* 22 arbitrabantur *R* : arbitrantur 29 fędissima 30 scurilibus

tumelias assumptus; dehinc optimi cuiusque criminatione eo usque valuit, ut gratia, pecunia, vi nocendi etiam malos
35 praemineret. Eius munus frequentanti Neroni ne inter voluptates quidem a sceleribus cessabatur. Isdem quippe illis diebus Torquatus Silanus mori adigitur, quia super Iuniae familiae claritudinem divum Augustum abavum ferebat. Iussi accusatores obicere prodigum largitionibus, neque aliam spem quam in rebus novis esse. Quin eum ignobiles habere, quos ab epistulis et libellis et rationibus appellet, nomina summae curae et meditamenta. Tum intimus quisque libertorum vincti abreptique. Et cum damnatio instaret, brachiorum venas Torquatus interscidit. Secutaque Neronis oratio ex more, quamvis sontem et defensioni merito diffisum victurum tamen fuisse, si clementiam iudicis expectasset.

36 Nec multo post, omissa in praesens Achaia (causae in incerto fuere), urbem revisit, provincias Orientis, maxime Aegyptum, secretis imaginationibus agitans. Dehinc edicto testificatus non longam sui absentiam et cuncta in re publica perinde immota ac prospera fore, super ea profectione adiit Capitolium. Illic veneratus deos, cum Vestae quoque templum inisset, repente cunctos per artus tremens, seu numine exterrente, seu facinorum recordatione numquam timore vacuus, deseruit inceptum, cunctas sibi curas amore patriae leviores dictitans. Vidisse maestos civium vultus, audire secretas querimonias, quod tantum itineris aditurus esset, cuius ne modicos quidem egressus tolerarent, sueti adversum fortuita aspectu principis refoveri. Ergo ut in privatis necessitudinibus proxima pignora praevalerent, ita *publice* popu-

6 abauum *Ruperti ad Reinesium epist.* 60 : atauum iussi ꝯ : Iussis 7 prodicū 8 *quin eum ignobiles : q ne Innobiles (quin eum nobiles *R*, quin in uillis *Seyffert*, quin non ignobiles *ego olim*) 9 epistulis] epfis (*sic alter Mediceus semper in hoc vocabulo : formam* epistula *sine compendio exhibet prior Mediceus*) 11 abrectique (abrepti que *G*) 17 edicto *R* : dicto 18 in rep. perinde *Pichena* : Inrep periende 19 prospera *G* : prospere 20 ueste 21 cuncto^{s} 22 exterente nūquam 25 itineris *post* esset *Heinsius*, *post* tantum *Nipperdey* : *om* (iter *G*) aditurus *G* : auditurus 28 *publice : *om* (in re publica *Wurm*; *cf.* 12 60 : quae uicerant publice ualebant)

lum Romanum vim plurimam habere parendumque retinenti. Haec atque talia plebi volentia fuere, voluptatum cupidine et, quae praecipua cura est, rei frumentariae angustias, si abesset, metuenti. Senatus et primores in incerto erant, procul an coram atrocior haberetur: dehinc, quae natura magnis timoribus, deterius credebant quod evenerat. Ipse 37 quo fidem acquireret nihil usquam perinde laetum sibi, publicis locis struere convivia totaque urbe quasi domo uti. Et celeberrimae luxu famaque epulae fuere, quas a Tigillino paratas ut exemplum referam, ne saepius eadem prodigentia narranda sit. Igitur in stagno Agrippae fabricatus est ratem, cui superpositum convivium navium aliarum tractu moveretur. Naves auro et ebore distinctae, remigesque exoleti per aetates et scientiam libidinum componebantur. Volucres et feras diversis e terris et animalia maris Oceano abusque petiverat. Crepidinibus stagni lupanaria astabant illustribus feminis completa: et contra scorta visebantur nudis corporibus. Iam gestus motusque obsceni; et postquam tenebrae incedebant, quantum iuxta nemoris et circumiecta tecta consonare cantu et luminibus clarescere. Ipse per licita atque inlicita foedatus nihil flagitii reliquerat quo corruptior ageret, nisi paucos post dies uni ex illo contaminatorum grege (nomen Pythagorae fuit) in modum sollemnium coniugiorum denupsisset. Inditum imperatori flammeum, visi auspices, dos et genialis torus et faces nuptiales; cuncta denique spectata quae etiam in femina nox operit.

Sequitur clades, forte an dolo principis incertum (nam 38 utrumque auctores prodidere), sed omnibus, quae huic urbi per violentiam ignium acciderunt, gravior atque atrocior. Initium in ea parte circi ortum, quae Palatino Caelioque montibus contigua est, ubi per tabernas, quibus id mercimonium inerat quo flamma alitur, simul coeptus ignis et statim vali-

3 frumentaria 6 euenerant (t *manu vetere*) 9 ępulę 10 tigellino *nunc praeter morem suum* exemplum *G*: exēplā 13 ębore 18 Iam Iestus 21 fędatus 23 nomen, (*inde* cui nomen *G*) immodum sollempnium 25 uisi *R*: misit (missi *L*, missi et *Doederlein*, uisi et *Halm*) đos (*inde* duos *G*) 29 occidẽ (a *vetere m.*) 30 circy 32 ceptus

dus ac vento citus longitudinem circi corripuit. Neque enim domus munimentis septae vel templa muris cincta, aut quid aliud morae interiacebat. Impetu pervagatum incendium plana primum, deinde in edita assurgens, et rursus inferiora populando, anteiit remedia velocitate mali, et obnoxia urbe artis itineribus hucque et illuc flexis, atque enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit. Ad hoc lamenta paventium feminarum, fessa senum [aetate] aut rudis pueritiae aetas, quique sibi quique aliis consulebant, dum trahunt invalidos aut opperiuntur, pars mora, pars festinans, cuncta impediebant. Et saepe, dum in tergum respectant, lateribus aut fronte circumveniebantur, vel si in proxima evaserant, illis quoque igni correptis, etiam quae longinqua crediderant in eodem casu reperiebant. Postremo, quid vitarent quid peterent ambigui, complere vias, sterni per agros; quidam amissis omnibus fortunis, diurni quoque victus *alimentis*, alii caritate suorum, quos eripere nequiverant, quamvis patente effugio interiere. Nec quisquam defendere audebat, crebris multorum minis restinguere prohibentium, et quia alii palam faces iaciebant atque esse sibi auctorem vociferabantur, sive ut raptus licen-
39 tius exercerent seu iussu. Eo in tempore Nero Antii agens non ante in urbem regressus est quam domui eius, qua Palatium et Maecenatis hortos continuaverat, ignis propinquaret. Neque tamen sisti potuit, quin et Palatium et domus et cuncta circum haurirentur. Sed solacium populo exturbato ac profugo campum Martis ac monumenta Agrippae, hortos quin etiam suos patefecit, et subitaria aedificia extruxit quae multitudinem inopem acciperent; subvectaque utensilia ab Ostia et propinquis municipiis, pretiumque frumenti minutum usque ad ternos nummos. Quae quamquam popularia in irritum cadebant, quia pervaserat rumor in ipso tempore flagrantis urbis inisse eum domesticam scenam et cecinisse

6 hicque 8 fessa senum *Agricola* : fessa [aetate] *L* : aetate. 10 morans *G* 12 igni *G* : ignis 13 cre crediderant reperiebant *Gronovius* : repperiebant 16 *alimentis, alii : alii 20 auctorē (*nota ab al. manu*) 23 mecenatis ortos 24 domos 26 ortos 28 suectaque *pr* 30 que quāquā 31 *rumor in : rumori (rumor *vulgo*)

Troianum excidium, praesentia mala vetustis cladibus adsimulantem. Sexto demum die apud imas Esquilias finis incendio factus, proruptis per inmensum aedificiis, ut continuae violentiae campus et velut vacuum caelum occurreret. Necdum posito metu [haut rediebat levis] rursum grassatus ignis patulis magis urbis locis, eoque strages hominum minor: delubra deum et porticus amoenitati dicatae latius procidere. Plusque infamiae id incendium habuit, quia praediis Tigillini Aemilianis proruperat; videbaturque Nero condendae urbis novae et cognomento suo appellandae gloriam quaerere. Quippe in regiones quattuordecim Roma dividitur, quarum quattuor integrae manebant, tres solo tenus deiectae: septem reliquis pauca tectorum vestigia supererant, lacera et semusta. Domuum et insularum et templorum, quae amissa sunt, numerum inire haud promptum fuerit: sed vetustissima *sacellum* religione, quod Servius Tullius Lunae, et magna ara fanumque, quae praesenti Herculi Arcas Evander sacraverant, aedesque Statoris Iovis, vota Romulo, Numaeque regia et delubrum Vestae cum Penatibus populi Romani exusta; iam opes tot victoriis quaesitae et Graecarum artium decora; exin monumenta ingeniorum antiqua et incorrupta, quamvis in tanta resurgentis urbis pulchritudine, multa seniores meminerunt, quae reparari nequibant. Fuere qui adnotarent quartum decimum kalendas Sextiles principium incendii huius ortum, *quo*..., et quo Senones captam urbem inflammaverint. Alii eo usque cura progressi sunt, ut totidem annos mensesque et dies inter utraque incendia numerent. Ceterum Nero usus est patriae 40 41 42

2 exqlias 3 prorutis *Gronovius* 4 *fortasse* uiolentiae ignium uelud Nec dum 5 posito metu ꝯ : p'metus. *[haut rediebat leuis] : aut rediebat lebis. *cum spatio trium litterarum* (haud *Bipontina*, positus metus haud leuius redibat : rursum *Bezzenberger*, positus metus auctus redibat : saeuus rursum *Haase*) *fortasse* grassatus est 7 dm̃ dicata elatius 11 quo2 14 domū 15 *uetustissima sacellum : uetustissima (fanum uetustissima—ara, quam praesenti *Pluygers*) 17 erculi *sacrauerant : sacrauerat 20 ex In 22 *meminerunt : meminerint (meminerant *R*) 23 *quartum decimum : XIIII. 24 kal. *quo..., et quo : et quo (*expleo* quo caesi Fabii, et quo : *cf.* Liv. 6 1; *R interpolavit* quo et) 27 numerarent *Acidalius* Ceterum

ruinis extruxitque domum, in qua haud perinde gemmae et aurum miraculo essent, solita pridem et luxu vulgata, quam arva et stagna et in modum solitudinum hinc silvae, inde aperta spatia et prospectus, magistris et machinatoribus Severo et Celere, quibus ingenium et audacia erat, etiam quae natura denegavisset, per artem temptare et viribus principis illudere. Namque ab lacu Averno navigabilem fossam usque ad ostia Tiberina depressuros promiserant, squalenti litore aut per montes adversos. Neque enim aliud umidum gignendis aquis occurrit quam Pomptinae paludes: cetera abrupta aut arentia, ac si perrumpi possent, intolerandus labor nec satis causae. Nero tamen, ut erat incredibilium cupitor, effodere proxima Averno iuga conisus est, manentque vestigia
43 irritae spei. Ceterum urbis quae domibus supererant, non, ut post Gallica incendia, nulla distinctione nec passim erecta, sed dimensis vicorum ordinibus et latis viarum spatiis, cohibitaque aedificiorum altitudine ac patefactis areis additisque porticibus, quae frontem insularum protegerent. Eas porticus Nero sua pecunia extructurum purgatasque areas dominis traditurum pollicitus est. Addidit praemia pro cuiusque ordine et rei familiaris copiis, finivitque tempus intra quod effectis domibus aut insulis apiscerentur. Ruderi accipiendo Ostienses paludes destinabat, utique naves, quae frumentum Tiberi subvectassent, onustae rudere decurrerent, aedificiaque ipsa certa sui parte sine trabibus saxo Gabino Albanove solidarentur, quod is lapis ignibus impervius est; iam aqua privatorum licentia intercepta quo largior et pluribus locis in publicum flueret, custodes; et subsidia reprimendis ignibus in propatulo quisque haberet; nec communione parietum *uterentur:* sed propriis quaeque *aedes* muris ambirentur. Ea ex utilitate accepta decorem quoque novae urbi attulere. Erant

1 pinde *G* : ꝑInde 2 uolgata 6 temptare *Puteolanus* : tēperare (tentare *G*) 8 hostia tyberina 9 aliut humidum 10 cętera 14 irrita *domibus : domui (*debuit* domu; = *domivus* = *domibus;* domuum ꝯ) 24 tyberi subuectassent ꝯ : subuecta essent (subuectauissent *Halm, fortasse* quis frumenta Tiberi subuecta essent) 25 cęrta 27 largior *G* : largitior pluribus *G* : plu 28 fluerent (t *manu vetere*) 29 comunione *parietum uterentur : parietum 30 *aedes : *om*

tamen qui crederent, veterem illam formam salubritati magis conduxisse, quoniam angustiae itinerum et altitudo tectorum non perinde solis vapore perrumperentur: at nunc patulam latitudinem et nulla umbra defensam graviore aestu ardescere. Et haec quidem humanis consiliis providebantur. 44 Mox petita dis piacula aditique Sibyllae libri, ex quibus supplicatum Vulcano et Cereri Proserpinaeque, ac propitiata Iuno per matronas, primum in Capitolio, deinde apud proximum mare, unde hausta aqua templum et simulacrum deae perspersum est; et sellisternia ac pervigilia celebravere feminae quibus mariti erant. Sed non ope humana, non largitionibus principis aut deum placamentis decedebat infamia, quin iussum incendium crederetur. Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos et quaesitissimis poenis affecit, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. Auctor nominis eius Christus Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat; repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursum erumpebat, non modo per Iudaeam, originem eius mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque. Igitur primum correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens haud perinde in crimine incendii quam odio humani generis convicti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat et circense ludicrum edebat, habitu aurigae permixtus plebi vel curriculo insistens. Vnde quamquam adversus sontes et novissima exemplia meritos miseratio oriebatur, tamquam non utilitate publica sed in saevitiam unius

6 dis *Gronovius*: a dis 7 uolcano 10 pspersum (prospersum ꝙ) 12 dm̃ 14 pęnis 16 christus. tyberio 18 exitiabilis iudeam 22 pinde *G*: ꝑinde 23 conuicti *G*: c̄Iuncti 25 aut flammandi] aut flamma interdiu *potius* (et flamma diuexati ubi def. *cet. Bernays de Chronicis Sulpicii Severi p.* 55; *apud Sulpicium Severum est* II 29: Multi crucibus affixi aut flamma usti; plerique in id reseruati ut, cum defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur) 26 usum *Puteolanus*: usu 28 curriculo *Agricola*: circulo

45 absumerentur. Interea conferendis pecuniis pervastata Italia, provinciae eversae, sociique populi et quae civitatum liberae vocantur. Inque eam praedam etiam dei cessere, spoliatis in urbe templis egestoque auro, quod triumphis, quod votis omnis populi Romani aetas prospere aut in metu sacraverat. Enimvero per Asiam atque Achaiam non dona tantum, sed simulacra numinum abripiebantur, missis in eas provincias Acrato ac Secundo Carrinate. Ille libertus cuicumque flagitio promptus, hic Graeca doctrina ore tenus exercitus animum bonis artibus non induerat. Ferebatur Seneca, quo invidiam sacrilegii a semet averteret, longinqui ruris secessum oravisse, et postquam non concedebatur, ficta valetudine, quasi aeger nervis, cubiculum non egressus. Tradidere quidam venenum ei per libertum ipsius, cui nomen Cleonicus, paratum iussu Neronis, vitatumque a Seneca proditione liberti seu propria formidine, dum persimplici victu et agrestibus pomis, ac si sitis admoneret, profluente aqua vitam tolerat.

46 Per idem tempus gladiatores apud oppidum Praeneste temptata eruptione praesidio militis, qui custos adesset, coerciti sunt, iam Spartacum et vetera mala rumoribus ferente populo, ut est novarum rerum cupiens pavidusque. Nec multo post clades rei navalis accipitur, non bello (quippe haud alias tam immota pax), sed certum ad diem in Campaniam redire classem Nero iusserat, non exceptis maris casibus. Ergo gubernatores, quamvis saeviente pelago, a Formiis movere; et gravi Africo, dum promuntorium Miseni superare contendunt, Cumanis litoribus inpacti triremium plerasque et minora navigia passim amiserunt.

47 Fine anni vulgantur prodigia, imminentium malorum nuntia. Vis fulgurum non alias crebrior, et sidus cometes, sanguine illustri semper Neroni expiatum. Bicipites homi-

2 prouinciae eūse 3 *dei : dii 6 asyam 8 sęcundo caprinatę (Carinate *Puteolanus; cf.* 13 10) cuicūque 10 induerat *vix sanum est: suspicor* imbuerat *cum L vel* indiderat 13 egressū 20 adest *Nipperdey,* aderat *Agricola* 21 mala2ł morib; 26 saeuiente *G* : saeuientes formis 27 promuntorium *G* : promunturium (*cf.* 2 39) 29 partim *Pluygers* amiser 30 uulgantur (*sic*)

num aliorumve animalium partus abiecti in publicum aut in sacrificiis, quibus gravidas hostias inmolare mos est, reperti. Et in agro Placentino viam propter natus vitulus, cui caput in crure esset; secutaque haruspicum interpretatio, parari rerum humanarum aliud caput, sed non fore validum neque occultum, quia in utero repressum aut iter iuxta editum sit.

Ineunt deinde consulatum Silius Nerva et Atticus Ve- 48
stinus, coepta simul et aucta coniuratione, in quam certa- P. Ch. 65
tim nomina dederant senatores eques miles, feminae etiam, cum odio Neronis, tum favore in C. Pisonem. Is Calpurnio genere ortus, ac multas insignesque familias paterna nobilitate complexus, claro apud vulgus rumore erat per virtutem aut species virtutibus similes. Namque facundiam tuendis civibus exercebat, largitionem adversum amicos, et ignotis quoque comi sermone et congressu; aderant etiam fortuita, corpus procerum, decora facies: sed procul gravitas morum aut voluptatum parsimonia; levitati ac magnificentiae et aliquando luxui indulgebat. Idque pluribus probabatur, qui in tanta vitiorum dulcedine summum imperium non restrictum nec perseverum volunt. Initium coniurationi non a cupidine 49
ipsius fuit; nec tamen facile memoraverim, quis primus auctor, cuius instinctu concitum sit quod tam multi sumpserunt. Promptissimos Subrium Flavum, tribunum praetoriae cohortis, et Sulpicium Asprum, centurionem, extitisse constantia exitus docuit; et Lucanus Annaeus Plautiusque Lateranus, consul designatus, vivida odia intulere. Lucanum propriae causae accendebant, quod famam carminum eius premebat Nero prohibueratque ostentare, vanus artis simulatione: Lateranum [consulem designatum] nulla iniuria, sed amor rei publicae sociavit. At Flavius Scaevinus et Afranius Quintianus, uterque senatorii ordinis, contra famam sui principium

3 capud 6 et *pro* aut *Ernesti* 8 cępta 12 *uulgus : uolgū 13 Nanque 17 leuitati *Ernesti* : lenitati 18 luxui *G* : luxu 23 Flauum *Bekker* : flauium (*cf. c.* 58 *et* 67) 25 anneus 26 consul designatus *seclusit Bekker* (*in codice est* consul designatus.) 27 premebant *pr* 28 *artis simulatione : ad|simulatione (aemulatione *Vrsinus*) 29 *[consulem designatum] : consulem disignatum amor *corr G* : amore (*fortasse* amor eius) rei .p.

tanti facinoris capessivere.. Nam Scaevino dissoluta luxu mens et proinde vita somno languida: Quintianus mollitia corporis infamis et a Nerone probroso carmine diffamatus
50 contumelias ultum ibat. Ergo dum scelera principis, et finem adesse imperio, deligendumque qui fessis rebus succurreret, inter se aut inter amicos iaciunt, adgregavere Claudium Senecionem, Cervarium Proculum, Vulcatium Araricum, Iulium Augurinum, Munatium Gratum, Antonium Natalem, Marcium Festum, equites Romanos. Ex quibus Senecio, e praecipua familiaritate Neronis, speciem amicitiae etiam tum retinens eo pluribus periculis conflictabatur; Natalis particeps ad omne secretum Pisoni erat; ceteris spes ex novis rebus petebatur. Adscitae sunt super Subrium et Sulpicium, de quibus rettuli militares manus, Gavius Silvanus et Statius Proximus, tribuni cohortium praetoriarum, Maximus Scaurus et Venetus Paulus, centuriones. Sed summum robur in Faenio Rufo praefecto videbatur, quem vita famaque laudatum per saevitiam inpudicitiamque Tigillinus in animo principis anteibat, fatigabatque criminationibus ac saepe in metum adduxerat quasi adulterum Agrippinae et desiderio eius ultioni intentum.
Igitur ubi coniuratis praefectum quoque praetorii in partes descendisse crebro ipsius sermone facta fides, promptius iam de tempore ac loco caedis agitabant. Et cepisse impetum Subrius Flavus ferebatur in scena canentem Neronem adgrediendi, aut cum ardente domo per noctem huc illuc cursaret incustoditus. Hic occasio solitudinis, ibi ipsa frequentia, tanti decoris testis pulcherrima, animum *eius* extimulaverant, nisi inpunitatis cupido retinuisset, magnis semper conatibus
51 adversa. Interim cunctantibus prolatantibusque spem ac metum, Epicharis quaedam, incertum quonam modo sciscitata (neque illi ante ulla rerum honestarum cura fuerat), accendere et urguere coniuratos, ac postremum lentitudinis eorum

4 ultum *G* : multum 5 imperio ç : imperia deligendumque qui *Puteolanus* : deligendum qq; 6 *Claudium : tullīū 7 Vulcatium *R* : uulgaciū 9 senęcio 11 periculis *G* : periculi 19 metū *G* : metu 22 sermone *G* : sermonis. 24 flaus 27 pulcherrima *Vrlichs* : pulcherrimum *animum eius : animum extimulauerat (n *vetere m.*) 28 Inpunitatis (*sic*) 32 urguere *Pluygers* : arguere

pertaesa, et in Campania agens, primores classiariorum Misenensium labefacere et conscientia illigare conisa est tali initio. Erat nauarchus in ea classe Volusius Proculus, occidendae matris Neroni inter ministros, non ex magnitudine sceleris provectus, ut rebatur. Is mulieri olim cognitus, seu recens orta amicitia, dum merita erga Neronem sua et quam in irritum cecidissent, aperit adicitque questus et destinationem vindictae, si facultas oreretur, spem dedit posse inpelli et plures conciliare: nec leve auxilium in classe, crebras occasiones, quia Nero multo apud Puteolos et Misenum maris usu laetabatur. Ergo Epicharis plura; et omnia scelera principis orditur, *neque*... neque senatui quid manere. Sed provisum quonam modo poenas eversae rei publicae daret; accingeretur modo navare operam et militum acerrimos ducere in partes, ac digna pretia expectaret; nomina tamen coniuratorum reticuit. Vnde Proculi indicium inritum fuit, quamvis ea quae audierat ad Neronem detulisset. Accita quippe Epicharis et cum indice composita nullis testibus innisum facile confutavit. Sed ipsa in custodia retenta est, suspectante Nerone haud falsa esse etiam quae vera non probabantur. Coniuratis tamen metu proditionis permotis placi- 52
tum maturare caedem apud Baias in villa Pisonis, cuius amoenitate captus Caesar crebro ventitabat balineasque et epulas inibat omissis excubiis et fortunae suae mole. Sed abnuit Piso, invidiam praetendens, si sacra mensae deique hospitales caede qualiscumque principis cruentarentur: melius apud urbem in illa invisa et spoliis civium extructa domo vel in publico patraturos quod pro re publica suscepissent. Haec in commune, ceterum timore occulto, ne L. Silanus eximia nobilitate disciplinaque C. Cassii, apud quem educatus erat,

1 ptesa 3 erat nauarchus *G*ꝫ : erant uarchus (*v. Mommsen Inscript. R. N. Ind. XXIII s. v. centurio*) uolusiu⁊ 4 Neroni *Heinsius* : neronis 5 is *G* : his 7 quęstus 12 *neque ... neque : neque (*expleas* neque sua magistratibus munia neque *cet.;* neque sancti quid m. [illegible] qd (— quid) 13 penas rei .p. 14 militum *Buden-* [illegible] 22 baias *G* : uaias amenitate 23 *balineasque : [illegible] que *G*, balneasque *vulgo*) 25 *deique : diique

[illegible] qualiscũque 28 re .p. 29 ceterum

ad omnem claritudinem sublatus imperium invaderet, prompte daturis qui a coniuratione integri essent quique miserarentur Neronem tamquam per scelus interfectum. Plerique Vestini quoque consulis acre ingenium vitavisse Pisonem crediderunt, ne ad libertatem oreretur, vel delecto imperatore alio sui muneris rem publicam faceret. Etenim expers coniurationis erat, quamvis super eo crimine Nero vetus adversum insontem odium expleverit. Tandem statuere circensium ludorum die, qui Cereri celebratur, exequi destinata, quia Caesar, rarus egressu domoque aut hortis clausus, ad ludicra circi ventitabat promptioresque aditus erant laetitia spectaculi. Ordinem insidiis composuerant, ut Lateranus, quasi subsidium rei familiari oraret, deprecabundus et genibus principis accidens prosterneret incautum premeretque, animi validus et corpore ingens. Tum iacentem et impeditum tribuni et centuriones *caederent*, et ceterorum ut quisque audentiae habuisset, adcurrerent trucidarentque, primas sibi partes expostulante Scaevino, qui pugionem templo Salutis [in Etruria] sive, ut alii tradidere, Fortunae Ferentino in oppido detraxerat gestabatque velut magno operi sacrum. Interim Piso apud aedem Cereris opperiretur, unde eum praefectus Faenius et ceteri accitum ferrent in castra, comitante Antonia, Claudii Caesaris filia, ad eliciendum vulgi favorem, quod C. Plinius memorat. Nobis quoquo modo traditum non occultare in animo fuit, quamvis absurdum videretur aut inanem ad spem Antoniam nomen et periculum commodavisse, aut Pisonem notum amore uxoris alii matrimonio se obstrinxisse, nisi si cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior est. Sed mirum quam inter diversi generis ordinis, aetatis sexus,

4 consuli sacre Ingentū 5 libertatem oreretur *Pichena* : libertate moreretur (*cf. ad* 11 23 *fin.*) 6 rem .p. 9 celebrantur *Agricola et Acidalius* 11 promptiores quę erat (n *vetere m.*) 12 composuerat (n *vetere m.*), *tum* laetitia—composuerant *iterum* 13 accidens *R* : accedens 15 *centuriones caederent : centuriones 16 audentiae *Vaticanus Lipsii* : audientiae (audatiae *G*) 17 expostulante *G* : expostulanti 18 [in Etruria] *Ernesti* : in etruria. (*sic*) ut alii *G* : utilia 19 Ferentino *Cluver* : frentano dextraxerat 20 operi *Pichena* : operis 21 operiretur 23 uolgi 25 inanem ad *Pichena* : inane aut

dites pauperes, taciturnitate omnia cohibita sint, donec proditio coepit e domo Scaevini; qui pridie insidiarum multo sermone cum Antonio Natale, dein regressus domum testamentum obsignavit, promptum vagina pugionem, de quo supra rettuli, vetustate obtusum increpans, asperari saxo et in mucronem ardescere iussit, eamque curam liberto Milicho mandavit. Simul affluentius solito convivium initum, servorum carissimi libertate et alii pecunia donati. Atque ipse maestus et magnae cogitationis manifestus erat, quamvis laetitiam vagis sermonibus simularet. Postremo vulneribus ligamenta quibusque sistitur sanguis partiebat, idque eundem Milichum monet, sive gnarum coniurationis et illuc usque fidum, seu nescium et tunc primum arreptis suspitionibus, ut plerique tradidere de consequentibus. Nam cum secum servilis animus praemia perfidiae reputavit, simulque inmensa pecunia et potentia obversabantur, cessit fas et salus patroni et acceptae libertatis memoria. Etenim uxoris quoque consilium adsumpserat, muliebre ac deterius: quippe ultro metum intentabat, multosque astitisse libertos ac servos, qui eadem viderint; nihil profuturum unius silentium; at praemia penes unum fore, qui indicio praevenisset. Igitur coepta luce Milichus in hortos Servilianos pergit; et cum foribus arceretur, magna et atrocia adferre dictitans, deductusque ab ianitoribus ad libertum Neronis Epaphroditum, mox ab eo ad Neronem, urgens periculum, graves coniuratos et cetera, quae audierat coniectaverat, docet. Telum quoque in necem eius paratum ostendit, accirique reum *Nero* iussit. Is raptus per milites et defensionem orsus, ferrum, cuius argueretur, olim religione patria cultum et in cubiculo habitum ac fraude liberti subreptum respondit,

2 cępit usus multo *Heinsius* 5 rettuli (*sic*) asperari *G*: aspnari 6 Immucronem 8 karissimi liberta tate 10 uolneribus 11 *partiebat, idque: partiebatq; 12 milichum *G*: melicum sibe *pr* 13 suscipionibus (suspicionibus *G*) 14 tradidere, de consequentibus *Spengel, cui repugnat proximum* nam 15 saecum 16 pęcunia 17 Vt enim (et enim *G*) 19 *fortasse* ait astitisse 20 seruo 22 cępta 24 neronis et aphroditum 26 cętera audierat coniectaueratque *G*, coniectaueratue *Orelli*, aut coniectauerat *Wurm* 28 *reum Nero: reum

tabulas testamenti saepius a se et incustodita dierum observatione signatas. Pecunias et libertates servis et ante dono datas, sed ideo tunc largius, quia tenui iam re familiari et instantibus creditoribus testamento diffideret. Enimvero liberales semper epulas struxisse, vitam *amasse* amoenam et duris iudicibus parum probatam. Fomenta vulneribus nulla iussu suo, sed quia cetera palam vana obiecisset, adiungere crimen, cuius sese pariter indicem et testem faceret. Adicit dictis constantiam; incusat ultro intestabilem et consceleratum, tanta vocis ac vultus securitate, ut labaret indicium, nisi Milichum uxor admonuisset Antonium Natalem multa cum Scaevino ac secreta collocutum et esse utrosque C. Pi-
56 sonis intimos. Ergo accitur Natalis, et diversi interrogantur, quisnam is sermo, qua de re fuisset. Tum exorta suspitio, quia non congruentia responderant, inditaque vincla. Et tormentorum aspectum ac minas non tulere: prior tamen Natalis, totius conspirationis magis gnarus, simul arguendi peritior, de Pisone primum fatetur, deinde adicit Annaeum Senecam, sive internuntius inter eum Pisonemque fuit, sive ut Neronis gratiam pararet, qui infensus Senecae omnes ad eum oppri-mendum artes conquirebat. Tum cognito Natalis indicio Scaevinus quoque pari inbecillitate, an cuncta iam patefacta credens nec ullum silentii emolumentum, edidit ceteros. Ex quibus Lucanus Quintianusque et Senecio diu abnuere: post promissa inpunitate corrupti, quo tarditatem excusarent, Lucanus Aciliam matrem suam, Quintianus Glitium Gallum, Senecio Annium Pollionem, amicorum praecipuos, nomi-
57 navere. Atque interim Nero recordatus Volusii Proculi indicio Epicharim attineri, ratusque muliebre corpus impar do-

4 diffideret. eni ů liberales—struxisse. diffideret eni ů uitam 5 *amasse amoenam : hamenā 6 uolneribus 7 caetera 8 cuius sese *Acidalius* : I; sisse (= *iussisse*) 14 qua *G* : quę suspicio 15 responderat (n *retere m.*) 18 anneum, *ut plerumque* 19 sibe—sibe 20 opm̄dum 22 Inueccillitate 24 Quintianusque *L* : qntilienusque (*cf. c.* 49) 26 Aciliam *Puteolanus* : atilla (*cf. c.* 71) 27 praecipuos *G* : praecipuae 29 Epicharim *Puteolanus* : apichari (*in fine una littera erasa*)

lori, tormento dilacerari iubet. At illam non verbera, non ignes, non ira eo acrius torquentium, ne a femina sperne-rentur, pervicere, quin obiecta denegaret. Sic primus quae-stionis dies contemptus; postero cum ad eosdem cruciatus retraheretur gestamine sellae (nam dissolutis membris in-sistere nequibat), vinclo fasciae, quam pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum sellae restricto indidit cervicem et corporis pondere conisa tenuem iam spiritum expressit, clariore exemplo libertina mulier in tanta necessitate alienos ac prope ignotos protegendo, cum ingenui et viri et equites Romani senatoresque intacti tormentis carissima suorum quis-que pignorum proderent. Non enim omittebant Lucanus quo-que et Senecio et Quintianus passim conscios edere, magis magisque pavido Nerone, quamquam multiplicatis excubiis semet sepsisset. Quin et urbem, per manipulos occupatis 58
moenibus, insesso etiam mari et amne, velut in custodiam de-dit. Volitabantque per fora, per domos, rura quoque et proxi-ma municipiorum pedites equitesque, permixti Germanis, qui-bus fidebat princeps quasi externis. Continua hinc et vincta agmina trahi ac foribus hortorum adiacere. Atque ubi dicen-dam ad causam introissent, laeta tum *verba* erga coniura-tos, et fortuitus sermo, et subiti occursus, si convivium, si spectaculum simul inissent, pro crimine accipi, cum super Neronis ac Tigillini saevas percunctationes Faenius quoque Rufus violenter urgueret, nondum ab indicibus nominatus, sed quo fidem inscitiae pararet, atrox adversus socios. Idem Subrio Flavo adsistenti adnuentique, an inter ipsam cogni-tionem destringeret gladium caedemque patraret, rennuit infregitque impetum iam manum ad capulum referentis. Fuere qui prodita coniuratione, dum auditur Milichus, dum 59

1 *tormento : tormenti^{s} (s *recenti m.; vulgo* tormentis) iuuet *pr* At illam *G* : Atillam 6 fasciae *G* : fascς 8 exprexit 11 R intacti ς : intactis carissimã 13 Quintianus *L* : quintilianus 15 se-psisset *G* : sepisset 21 *laeta tum uerba erga : latatum erga (laeta-tum erga ς *et vulgo*) 22 et fort. *Walther* : ⊰ fort. (*omittit* et *vel* sed *Nipperdey;* non secreta tantum erga *pro* laetatum erga, *retento* sed *Halm,* non celatus tantum—sed *Haase*) 25 urgeret *G* 26 et *Aci-dalius* 27 asistenti 28 rennuit] *cf.* 1 76

dubitat Scaevinus, hortarentur Pisonem pergere in castra aut Rostra escendere studiaque militum et populi temptare. Si conatibus eius conscii aggregarentur, secuturos etiam integros; magnamque motae rei famam, quae plurimum in novis consiliis valeret. Nihil adversum haec Neroni provisum. Etiam fortes viros subitis terreri, nedum ille scenicus, Tigillino scilicet cum paelicibus suis comitante, arma contra cieret. Multa experiendo confieri, quae segnibus ardua videantur. Frustra silentium *eum* et fidem in tot consciorum animis et corporibus sperare; cruciatui aut praemio cuncta pervia esse. Venturos qui ipsum quoque vincirent, postremo indigna nece afficerent. Quanto laudabilius periturum, dum amplectitur rem publicam, dum auxilia libertati invocat. Miles potius deesset et plebes desereret, dum ipse maioribus, dum posteris, si vita praeriperetur, mortem adprobaret. Immotus his et paululum in publico versatus, post domi secretus, animum adversum suprema firmabat, donec manus militum adveniret, quos Nero tirones aut stipendiis recentes delegerat: nam vetus miles timebatur quamquam favore inbutus. Obiit abruptis brachiorum venis. Testamentum foedis adversus Neronem adulationibus amori uxoris dedit, quam degenerem et sola corporis forma commendatam amici matrimonio abstulerat. Nomen mulieri Atria Galla, priori marito Domitius Silus: hic patientia, illa inpudicitia Pisonis infamiam pro-
60 pagavere. Proximam necem Plautii Laterani [consulis designati] Nero adiungit, adeo propere, ut non complecti liberos, non illud breve mortis arbitrium permitteret. Raptus in locum servilibus poenis sepositum manu Statii tribuni trucidatur, plenus constantis silentii nec tribuno obiciens eandem conscientiam.

Sequitur caedes Annaei Senecae, laetissima principi, non quia coniurationis manifestum compererat, sed ut ferro grassaretur, quando venenum non processerat. Solus quippe

7 pelicibus 9 *eum *om* 10 sperari *G* 11 uincirent *G* : uincerent 13 rem .p. 18 quos *B* : qs (= *quis*) 20 fędis 22 matrimonio] *sequitur aliquid vacui spatii propter mendosam membranam* 23 mulieri *Acidalius* : mulieris 25 *[consulis designati] : consulis designati (*cf. c.* 49) 28 pęnis manus tatii

Natalis et hactenus prompsit, missum se ad aegrotum Senecam, uti viseret conquerereturque cur Pisonem aditu arceret: melius fore, si amicitiam familiari congressu exercuissent. Et respondisse Senecam sermones mutuos et crebra colloquia neutri conducere: ceterum salutem suam incolumitate Pisonis inniti. Haec ferre Gavius Silvanus [tribunus praetoriae cohortis] et, an dicta Natalis suaque responsa nosceret, percunctari Senecam iubetur. Is forte an prudens ad eum diem ex Campania remeaverat quartumque apud lapidem suburbano rure substiterat. Illo propinqua vespera tribunus venit et villam globis militum sepsit; tum ipsi cum Pompeia Paulina uxore et amicis duobus epulanti mandata imperatoris edidit. Seneca missum ad se Natalem conquestumque no- 61
mine Pisonis quod a visendo eo prohiberetur, seque rationem valetudinis et amorem quietis excusavisse respondit. Cur salutem privati hominis incolumitati suae anteferret, causam non habuisse; nec sibi promptum in adulationes ingenium. Idque nulli magis gnarum quam Neroni, qui saepius libertatem Senecae quam servitium expertus esset. Vbi haec a tribuno relata sunt Poppaea et Tigillino coram, quod erat saevienti principi intimum consiliorum, interrogat an Seneca voluntariam mortem pararet. Tum tribunus nulla pavoris signa, nihil triste in verbis eius aut vultu deprensum confirmavit. Ergo regredi et indicere mortem iubetur. Tradit Fabius Rusticus non eo quo venerat itinere reditum, sed flexisse *tribunum* ad Faenium praefectum, et expositis Caesaris iussis an obtemperaret interrogavisse, monitumque ab eo ut exequeretur, fatali omnium ignavia. Nam et Silvanus inter coniuratos erat augebatque scelera, in quorum ultionem consenserat. Voci tamen et aspectui pepercit intromisitque ad Senecam unum ex centurionibus, qui necessitatem ultimam denuntiaret. Ille interritus poscit testamenti tabulas; ac dene- 62
gante centurione conversus ad amicos, quando meritis eorum

1 adegrotum 2 aditū *pr* 3 amicitiam *G* : amicitia 5 caeterum 6 posonis Gauius *Bekker* : grauius (*cf.* c. 50 *et* 71) *[tribunus praetoriae cohortis] (*cf.* c. 50) 7 agnosceret *Ploygers* 23 deprehensum *G* 26 *tribunum : *om* (redisse tribunum *pro* reditum *Halm*) omnium

referre gratiam prohiberetur, quod unum iam et tamen pulcherrimum habeat, imaginem vitae suae relinquere testatur, cuius si memores essent, bonarum artium famam, tum constantis amicitiae *laudem* laturos. Simul lacrimas eorum modo sermone, modo intentior in modum coercentis, ad firmitudinem revocat, rogitans ubi praecepta sapientiae, ubi tot per annos meditata ratio adversum imminentia? Cui enim ignaram fuisse saevitiam Neronis? neque aliud superesse post matrem fratremque interfectos quam ut educatoris praeceptorisque necem
63 adiceret. Vbi haec atque talia velut in commune disseruit, complectitur uxorem, et paululum adversus praesentem fortitudinem mollitus rogat oratque, temperaret dolori, neu aeternum susciperet, sed in contemplatione vitae per virtutem actae desiderium mariti solaciis honestis toleraret. Illa contra sibi quoque destinatam mortem adseverat, manumque percussoris exposcit. Tum Seneca gloriae eius non adversus, simul amore, ne sibi unice dilectam ad iniurias relinqueret, 'vitae' inquit 'delenimenta monstraveram tibi, tu mortis decus mavis: non invidebo exemplo. Sit huius tam fortis exitus constantia penes utrosque par, claritudinis plus in tuo fine.' Post quae eodem ictu brachia ferro exsolvunt. Seneca, quoniam senile corpus et parco victu tenuatum lenta effugia sanguini praebebat, crurum quoque et poplitum venas abrumpit. Saevisque cruciatibus defessus, ne dolore suo animum uxoris infringeret atque ipse visendo eius tormenta ad inpatientiam delaberetur, suadet in aliud cubiculum abscedere. Et novissimo quoque momento suppeditante eloquentia, advocatis scriptoribus pleraque tradidit, quae in vulgus edita eius ver-
64 bis invertere supersedeo. At Nero nullo in Paulinam proprio odio, ac ne glisceret invidia crudelitatis, iubet inhiberi mortem. Hortantibus militibus servi libertique obligant brachia, premunt sanguinem, incertum an ignarae. Nam, ut est vulgus

3 tum *Muretus* : tā 4 *laudem laturos : laturos 5 intetior 7 imminentiā *pr* 8 aliut post *G* : qua 11 formidinem ς 12 dolori, neu *Heinsius* : dolorem (dolori, ne ς, dolorem — suscipere *Gronovius*) 22 parco uictu] *antiquis his a recenti m. inductum* paruo ictu effugias 29 supersideo 30 iubet inhiberi *Heinsius* : inhiberi (inhibere *It*; inhiberi mortem imperat ς)

ad deteriora promptum, non defuere qui crederent, donec inplacabilem Neronem timuerit, famam sociatae cum marito mortis petivisse, deinde oblata mitiore spe blandimentis vitae evictam; cui addidit paucos postea annos, laudabili in maritum memoria et ore ac membris in eum pallorem albentibus, ut ostentui esset multum vitalis spiritus egestum. Seneca interim, durante tractu et lentitudine mortis, Statium Annaeum, diu sibi et amicitiae fide et arte medicinae probatum, orat provisum pridem venenum, quo damnati publico Atheniensium iudicio extinguerentur, promeret; adlatumque hausit frustra, frigidus iam artus et cluso corpore adversum vim veneni. Postremo stagnum calidae aquae introiit, respergens proximos servorum addita voce, libare se liquorem illum Iovi liberatori. Exim balneo inlatus et vapore eius exanimatus sine ullo funeris sollemni crematur. Ita codicillis praescripserat, cum etiam tum praedives et praepotens supremis suis consuleret. Fama fuit Subrium Flavum cum centurionibus 65
occulto consilio, neque tamen ignorante Seneca, destinavisse, ut post occisum opera Pisonis Neronem Piso quoque interficeretur tradereturque imperium Senecae, quasi *ex* insontibus claritudine virtutum ad summum fastigium delecto. Quin et verba Flavi vulgabantur, non referre dedecoris, si citharoedus demoveretur et tragoedus succederet, quia ut Nero cithara, ita Piso tragico ornatu canebat.

Ceterum militaris quoque conspiratio non ultra fefellit, 66
accensis indicibus ad prodendum Faenium Rufum, quem eundem conscium et inquisitorem non tolerabant. Ergo instanti minitantique renidens Scaevinus neminem ait plura scire quam ipsum, hortaturque ultro redderet tam bono principi vicem. Non vox adversum ea [Faenius], non silentium, sed verba sua praepediens et pavoris manifestus, ceterisque et maxime Cervario Proculo [equite Romano]

1 promptūs 2 famam sociatae *Puteolanus*: fama societatem 8 et *ante* amicitiae *Muretus*: *om* 9 quo damnati *G*: qd (= *quod*) anti 14 ex Im 15 solle⁹ni (= *sollemni; sic*) 17 flauiū, *mox* flauii (*cf. ad c.* 49) 20 *quasi ex*: quasi 22 dedecoris *Heinsius*: dedecori 26 accensis *L*: accensis quoque 30 *[Faenius]: faenius (fenio *G*) 32 *[equite Romano]: eqt (= *equite r.; cf. c.* 50)

ad convincendum eum conisis, iussu imperatoris a Cassio milite, qui ob insigne corporis robur adstabat, corripitur vin-
67 citurque. Mox eorundem indicio Subrius Flavus tribunus pervertitur, primo dissimilitudinem morum ad defensionem trahens, neque se armatum cum inermibus et effeminatis tantum facinus consociaturum; dein, postquam urgebatur, confessionis gloriam amplexus. Interrogatusque a Nerone, quibus causis ad oblivionem sacramenti processisset, 'oderam te' inquit, 'nec quisquam tibi fidelior militum fuit, dum amari meruisti. Odisse coepi, postquam parricida matris et uxoris, auriga et histrio et incendiarius extitisti.' Ipsa rettuli verba, quia non, ut Senecae, vulgata erant, nec minus nosci decebat militaris viri sensus incomptos et validos. Nihil in illa coniuratione gravius auribus Neronis accidisse constitit, qui ut faciendis sceleribus promptus, ita audiendi quae faceret insolens erat. Poena Flavi Veianio Nigro tribuno mandatur. Is proximo in agro scrobem effodi iussit, quam visam Flavus ut humilem et angustam increpans, circumstantibus militibus, 'ne hoc quidem' inquit 'ex disciplina.' Admonitusque fortiter protendere cervicem, 'utinam' ait 'tu tam fortiter ferias.' Et ille multum tremens, cum vix duobus ictibus caput amputavisset, saevitiam apud Neronem
68 iactavit, sesquiplaga interfectum a se dicendo. Proximum constantiae exemplum Sulpicius Asper centurio praebuit, percunctanti Neroni, cur in caedem suam conspiravisset, breviter respondens non aliter tot flagitiis eius subveniri potuisse. Tum iussam poenam subiit. Nec ceteri centuriones in perpetiendis suppliciis degeneravere: at non Faenio Rufo par animus, sed lamentationes suas etiam in testamentum contulit.

Opperiebatur Nero, ut Vestinus quoque consul in crimina traheretur, violentum et infensum ratus: sed ex coniuratis consilia cum Vestino non miscuerant, quidam vetustis

1 iussū 10 cępi 12 uolgata 16 pœna, *c.* 68 pœnam 18 quam uisam *Walther*: quamuis (qua uisa *Freinsheim*, quam *Pichena*) 27 cęteri, *mox* cęterum 31 *crimina traheretur: crim̄ atraheretur (crimen traheretur *G*)

in eum simultatibus, plures, quia praecipitem et insociabilem credebant. Ceterum Neroni odium adversus Vestinum ex intima sodalitate coeperat, dum hic ignaviam principis penitus cognitam despicit, ille ferociam amici metuit, saepe asperis facetiis inlusus, quae ubi multum ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt. Accesserat repens causa, quod Vestinus Statiliam Messalinam matrimonio sibi iunxerat. haut nescius inter adulteros eius et Caesarem esse. Igitur 69
non crimine, non accusatore existente, quia ipse speciem iudicis induere non poterat, ad vim dominationis conversus .. Gerellanum tribunum cum cohorte militum inmittit, iubetque praevenire conatus consulis, occupare velut arcem eius, opprimere delectam iuventutem, quia Vestinus imminentes foro aedes decoraque servitia et pari aetate habebat. Cuncta eo die munia consulis impleverat conviviumque celebrabat, nihil metuens an dissimulando metum. cum ingressi milites vocari eum a tribuno dixere. Ille nihil demoratus exsurgit, et omnia simul properantur: clauditur cubiculo, praesto est medicus, abscinduntur venae, vigens adhuc balneo infertur, calida aqua superfusa mersatur, nulla edita voce qua semet miseraretur. Circumdati interim custodia qui simul discubuerant, nec nisi provecta nocte omissi sunt, postquam pavorem eorum, ex mensa exitium opperientium, et imaginatus et inridens Nero satis supplicii luisse ait pro epulis consularibus.

Exim Annaei Lucani caedem imperat. Is profluente 70
sanguine ubi frigescere pedes manusque et paulatim ab extremis cedere spiritum fervido adhuc et compote mentis pectore intellegit, recordatus carmen a se compositum, quo vulneratum militem per eiusmodi mortis imaginem obisse

2 ex Inima sodiali ate ceperat 3 penitus 7 Iuncxerat 8 aut *pr* 9 *ipse speciem : ispeciem (speciem *vulgo*) 10 iudicis ς : Indiciis induere *superposito rec. m.* adiungere 11 ..* Gerellanum : gerellanum (*videtur fuisse* C. Gerellanum) 12 occupare *Puteolanus* : occuparet 14 decora quę 16 celebrabat *G* : celebrat *metum : metu 20 ualneo *superfusa : ūsa (*debuit* s̄fusa) 23 ex mensa *Franc. Medici apud Pichenam* : et mēnsae 26 *Exim Annaei : Ex Immane na et (*sic*; exin M. Annaei *R*) 29 carmena ase *pr* 30 uolneratum

tradiderat, versus ipsos rettulit, eaque illi suprema vox fuit. Senecio posthac et Quintianus et Scaevinus non ex priore vitae mollitia, mox reliqui coniuratorum periere, nullo facto dictove memorando.

71 Sed compleri interim urbs funeribus, Capitolium victimis; alius filio, fratre alius aut propinquo aut amico interfectis, agere grates deis, ornare lauru domum, genua ipsius advolvi et dextram osculis fatigare. Atque ille gaudium id credens Antonii Natalis et Cervarii Proculi festinata indicia inpunitate remuneratur. Milichus praemiis ditatus conservatoris sibi nomen, Graeco eius rei vocabulo, adsumpsit. E tribunis Gavius Silvanus, quamvis absolutus, sua manu cecidit; Statius Proximus veniam, quam ab imperatore acceperat, vanitate exitus corrupit. Exuti dehinc tribunatu.. Pompeius, Cornelius Martialis, Flavius Nepos, Statius Domitius, quasi principem non quidem odissent, sed tamen existimarentur. Novio Prisco per amicitiam Senecae, et Glitio Gallo atque Annio Pollioni infamatis magis quam convictis data exilia. Priscum Artoria Flaccilla coniux comitata est, Gallum Egnatia Maximilla, magnis primum et integris opibus, post ademptis, quae utraque gloriam eius auxere. Pellitur et Rufrius Crispinus occasione coniurationis, sed Neroni invisus, quod Poppaeam quondam matrimonio tenuerat. Verginium Flavum et Musonium Rufum claritudo nominis expulit: nam Verginius studia iuvenum eloquentia, Musonius praeceptis sapientiae fovebat. Cluvidieno Quieto, Iulio Agrippae, Blitio Catulino, Petronio Prisco, Iulio Altino, velut in agmen et numerum, Aegaei maris insulae permittuntur. At Caedicia, uxor Scaevini, et Caesennius Maximus Italia prohibentur, reos fuisse se tantum poena experti. Acilia, mater Annaei Lucani, sine absolutione, sine supplicio dissimulata.

2 Quintianus *L* : quintilianus 8 osculis *Puteolanus* : oculis oculis 12 çecidit 15 ..*Pompeius : pompeius 16 existimarentur *R* : extimarentur 19 decreta exilia *Bezzenberger* (*verbum* data *clementiam notat; cf.* 16 33) comitate est 20 Egnatia *G* : et gnatia 24 Flauum et Musonium *Walther* : *om* 27 uelud 28 egei 29 Caedicia *Orelli* : cadicia Caesonius *L fretus Martiale* 7 44 30 pena 31 absolutione, sine *L* : absolutiones in

Quibus perpetratis Neroni et contione militum habita, 72
bina nummum milia viritim manipularibus divisit addiditque sine pretio frumentum, quo ante ex modo annonae utebantur. Tum, quasi gesta bello expositurus, vocat senatum et triumphale decus Petronio Turpiliano consulari, Cocceio Nervae, praetori designato, Tigillino, praefecto praetorii, tribuit, Tigillinum et Nervam ita extollens, ut super triumphales in foro imagines apud Palatium quoque effigies eorum sisteret. Consularia insignia Nymphidio *Sabino*. *De Nymphidio*, quando nunc primum oblatus est, pauca repetam: nam et ipse pars Romanarum cladium erit. Igitur matre libertina ortus, quae corpus decorum inter servos libertosque principum vulgaverat, ex C. Caesare se genitum ferebat, quoniam forte quadam habitu procerus et torvo vultu erat, sive C. Caesar, scortorum quoque cupiens, etiam matri eius illusit. Sed 73
Nero, vocato *iterum* senatu, oratione inter patres habita, edictum apud populum et collata in libros indicia confessionesque damnatorum adiunxit. Etenim crebro vulgi rumore lacerabatur, tamquam *industres* viros et insontes ob invidiam aut metum extinxisset. Ceterum coeptam adultamque et revictam coniurationem neque tunc dubitavere quibus verum noscendi cura erat, et fatentur qui post interitum Neronis in urbem regressi sunt. At in senatu cunctis, ut cuique plurimum maeroris, in adulationem demissis, Iunium Gallionem, Senecae fratris morte pavidum et pro sua incolumitate supplicem, increpuit Salienus Clemens, hostem et parricidam vocans, donec consensu patrum deterritus est, ne publicis malis abuti ad occasionem privati odii videretur, neu composita aut obliterata mansuetudine principis novam ad saevitiam retraheret.

Tum decreta dona et grates deis [decernuntur], pro- 74

1 *Neroni : nero 5 Turpiliano *Vertranius* : turpiano (*cf.* 14 29) 9 *Nymphidio Sabino. De Nymphidio, quando nunc : nymphidio. quannc (*sic*) 10 ipse *G* : ipsa 16 *uocato iterum : uocato 18 dampnatorum adiuncxit 19 *inlustres uiros : uiros (*cf.* 11 36, 16 16, *etiam* 12 22; *Agricola* uiros claros, *Faernus* claros uiros) 20 exstincxisset ceptam 24 demissis *Puteolanus* : dimissis 28 compositā aut obliteratā mansuetudinē : *emend. L* 31 [decernuntur] *Freinsheim* (decreta *deleri* coluit *Gronovius*)

priusque honos Soli, cui est vetus aedes apud circum, in quo facinus parabatur, qui occulta coniurationis *suo* numine retexisset; utque circensium Cerialium ludicrum pluribus equorum cursibus celebraretur mensisque Aprilis Neronis cognomentum acciperet; templum Saluti extrueretur eo loci, ex quo Scaevinus ferrum prompserat. Ipse eum pugionem apud Capitolium sacravit inscripsitque Iovi Vindici. Id in praesens haud animadversum post arma Iulii Vindicis ad auspicium et praesagium futurae ultionis trahebatur. Reperio in commentariis senatus Cerialem Anicium, consulem designatum, pro sententia dixisse, ut templum divo Neroni quam maturrime publica pecunia poneretur. Quod quidem ille decernebat tamquam mortale fastigium egresso et venerationem iam hominum merito, quorundam.....ad omen ac dolum sui exitus verteretur: nam deum honor principi non ante habetur quam agere inter homines desierit.

1 uetus 2 *suo numine : numine 3 circensium cerealium *G* : ciracensium cerialium 4 celebraretur 7 id in *Freinshemium* : in 9 Reperio 13 *uenerationem iam : ueneratio itē (uenerationem *R*) 14 *quorundam.....ad omen ac dolum : quorundā ad omīa dolum (*expleo* quorundam admonitu Nero prohibebat, ne donum ad *cet.*; omen ac dolum *R*) 15 dñ 16 desierit. Corneli taciti expt Liber XV. Inciꝑ liber XVI.

LIBER XVI.

BREVIARIVM. C. 1—12 Anni sexagesimi quinti res ad tradendum reliquas exequi pergit narrator. Neroni fortuna illudit per vanitatem ipsius et promissa Caesellii Bassi, qui thesauros a se in Africa reclusos iactat et Caesarem inducit ut praedam partam navibus avehere iubeat (1—3). In lustrali certamine Nero carmen in scena recitat, dein citharoedus in theatrum progreditur. Inter quae plures periculum incurrunt, in iis Vespasianus, tamquam somno coniveret, sed meliorum precibus protectus est (4—5). Poppaea moritur; C. Cassius, vir illustris et probus, in exilium mittitur, L. Silanus in Apulia necatur (6—9). L. Vetus, simul filia eius et socrus evertuntur; peractis caedibus ludibria (10—12). Tot facinoribus foedum annum etiam tempestatibus et morbis insignem di fecerunt (13).

C. 14—35. Annus a Ch. 66, Neronis principis 13, qui frenis exolutus ad extrema facinorum et infamiae prorupit, ad deterrima sociis Tigillino et Helio. P Anteius et Ostorius Scapula vanis criminibus delati et interfecti (14—15). Scriptoris continuas caedes et patientiam servilem narrantis excusatio (16). Paucos intra dies eodem agmine cadunt viri nobiles Mela, Cerialis, Petronius, Crispinus (17). De Petronio curatius expositum. Minucius Thermus praetorius ob simultates Tigillini exitio traditus (18—20). Trucidatis tot insignibus viris ad postremum virtutem ipsam excindere Nero concupivit interfecto Paeto Thrasea, lumine Romani orbis, et Barea Sorano cum filia pia et innoxia, quorum accusationes insigni cum scribentis motu narrantur (21—35). Verum antequam extremas hominum insignium necessitates tradendo absolvit et reliqua Neronis facinora et dedecora adiunxit, ipsum transversa incurrit fortuna posterisque proximi biennii historiam, totius operis florem, huic libro et subsequentibus duobus, ut videtur, insertum, invidit. Anno proximo consulatum gesserunt L. Fonteius Capito et C. Iulius Rufus, altero C. Silius Italicus et M. Galerius Trachalus. Eo anno (68) quintum idus Iunias se ipsum occidere Nero coactus est.

Inlusit dehinc Neroni fortuna per vanitatem ipsius et 1
promissa Caesellii Bassi, qui origine Poenus, mente turbida, nocturnae quietis imaginem ad spem haud dubiae rei traxit; vectusque Romam, principis aditum emercatus, ex-
5 promit repertum in agro suo specum altitudine inmensa, quo magna vis auri contineretur, non in formam pecuniae, sed rudi et antiquo pondere. Lateres quippe praegraves iacere, astantibus parte alia columnis; quae per tantum aevi occulta augendis praesentibus bonis. Ceterum, ut coniectura
10 demonstrabat, Dido Phoenissam, Tyro profugam, condita

1 Neroni *G* : NERONIS *(usque ad* FORTVNA *unciales habet)* 2 cęselli (Cesellii *B*) origine plenus turuida *pr* 3 dubiae rei traxit *Doederlein* : dubie retraxit (e *in* dubie *in rasura*) 4 ac principis *potius* 5 agros *pr* 8 asstantibus 9 cęterum 10 demonstrabat *Halm* : demonstrat fenissam

Carthagine illas opes abdidisse, ne novus populus nimia pecunia lasciviret, aut reges Numidarum, et alia infensi,
2 cupidine auri ad bellum accenderentur. Igitur Nero, non auctoris, non ipsius negotii fide satis spectata, nec missis [visoribus] per quos nosceret an vera adferrentur, auget ultro rumorem mittitque qui velut partam praedam adveherent. Dantur triremes et delectum remigium iuvandae festinationi. Nec aliud per illos dies populus credulitate, prudentes diversa fama tulere. Ac forte quinquennale ludicrum secundo lustro celebrabatur, [ab oratoribus] oratoribusque praecipua materia in laudem principis adsumpta est. Non enim solitas tantum fruges, nec confusum metallis aurum gigni, sed nova ubertate provenire *e* terra, et obvias opes deferre deos, quaeque alia summa facundia nec minore adulatione servilia fingebant, securi de facilitate credentis.
3 Gliscebat interim luxuria spe inani, consumebanturque veteres opes quasi oblatis quas multos per annos *princeps* prodigeret. Quin et inde iam largiebatur; et divitiarum expectatio inter causas paupertatis publicae erat. Nam Bassus, effosso agro suo latisque circum arvis, dum hunc vel illum locum promissi specus adseverat, sequunturque non modo milites sed populus agrestium efficiendo operi adsumptus, tandem posita vecordia, non falsa antea somnia sua, seque tunc primum elusum admirans, pudorem et metum morte voluntaria effugit. Quidam vinctum ac mox dimissum tradidere ademptis bonis in locum regiae gazae.

4 Interea senatus, propinquo iam lustrali certamine, ut dedecus averteret, offert imperatori victoriam cantus adicitque facundiae coronam, qua ludicra deformitas velaretur. Sed Nero nihil ambitu nec potestate senatus opus esse dicti-

1 cartagine 2 pęcunia *alia : alias 4 missis *Ernesti* : missis uisoribus 5 adferre rentur 6 paratam *Acidalius* : partam iam *Heinsius* 7 remigium *Boxhorn* : nauigiū 8 prudentes *Boxhorn* : ꝑdentis 10 celebrabatur *Puteolanus* : celebratur *[ab oratoribus] oratoribusque : auaratoribus oratoribusque (ab oratoribusque *Baiter*) 13 *e terra : terrā 14 minore *G* : minores 15 *fortasse* seruili aīo, *h. e.* seruili animo 17 *princeps prodigeret : prodigeret 24 ammirans 28 Offrt

tans, se aequum adversum aemulos, et religione iudicum meritam laudem adsecuturum, primo carmen in scena recitat; mox flagitante vulgo ut omnia studia sua publicaret (haec enim verba dixere), ingreditur theatrum, cunctis citharae legibus obtemperans, ne fessus resideret, ne sudorem nisi ea quam indutui gerebat veste detergeret, ut nulla oris aut narium excrementa viserentur. Postremo flexus genu et coetum illum manu veneratus sententias iudicum opperiebatur ficto pavore. Et plebs quidem urbis, histrionum quoque gestus iuvare solita, personabat certis modis plausuque composito. Crederes laetari, ac fortasse laetabantur per incuriam publici flagitii. Sed qui remotis e municipiis severaque adhuc 5 et antiqui moris retinente Italia, quique per longinquas provincias lascivia inexperti officio legationum aut privata utilitate advenerant, neque aspectum illum tolerare neque labori inhonesto sufficere, cum manibus nesciis fatiscerent, turbarent gnaros ac saepe a militibus verberarentur, qui per cuneos stabant, ne quod temporis momentum inpari clamore aut silentio segni praeteriret. Constitit plerosque equitum, dum per angustias aditus et ingruentem multitudinem enituntur, obtritos, et alios, dum diem noctemque sedilibus continuant, morbo exitiabili correptos. Quippe gravior inerat metus, si spectaculo defuissent, multis palam et pluribus occultis, ut nomina ac vultus, alacritatem tristitiamque coeuntium scrutarentur. Vnde tenuioribus statim inrogata supplicia, adversum illustres dissimulatum ad praesens et mox redditum odium. Ferebantque Vespasianum, tamquam somno conniveret, a Phoebo liberto increpitum aegreque meliorum precibus obtectum, mox imminentem pernutiem maiore fato effugisse.

Post finem ludicri Poppaea mortem obiit, fortuita ma- 6
riti iracundia, a quo gravida ictu calcis afflicta est. Neque enim venenum crediderim, quamvis quidam scriptores tra-

1 *fortasse* aemulos esse, et 7 uiserentur *Putcolanus* : uiserent 8 cętum 11 incuriam *Acidalius* : iniuriam 12 seueraque—retinente Italia *Agricola* : seueramque — retinentes italiam 13 longinquas *Muretus et Pichena* : lonquas 14 lasciuia inexperti *Otto* : lasciuiā expti (lasciuiae inexperti *Puteolanus*) 15 labori *R* : labore 19 consistit 23 ocultis 24 uoltis (*sic*) 28 phebo 29 *pernutiem : pmitiē

dant, odio magis quam ex fide: quippe liberorum cupiens et amori uxoris obnoxius erat. Corpus non igni abolitum, ut Romanus mos, sed regum externorum consuetudine differtum odoribus conditur tumuloque Iuliorum infertur. Ductae tamen publicae exequiae, laudavitque ipse apud Rostra formam eius et quod divinae infantis parens fuisset aliaque fortunae munera pro virtutibus.

7 Mortem Poppaeae ut palam tristem, ita recordantibus laetam ob inpudicitiam eius saevitiamque, nova insuper invidia Nero complevit prohibendo C. Cassium officio exequiarum, quod primum indicium mali. Neque in longum dilatum est, sed *L.* Silanus additur, nullo crimine, nisi quod Cassius opibus vetustis et gravitate morum, Silanus claritudine generis et modesta iuventa praecellebant. Igitur missa ad senatum oratione removendos a re publica utrosque diseruit, obiectavitque Cassio quod inter imagines maiorum etiam C. Cassii effigiem coluisset, ita inscriptam 'duci partium': quippe semina belli civilis et defectionem a domo Caesarum quaesita. Ac ne memoria tantum infensi nominis ad discordias uteretur, adsumpsisse L. Silanum, iuvenem
8 genere nobilem, animo praeruptum, quem novis rebus ostentaret. Ipsum dehinc Silanum increpuit isdem quibus patruum eius Torquatum, tamquam disponeret iam imperii curas praeficeretque rationibus et libellis et epistulis libertos, inania simul et falsa: nam Silanus intentior metu et exitio patrui ad praecavendum exterritus erat. Inducit posthac vocabulo indicum, qui in Lepidam, Cassii uxorem, Silani amitam, incestum cum fratris filio et diros sacrorum ritus confingerent. Trahebantur ut conscii Vulcatius Tertullinus ac Marcellus Cornelius, senatores, et Calpurnius Fabatus, eques Romanus; qui appellato principe instantem damnationem frustrati, mox Neronem circa summa scelera distentum quasi minores evasere.
9 Tunc consulto senatus Cassio et Silano exilia decernuntur:

11 dilatus *Acidalius* 12 *L : *om* 15 a re .p. *G* : arę publicas (s *induxit rec. m.*) 17 cassi 19 *quaesita : quaesitam ac ne *Farnus* : ac 25 Intetior exitio *G* : etio 29 uolcacius (*cf. H.* 4 9) Tertullinus *L* : tullinus (*pro* t̄tullinus) 33 senatus ς : senatu.

de Lepida Caesar statueret. Deportatusque in insulam Sardiniam Cassius, et senectus eius expectabatur. Silanus, tamquam Naxum deveheretur, Ostiam amotus; post municipio Apuliae, cui nomen Barium est, clauditur. Illic indignissimum casum sapienter tolerans a centurione ad caedem misso corripitur; suadentique venas abrumpere, animum quidem morti destinatum ait, sed non se remittere percussori gloriam ministerii. At centurio quamvis inermem, praevalidum tamen et irae quam timori propiorem cernens, prendi a militibus iubet. Nec omisit Silanus obniti et intendere ictus, quantum manibus nudis valebat, donec a centurione vulneribus adversis tamquam in pugna caderet.

Haud minus prompte L. Vetus socrusque eius Sextia 10
et Pollitta filia necem subiere, invisi principi, tamquam vivendo exprobrarent interfectum esse Rubellium Plautum, generum Lucii Veteris. Sed initium detegendae saevitiae praebuit interversis patroni rebus ad accusandum transgrediens Fortunatus libertus, adscito Claudio Demiano, quem ob flagitia vinctum a Vetere, Asiae pro consule, exsolvit Nero in praemium accusationis. Quod ubi cognitum reo, seque et libertum pari sorte componi, Formianos in agros digreditur. Illic eum milites occulta custodia circumdant. Aderat filia, super ingruens periculum longo dolore atrox, ex quo percussores Plauti, mariti sui, viderat; cruentamque cervicem eius amplexa servabat sanguinem et vestes respersas, vidua inpexa, luctu continuo, nec ullis alimentis nisi quae mortem arcerent. Tum hortante patre Neapolim pergit. Et quia aditu Neronis prohibebatur, egressus obsidens, audiret insontem neve consulatus sui quondam collegam dederet liberto, modo muliebri eiulatu, aliquando sexum egressa voce infensa clamitabat, donec princeps inmobilem se precibus et invidiae iuxta ostendit. Ergo nuntiat patri abicere spem et uti ne- 11

2 senectus *Fr. Medici*: senatus 3 Ostiam *L*: ostia 5 caede 7 *se remittere: pemittere *pr*, remittere *corr* (praecipere *Facrnus*) 9 *prendi: p̃mi (*cf. hoc* p̃mi [illegible] 14 Pollitta *Nipperdey*: polutia inuisi [illegible] : uincendo 16 luci ueteris 19 [illegible] 30 mulieri heIulatu

cessitate: simul affertur parari cognitionem senatus et trucem sententiam. Nec defuere qui monerent magna ex parte heredem Caesarem nuncupare atque ita nepotibus de reliquo consulere. Quod aspernatus, ne vitam proxime libertatem actam novissimo servitio foedaret, largitur in servos quantum aderat pecuniae; et si qua asportari possent, sibi quemque deducere, tris modo lectulos ad suprema retineri iubet. Tunc eodem in cubiculo, eodem ferro abscindunt venas, properique et singulis vestibus ad verecundiam velati balineis inferuntur, pater filiam, avia neptem, illa utrosque intuens, et certatim precantes labenti animae celerem exitum, ut relinquerent suos superstites et morituros. Servavitque ordinem fortuna, ac seniores prius, tum cui prima aetas extinguuntur. Accusati post sepulturam decretumque ut more maiorum punirentur. Et Nero intercessit, mortem sine arbitro permittens. Ea caedibus peractis ludibria adiciebantur.

12 P. Gallus, eques Romanus, quod Faenio Rufo intimus et Veteri non alienus fuerat, aqua atque igni prohibitus est. Liberto et accusatori praemium operae locus in theatro inter viatores tribunicios datur. Et mensis, qui Aprilem eundemque Neroneum sequebatur, [Maius] Claudii, Iunius Germanici vocabulis mutantur, testificante Cornelio Orfito, qui id censuerat, ideo Iunium mensem transmissum, quia duo iam Torquati ob scelera interfecti infaustum nomen Iunium fecissent.

13 Tot facinoribus foedum annum etiam dei tempestatibus et morbis insignivere. Vastata Campania turbine ventorum, qui villas arbusta fruges passim disiecit pertulitque violentiam ad vicina urbi; in qua omne mortalium genus vis pestilentiae depopulabatur, nulla caeli intemperie, quae occurreret oculis. Sed domus corporibus exanimis, itinera funeribus complebantur; non sexus, non aetas periculo vacua; servitia perinde et ingenua plebes raptim extingui, inter coniugum et liberorum lamenta, qui dum adsident, dum deflent, saepe

5 fedaret 10 pater iliam 11 relinquerent *G*: relinqueret 13 seniores *Acidalius*: seniore exti|guntur 17 fenio 21 sequebantur *Nipperdey* *[Maius] 23 Iunium *L*: iunctum 26 fędū mannū *dei: dii 29 uicina ς: uienia 30 occurreret *Puteolanus*: occurret

eodem rogo cremabantur. Equitum senatorumque interitus, quamvis promiscui, minus flebiles erant, tamquam communi mortalitate saevitiam principis praevenirent.

Eodem anno dilectus per Galliam Narbonensem Africamque et Asiam habiti sunt supplendis Illyrici legionibus, ex quibus aetate aut valetudine fessi sacramento solvebantur. Cladem Lugdunensem quadragies sestertio solatus est princeps, ut amissa urbi reponerent; quam pecuniam Lugdunenses ante obtulerant urbis casibus.

C. Suetonio Luccio Telesino consulibus Antistius Sosianus, factitatis in Neronem carminibus probrosis exilio, ut dixi, multatus, postquam id honoris indicibus tamque promptum ad caedes principem accepit, inquies animo et occasionum haud segnis Pammenem, eiusdem loci exulem et Chaldaeorum arte famosum eoque multorum amicitiis innexum, similitudine fortunae sibi conciliat. Ventitare ad eum nuntios et consultationes non frustra ratus, simul annuam pecuniam a P. Anteio ministrari cognoscit. Neque nescium habebat Anteium caritate Agrippinae invisum Neroni, opesque eius praecipuas ad eliciendam cupidinem, eamque causam multis exitio esse. Igitur interceptis Antei litteris, furatus etiam libellos, quibus dies genitalis eius et eventura secretis Pammenis occultabantur, simul repertis quae de ortu vitaque Ostorii Scapulae composita erant, scribit ad principem magna se et quae incolumitati eius conducerent adlaturum, si brevem exilii veniam inpetravisset: quippe Anteium et Ostorium imminere rebus *Romanis*, et sua Caesarisque fata scrutari. Exim missae liburnicae advehiturque propere Sosianus. Ac vulgato eius indicio inter damnatos magis quam inter reos Anteius Ostoriusque habebantur, adeo ut testamentum Antei nemo obsignaret, nisi Tigillinus auctor extitisset, monito prius Anteio ne supremas tabulas morarctur. Atque ille hausto

14 P. Ch. 66

5 asyam Illyrici *Puteolanus* : illiricis 7 sextertio 9 urbis *Furia* : turbis 10 Luccio *Ryck* : L. cos. 14 chaldeorum 15 innexum *Freinshem, non L* : Innixum 17 simul an annuam 18 P. Anteio *G* : panteIo 21 antegi *pr*, anteii *corr* 24 scribita ad 25 incolumitati *G* : Incolumitatis 27 *rebus Romanis : rebus 28 ex Immissae 31 monito *Agricola et Acidalius* : monitus 32 Anteius ꝯ supp̄ma stabulas

veneno, tarditatem eius perosus intercisis venis mortem ad-
15 properavit. Ostorius longinquis in agris apud finem Ligurum
id temporis erat. Eo missus centurio, qui caedem eius matura-
ret. Causa festinandi ex eo oriebatur, quod Ostorius multa
militari fama et civicam coronam apud Britanniam meritus, 5
ingens corporis armorumque scientia, metum Neroni fece-
rat, ne invaderet pavidum semper et reperta nuper coniura-
tione magis exterritum. Igitur centurio, ubi effugia villae
clausit, iussa imperatoris Ostorio aperit. Is fortitudinem saepe
adversum hostes spectatam in se vertit; et quia venae, quam- 10
quam .. interruptae, parum sanguinis effundebant, hactenus ma-
nu servi usus, ut inmotum pugionem extolleret, adpressit
dextram eius iuguloque occurrit.

16 Etiam si bella externa et obitas pro re publica mortes
tanta casuum similitudine memorarem, meque ipsum sa- 15
tias cepisset aliorumque taedium expectarem, quamvis ho-
nestos civium exitus, tristes tamen et continuos aspernan-
tium. At nunc patientia servilis tantumque sanguinis domi
perditum fatigant animum et maestitia restringunt. Neque
aliam defensionem ab iis quibus ista noscentur exegerim, 20
quam ne oderim tam segniter pereuntes. Ira illa numinum in
res Romanas fuit, quam non, ut in cladibus exercituum aut
captivitate urbium, semel edito transire licet. Detur hoc il-
lustrium virorum posteritati, ut quomodo exequiis a pro-
miscua sepultura separantur, ita in traditione supremorum 25
17 accipiant habeantque propriam memoriam. Paucos quippe
intra dies eodem agmine Annaeus Mela, Cerialis Anicius,
Rufrius Crispinus, T. Petronius cecidere, Mela et Crispinus
equites Romani dignitate senatoria. Nam hic quondam
praefectus praetorii et consularibus insignibus donatus ac 30
nuper crimine coniurationis in Sardiniam exactus, accepto

5 brittanniã 6 *ingens corporis : ingenti corporis corporis (*librarius* ingenti—scientia *male iunxit;* ingenti corpore ς, ingenti corporis robore *B*, ingenti ui corporis *Wurm*) 7 coniurationẽ 9 iussa. In. p̃. 10 *quamquam .. : quanquã (*expleas* quamquam ui *vel* uiolenter *vel* fortiter; *Iacob* quamquam ter ruptae) 14 re p. 17 continuos ς : continuo (ex continuo *Wurm*) 20 iis *G* : his 23 captiuitatẽ 28 rufus (*cf.* 12 42) T.] ac (ac T. *Nipperdey*, [ac] T. *Haase*)

iussae mortis nuntio semet interfecit. Mela, quibus Gallio et Seneca parentibus natus, petitione honorum abstinuerat per ambitionem praeposteram, ut eques Romanus consularibus potentia aequaretur; simul adquirendae pecuniae brevius iter credebat per procurationes administrandis principis negotiis. Idem Annaeum Lucanum genuerat, grande adiumentum claritudinis. Quo interfecto dum rem familiarem eius acriter requirit, accusatorem concivit Fabium Romanum, ex intimis Lucani amicis. Mixta inter patrem filiumque coniurationis consilia finguntur, adsimilatis Lucani litteris; quas sibi inspectas Nero ferri ad eum iussit, opibus eius inhians. At Mela, quae tum promptissima mortis via, exolvit venas, scriptis codicillis quibus grandem pecuniam in Tigillinum generumque eius Cossutianum Capitonem erogabat, quo cetera manerent. Additur codicillis, tamquam de iniquitate exitii querens ita scripsisset, se quidem mori nullis supplicii causis, Rufrium autem Crispinum et Anicium Cerialem vita frui infensos principi. Quae composita credebantur de Crispino, quia interfectus erat, de Ceriale, ut interficeretur. Neque enim multo post vim sibi attulit, minore quam ceteri miseratione, quia proditam C. Caesari coniurationem ab eo meminerant. De Petronio pauca supra repetenda sunt. Nam 18
illi dies per somnum, nox officiis et oblectamentis vitae transigebatur; utque alios industria, ita hunc ignavia ad famam protulerat, habebaturque non ganeo et profligator, ut plerique sua haurientium, sed erudito luxu. Ac dicta factaque eius quanto solutiora et quandam sui neglegentiam praeferentia, tanto gratius in speciem simplicitatis accipiebantur. Pro consule tamen Bithyniae et mox consul vigentem se ac parem negotiis ostendit. Dein revolutus ad vitia, seu vitiorum imitatione, inter paucos familiarium Neroni adsumptus est, elegantiae arbiter, dum nihil amoenum et molle affluen-

2 petitionē *pr* 10 consilia *Heraeus* : scientia fingitur *Puteolanus* *quas sibi : quasi (quas ꝫ *et vulgo*) 12 exoluit 17 aũt 20 minorē caeteri 22 de *Nipperdey* : de ꝫ. (ꝫ., *h. e.* C., *repetitum ex versu priore*) 23 somnum *G* : somniū 29 ꝑcōs bithinie consulē 30 de Inrevolutus

tia putat, nisi quod ei Petronius adprobavisset. Vnde invidia Tigillini quasi adversus aemulum et scientia voluptatum potiorem. Ergo crudelitatem principis, cui ceterae libidines cedebant, adgreditur, amicitiam Scaevini Petronio obiectans, corrupto ad indicium servo ademptaque defensione et maiore
19 parte familiae in vincla rapta. Forte illis diebus Campaniam petiverat Caesar, et Cumas usque progressus Petronius illic attinebatur; nec tulit ultra timoris aut spei moras. Neque tamen praeceps vitam expulit, sed intercisas venas, *et*, ut libitum, obligatas aperire rursum, et adloqui amicos, non per seria aut quibus gloriam constantiae peteret. Audiebatque referentes, nihil de inmortalitate animae et sapientium placitis, sed levia carmina et faciles versus. Servorum alios largitione, quosdam verberibus affecit. Iniit epulas, somno indulsit, ut quamquam coacta mors fortuitae similis esset. Ne codicillis quidem, quod plerique pereuntium, Neronem aut Tigillinum aut quem alium potentium adulatus est: sed flagitia principis sub nominibus exoletorum feminarumque et novitatem cuiusque stupri perscripsit atque obsignata misit Neroni. Fregitque anulum, ne mox usui esset
20 ad facienda pericula. Ambigenti Neroni, quonam modo noctium suarum ingenia notescerent, offertur Silia, matrimonio senatoris haud ignota et ipsi ad omnem libidinem adscita ac Petronio perquam familiaris. Agitur in exilium, tamquam non siluisset quae viderat pertuleratque, proprio odio. At Minucium Thermum, praetura functum, Tigillini simultatibus dedit, quia libertus Thermi quaedam de Tigillino criminose detulerat, quae cruciatibus tormentorum ipse, patronus eius nece inmerita luere.

21 Trucidatis tot insignibus viris, ad postremum Nero virtutem ipsam excindere concupivit interfecto Thrasea Paeto et Barea Sorano, olim utrisque infensus, et accedentibus causis in Thraseam, quod senatu egressus est, cum de Agrip-

4 adcreditur 9 *intercisas : incisas (*debuit* intcisas; *cf.* 15 35, 16 14, *etiam* 16 15) 10 *et, ut : ut 15 epulas *Markland* : et uias quamquam *R* : quā 18 exsoletorum 19 nouitatem *Neue* : nouitate 22 offetur 23 aud 26 Minucium *Ryck* : municiū 27 dedit *R* : deditū 28 ipsej. atronus 29 luere *Acidalius* : lueret

pina referretur, ut memoravi, quodque iuvenalium ludicro parum et vix spectabilem operam praebuerat; eaque offensio altius penetrabat, quia idem Thrasea Patavii, unde ortus erat, ludis vetustis a Troiano Antenore institutis habitu tragico cecinerat. Die quoque, quo praetor Antistius ob probra in Neronem composita ad mortem damnabatur, mitiora censuit obtinuitque; et dum deum honores Poppaeae decernuntur, sponte absens, funeri non interfuerat. Quae obliterari non sinebat Capito Cossutianus, praeter animum ad flagitia praecipitem iniquus Thraseae, quod auctoritate eius concidisset, iuvantis Cilicum legatos, dum Capitonem repetundarum interrogant. Quin et illa obiectabat, principio anni vitare Thraseam 22
sollemne ius iurandum; nuncupationibus votorum non adesse, quamvis quindecimvirali sacerdotio praeditum; numquam pro salute principis aut caelesti voce immolavisse; adsiduum olim et indefessum, qui vulgaribus quoque patrum consultis semet fautorem aut adversarium ostenderet, triennio non introisse curiam; nuperrimeque, cum ad coercendos Silanum et Veterem certatim concurreretur, privatis potius clientium negotiis vacavisse. Secessionem iam id et partes et, si idem multi audeant, bellum esse. 'Vt quondam C. Caesarem' inquit 'et M. Catonem, ita nunc te, Nero, Thraseamque avida discordiarum civitas loquitur. Et habet sectatores vel potius satellites, qui nondum contumaciam sententiarum sed habitum vultumque eius sectantur, rigidi et tristes, quo tibi lasciviam exprobrent. Huic uni incolumitas tua sine cura, artes sine honore. Prosperas principis res spernit: etiamne luctibus et doloribus non satiatur? Eiusdem animi est Poppaeam divam non credere, cuius in acta divi Augusti et divi Iulii non iurare. Spernit religiones, abrogat leges.

1 feretur (referetur *G*) 2 *et uix spectabilem : et exspectabilem (exspectabilem ς, spectabilem *Agricola*) ofensio 3 patauiunde 4 uetustis *Seyffert* : cetastis traIano 7 dum *Heinsius* : cum dñ 8 interfuerat ς : interfuerit 12 uitare *G* : uitaret 13 sollēne adesse *G* : adesset 16 uolgaribus 18 introisse *G* : introisset 20 uocauise 22 te nero *G* : tenebo *Thraseamque : thrascā (et Thraseam *Puteolanus*) 25 uoltumque 26 quo tibi *R* : quod ibi sine cura *L* : sine 27 res spernit *G* : respernit 29 aug̃ 30 iuli religiones *G* : legiones

Diurna populi Romani per provincias, per exercitus curatius leguntur, ut noscatur quid Thrasea non fecerit. Aut transeamus ad illa instituta, si potiora sunt, aut nova cupientibus auferatur dux et auctor. Ista secta Tuberones et Favonios, veteri quoque rei publicae ingrata nomina, genuit. Vt imperium evertant, libertatem praeferunt: si perverterint, libertatem ipsam adgredientur. Frustra Cassium amovisti, si gliscere et vigere Brutorum aemulos passurus es. Denique nihil ipse de Thrasea scripseris: disceptatorem senatum nobis relinque.' Extollit ira promptum Cossutiani animum Nero
23 adicitque Marcellum Eprium, acri eloquentia. At Baream Soranum iam sibi Ostorius Sabinus, eques Romanus, popoposcerat reum ex proconsulatu Asiae, in qua offensiones principis auxit iustitia atque industria, et quia portui Ephesiorum aperiendo curam insumpserat, vimque civitatis Pergamenae, prohibentis Acratum, Caesaris libertum, statuas et picturas evehere, inultam omiserat. Sed crimini dabatur amicitia Plauti et ambitio conciliandae provinciae ad spes novas. Tempus damnationi delectum, quo Tiridates accipiendo Armeniae regno adventabat, ut versis ad externa rumoribus intestinum scelus obscuraretur, an ut magnitudinem imperatoriam caede insignium virorum quasi regio facinore *Nero*
24 ostentaret. Igitur omni civitate ad excipiendum principem spectandumque regem effusa, Thrasea occursu prohibitus non demisit animum, sed codicillos ad Neronem composuit, requirens obiecta et expurgaturum adseverans, si notitiam criminum et copiam diluendi habuisset. Eos codicillos Nero properanter accepit, spe exterritum Thraseam scripsisse per quae claritudinem principis extolleret suamque famam dehonestaret. Quod ubi non evenit, vultumque et spiritus et
25 libertatem insontis ultro extimuit, vocari patres iubet. Tum Thrasea inter proximos consultavit, temptaretne defensio-

1 PR· *(sic)* 3 Institutas 4 fabonios 5 rei .p. 6 euertant *G*: eũterant 7 amouisti *G*: admouisti 10 irae *Heinsius* 12 Ostorius Sabinus *L*: torius sauinus R̃. 13 asyae 17 euehere *Victorius*: se uehere (auehere *G*) 19 accipiendae 20 uersis *Acidalius*: *om* 22 *Nero: *om* 25 demisit *R*: dimisit 30 quod ubi non euenit *R*: quo dubie non uenit

nem an sperneret. Diversa consilia adferebantur. Quibus intrari curiam placebat, securos *se* esse de constantia eius disserunt: nihil dicturum nisi quo gloriam augeret; segnes et pavidos supremis suis secretum circumdare. Aspiceret populus virum morti obvium, audiret senatus voces quasi ex aliquo numine supra humanas: posse ipso miraculo etiam Neronem permoveri. Sin crudelitati insisteret, distingui certe apud posteros memoriam honesti exitus ab ignavia per silentium pereuntium. Contra qui opperiendum domi censebant, 26
de ipso Thrasea eadem, sed ludibria et contumelias imminere: subtraheret aures conviciis et probris. Non solum Cossutianum aut Eprium ad scelus promptos: superesse qui forsitan manus ictusque per immanitatem ingesturi sint; etiam bonos metu sequi. Detraheret potius senatui, quem perornavisset, infamiam tanti flagitii, et relinqueret incertum quid viso Thrasea reo decreturi patres fuerint. Vt Neronem flagitiorum pudor caperet, inrita spe agitari; multoque magis timendum ne in coniugem, in familiam, in cetera pignora eius saeviret. Proinde intemeratus, inpollutus, quorum vestigiis et studiis vitam duxerit, eorum gloria peteret finem. Aderat consilio Rusticus Arulenus, flagrans iuvenis, et cupidine laudis offerebat se intercessurum senatus consulto: nam plebei tribunus erat. Cohibuit spiritus eius Thrasea, ne vana et reo non profutura, intercessori exitiosa inciperet. Sibi actam aetatem, et tot per annos continuum vitae ordinem non deserendum. Illi initium magistratuum et integra quae supersint. Multum ante secum expenderet, quod tali in tempore capessendae rei publicae iter ingrederetur. Ceterum ipse, an venire in senatum deceret, meditationi suae reliquit. At postera luce duae 27
praetoriae cohortes armatae templum Genetricis Veneris insidere. Aditum senatus globus togatorum obsederat non

1 an sperneret *G* : asperneret (*sic*) 2 *se esse : esse 3 disserunt *Haase* : dixerunt gloriam ς : gloria (gloria augeretur *Halm*) 6 humanas *G* : humanos 7 si In 9 domi *G* : domui censebant *G* : censebat 11 subtraheret *Puteolanus* : subtrahere 13 ingesturi sint *Heinsius* : augusti (ausuri sint *Acidalius*) 14 detraheret *G* : detrahere quem semper ornauisset *L* 15 infamia *pr G* : Infamia 22 *plebei : plebi 27 rei .p 30 insedere *Puteolanus*

occultis gladiis, dispersique per fora ac basilicas cunei militares. Inter quorum aspectus et minas ingressi curiam senatores, et oratio principis per quaestorem eius audita est: nemine nominatim compellato patres arguebat, quod publica munia desererent, eorumque exemplo equites Romani ad segnitiam verterentur: etenim quid mirum e longinquis provinciis haud veniri, cum plerique adepti consulatum et sacerdotia hortorum potius amoenitati inservirent. Quod velut
28 telum corripuere accusatores. Et initium faciente Cossutiano, maiore vi Marcellus summam rem publicam agi clamitabat; contumacia inferiorum lenitatem imperitantis deminui. Nimium mites ad eam diem patres, qui Thraseam desciscentem, qui generum eius Helvidium Priscum in isdem furoribus, simul Paconium Agrippinum, paterni in principes odii heredem, et Curtium Montanum detestanda carmina factitantem eludere inpune sinerent. Requirere se in senatu consularem, in votis sacerdotem, in iure iurando civem, nisi contra instituta et caerimonias maiorum proditorem palam et hostem Thrasea induisset. Denique agere senatorem et principis obtrectatores protegere solitus veniret, censeret quid corrigi aut mutari vellet: facilius perlaturos singula increpantis visum quam nunc silentium perferrent omnia damnantis. Pacem illi per orbem terrae, an victorias sine damno exercituum displicere? Ne hominem bonis publicis maestum, et qui fora theatra templa pro solitudine haberet, qui minitaretur exilium suum, ambitionis pravae compotem facerent. Non illi consulta haec, non magistratus aut Romanam urbem videri. Abrumperet vitam ab ea civitate, cuius caritatem olim, nunc et aspectum exu-
29 isset. Cum per haec atque talia Marcellus, ut erat torvus ac minax, voce vultu oculis ardesceret, non illa nota et crebritate periculorum sueta iam senatus maestitia, sed novus et altior pavor manus et tela militum cernentibus. Simul ipsius Thraseae venerabilis species obversabatur; et erant

6 uerterentur *G*: uterentur 7 haud ueniri *L*: had ueniri 8 amenitati 10 maiore ui *G*: maior ęui rē .p. 13 hisdem Paconium *R*: ragonium (*cf. c.* 33) 21 *increpantis uisum: increpatiū *pr*, increpātiū *corr* (increpantem *G*) 29 ut erat *Pichena*: uteret (*cf.* 1 41) 30 uoltu crebritate *R*: celebritate 33 auenerabilis

qui Helvidium quoque miserarentur, innoxiae adfinitatis poenas daturum. Quid Agrippino obiectum nisi tristem patris fortunam? Quando et ille perinde innocens Tiberii saevitia concidisset. Enimvero Montanum, probae iuventae neque famosi *auctorem* carminis, quia protulerit ingenium, extorrem agi. Atque interim Ostorius Sabinus, Sorani accusator, 30
ingreditur orditurque de amicitia Rubellii Plauti, quodque proconsulatum Asiae Soranus pro claritate sibi potius adcommodatum quam ex utilitate communi egisset, alendo seditiones civitatium. Vetera haec: sed recens et quo discrimini patris filiam conectebat, quod pecuniam magis dilargita esset. Acciderat *id* sane pietate Serviliae (id enim nomen puellae fuit), quae caritate erga parentem, simul inprudentia aetatis, non tamen aliud consultaverat quam de incolumitate domus, et an placabilis Nero, an cognitio senatus nihil atrox adferret. Igitur accita est in senatum. Steteruntque diversi ante tribunal consulum grandis aevo parens, contra filia intra vicesimum aetatis annum, nuper marito Annio Pollione in exilium pulso viduata desolataque, ac ne patrem quidem intuens, cuius onerasse pericula videbatur. Tum interrogante accu- 31
satore, an cultus dotales, an detractum cervici monile vaenum dedisset, quo pecuniam faciendis magicis sacris contraheret, primum strata humi longoque fletu et silentio, post altaria et aram complexa, 'nullos' inquit 'impios deos, nullas devotiones, nec aliud infelicibus precibus invocavi quam ut hunc optimum patrem tu, Caesar, vos, patres, servaretis incolumem. Sic gemmas et vestes et dignitatis insignia dedi, quomodo si sanguinem et vitam poposcissent. Viderint isti, antehac mihi ignoti, quo nomine sint, quas artes exerceant: nulla mihi principis mentio nisi inter numina fuit. Nescit tamen miserrimus pater et, si crimen est, sola deliqui.' Loquentis adhuc verba excipit Soranus, proclamatque 32
non illam in provinciam secum profectam, non *Rubellio* Plauto

2 pęnas 5 *auctorem : *om* extorrē magi 6 ostorius *L* : torius sauinus 7 rubelli ꝯcos. 9 alendos editiones 10 quo *Iac. Gronovius* : quot (quod ꝙ) 11 *acciderat id : acciderat 12 sanę 14 aliut, *item c.* 31 18 exsilio *pr* 21 uenum 24 aram] *hoc non sanum videtur* 27 dedi *G* : dedit 33 *Rubellio Plauto : plautio (plauto *G*)

per aetatem nosci potuisse, non criminibus mariti conexam: nimiae tantum pietatis ream separarent, atque ipse quamcumque sortem subiret. Simul in amplexus occurrentis filiae ruebat, nisi interiecti lictores utrisque obstitissent. Mox datus testibus locus; et quantum misericordiae saevitia accusationis permoverat, tantum irae P. Egnatius testis concivit. Cliens hic Sorani, et tunc emptus ad opprimendum amicum, auctoritatem Stoicae sectae praeferebat, habitu et ore ad exprimendam imaginem honesti..et exercitus, ceterum animo perfidiosus subdolus, avaritiam ac libidinem occultans; quae postquam pecunia reclusa sunt, dedit exemplum praecavendi, quomodo fraudibus involutos aut flagitiis commaculatos, sic specie bonarum artium falsos et amicitiae
33 fallaces. Idem tamen dies et honestum exemplum tulit Cassii Asclepiodoti, qui magnitudine opum praecipuus inter Bithynos, quo obsequio florentem Soranum celebraverat, labentem non deseruit, exutusque omnibus fortunis et in exilium actus, aequitate deum *pari* erga bona malaque documenta. Thraseae Soranoque et Serviliae datur mortis arbitrium. Helvidius et Paconius Italia depelluntur. Montanus patri concessus est, praedicto ne in re publica haberetur. Accusatoribus Eprio et Cossutiano quinquagies sestertium singulis, Ostorio duode-
34 cies et quaestoria insignia tribuuntur. Tum ad Thraseam in hortis agentem quaestor consulis missus vesperascente iam die. Illustrium virorum feminarumque coetum frequentem egerat, maxime intentus Demetrio, Cynicae institutionis doctori, cum quo, ut coniectare erat intentione vultus et auditis, si qua clarius proloquebantur, de natura animae et dissociatione spiritus corporisque inquirebat, donec advenit Domitius Caecilianus, ex intimis amicis, et ei quid senatus censuisset exposuit. Igitur flentes queritantesque qui aderant

2 quãcũque 4 Interlectis 9 ..*et exercitus : et exerciti (exercitus *Agricola; fortasse* ornatus et exercitus) 15 bythinos 18 aequitatẽ dm̃ *pari erga : erga 21 re .p. ꝙprio 23 ad *G* : a 24 *malim* degentem consulis *fortasse glossa est* 25 *coetum frequentem egerat : cętus frequente egerat (coetus frequentes egerat *G et vulgo; cf.* 6 1=5 6, 16 4, *H.* 4 45) 26 intentus *G* : intentũ 28 natura *G* : naturae

facessere propere Thrasea, neu pericula sua miscere cum sorte damnati hortatur, Arriamque, temptantem mariti suprema et exemplum Arriae matris sequi, monet retinere vitam filiaeque communi subsidium unicum non adimere. Tum 35
progressus in porticum illic a quaestore reperitur, laetitiae propior, quia Helvidium, generum suum, Italia tantum arceri cognoverat. Accepto dehinc senatus consulto Helvidium et Demetrium in cubiculum inducit; porrectisque utriusque brachii venis, postquam cruorem effudit, humum super spargens, propius vocato quaestore, 'libamus' inquit 'Iovi liberatori. Specta, iuvenis; et omen quidem dei prohibeant, ceterum in ea tempora natus es, quibus firmare animum expediat constantibus exemplis.' Post lentitudine exitus graves cruciatus afferente, obversis in Demetrium.....

1 facessere *G*: facescere nec *Nipperdey* 2 hortatur *G*: hortantur 5 repperitur 6 italiā 8 prosectisque *Acidalius, fortasse* porrectisque percussori 9 brachii *G*: brachiis 10 libemus *G* iobi 11 *dei: dii 12 ceterum 14 obūsis (obuersus *Acidalius*).

CORNELII TACITI

HISTORIARVM

Libri V.

LIBER I.

BREVIARIVM. C. 1—11. Prooemium. Scribendi causa definitur et propositum (1) ac summa rerum hoc opere tradendarum exponitur (2—3), mox repetitur qualis status urbis (4—7), quae mens exercituum, quis habitus provinciarum Servio Galba iterum Tito Iunio consulibus (8—11).

C. 12—49. Imperatoris Galbae postrema. Seditio legionum e superiore Germania nuntiata maturavit consilium Galbae iam pridem de adoptione secum et cum proximis agitantis. Praelatus ceteris Piso Licinianus (12—14). Galbae ad hunc oratio et exhortatio (15—16), Pisonis moderatio (17). Adoptio in castris nuncupata apud militem donativum cupide et frustra expectantem, tum apud patres (18—19). Legati missi ad seditiosas in Germania legiones. Proxima pecuniae cura; Neronis donationes repetitae, et urbs inquieta auctionibus (20). Othonis post adoptatum Pisonem desperatio et omne in turbido consilium, stimulatus in praeceps a mathematicis et intimis libertorum servorumque. Studia militum iam ante prompta Othoni et quaesita (21—24). Is e libertis Onomastum futuro sceleri praefecit (25). Etiam legionariorum et auxiliarium qui tunc in urbe motae mentes; parata apud malos seditio, apud integros dissimulata (26). Otho ex Palatio et a sacrificante Galba digressus a consciis in castra rapitur et princeps declaratur (27—28). Quo nuntio ad Galbam perlato placuit pertemptari animum cohortis quae in Palatio stationem agebat; Pisonis ad eam oratio (29—30). Cohors non aspernata contionantem parat signa: ceteri milites ad Othonem deficiunt (31). Interim plebs adulatur Galbae, qui incertus manendumne intra domum an iratis obviam eundum (32—33). Galba speciosiora suadentibus accessit. Piso in castra praemissus, quo vix egresso vagus rumor occisum in castris Othonem, et Galba sella levatus ex Palatio progreditur (34—35). Haud dubiae in castris omnium mentes et ingens favor erga Othonem, qui oratione militem stimulat (36—38). Galba a suis desertus trucidatur ab Othonianis (39—41), tum Titus Iunius et Piso (42—43). Studia militum in novum principem, adulatio patrum (44—45). Omnia militum arbitrio acta. Vacationum pretia exoluta ab Othone. Interfectus Laco, item Icelus (46). Novissimum malorum laetitia; Othoni a senatu omnes principum honores decreti. Corpora caesorum sepulturae conceduntur (47). Extrema de Pisone et Iunio (48) et Galba (49).

C. 50—90. Vitellii in Germania defectio et belli civilis apparatus. In urbe animorum motus audita defectione Germanica (50). Initia causaeque motus Vitelliani (51—58). Vitellio a Germanicis legionibus in imperium ascito adiungitur Gallia Belgica et Lugdunensis, etiam Raeticae copiae, nec in Britannia dubitatum (59—60). Vitellius viribus opibusque ingens duos duces, duo itinera bello destinat. Fabius Valens per Gallias sumpto itinere Cottianis Alpibus in Italiam irrumpere, Caecina propiore transitu Poeninis degredi iussus. Illi non sine multo sanguine et praeda ad Alpes perveniunt et Caecina suum militem traducit (61—69). Otho contra spem omnium belli paratus impigre providet, cuncta ad decorem imperii componit. Celso salutem donat et inter duces belli deligit, Sophonium Tigillinum supplicio ulciscitur (71—72), sed Calvia Crispinilla meritas poenas subterfugit (73). Epistulae inter Othonem et Vitellium, stulta utrimque et indecora simula-

tione, et alia temptata pacis causa (74—75). Illyrici exercitus Othonis partes secuti, mox Iudaicae et Syriae legiones, etiam Aegyptus et Africa (76). In urbe res ordinatae ab Othone, exteris nova iura concessa, nonnulla Romae indecore admissa (77—78). Rhoxolani qui ad Moesiam usque irruperant caesi aut repulsi in paludes (79). Romae tumultus militum senatores ad caedem deposcentium a principe aegre sedatur (80—84). Ibi tamen plena omnia suspitionum et patres prae ceteris anxii; augent trepidationem prodigia diversis auctoribus vulgata (85—86). Otho Narbonensem Galliam aggredi statuit classe valida et partibus fida. Duces equitum peditumque copiis delecti (87). Sepositus per eos dies Cornelius Dolabella in coloniam Aquinatem, alios fidei suspectos expedire se secum Otho iubet (88). Iam vulgus sentire coepit belli mala. Otho adversus Vitellium profectus quietem urbis curasque fratri Salvio Titiano permisit (89—90).

Initium mihi operis Servius Galba iterum Titus Iunius 1
consules erunt. Nam post conditam urbem octingentos et p. Ch.
viginti prioris aevi annos multi auctores rettulerunt, dum res 69
populi Romani memorabantur, pari eloquentia ac libertate:
postquam bellatum apud Actium atque omnem potentiam ad
unum conferri pacis interfuit, magna illa ingenia cessere;
simul veritas pluribus modis infracta, primum inscitia rei
publicae ut alienae, mox libidine adsentandi aut rursus odio
adversus dominantes: ita neutris cura posteritatis inter infen-
sos vel obnoxios. Sed ambitionem scriptoris facile averse-
ris, obtrectatio et livor pronis auribus accipiuntur: quippe
adulationi foedum crimen servitutis, malignitati falsa species
libertatis inest. Mihi Galba Otho Vitellius nec beneficio nec
iniuria cogniti. Dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam,
a Tito auctam, a Domitiano longius provectam non abnuerim:
sed incorruptam fidem professis nec cum amore quisquam et
sine odio dicendus est. Quod si vita suppeditet, principatum
divi Nervae et imperium Traiani, uberiorem securioremque
materiam, senectuti seposui, rara temporum felicitate, ubi
sentire quae velis et quae sentias dicere licet.

Opus adgredior opimum casibus, atrox proeliis, discors 2
seditionibus, ipsa etiam *in* pace saevum. Quattuor princi-

1 Initium michi (*ita solet*) operis Seruius—erunt *litteris rubris et paulo maioribus* galbea Iunius ς : unius (*cf. Mommseni I. R. N.* 4195) 3 rettulerꝛ 9 infensos *G* : fensos 10 auerseris *Pichena* (*in Mureti reliquiis apud Ruhnkenium, ubi est* aduerseris] aduerseris, *altero loco corrige* aduerteris) : adūseris 11 libor 12 fędum 16 nec cum *Muretus* : neque 21 opimum ς : opib; prȩliis (*cf. ad* 1 26) 22 *etiam in : etiam saeuom (*cf. ad* 15 33)

pes ferro interempti: trina bella civilia, plura externa ac plerumque permixta: prosperae in Oriente, adversae in Occidente res. Turbatum Illyricum, Galliae nutantes, perdomita Britannia et statim missa: coortae in nos Sarmatarum ac Sueborum gentes, nobilitatus cladibus mutuis Dacus, mota prope etiam Parthorum arma falsi Neronis ludibrio. Iam vero Italia novis cladibus vel post longam saeculorum seriem repetitis afflicta. Haustae aut obrutae urbes fecundissima Campaniae *in* ora, et urbs *Roma* incendiis vastata, consumptis antiquissimis delubris, ipso Capitolio civium manibus incenso. Pollutae caerimoniae, magna adulteria: plenum exiliis mare, infecti caedibus scopuli. Atrocius in urbe saevitum: nobilitas opes, omissi gestique honores pro crimine, et ob virtutes certissimum exitium. Nec minus praemia delatorum invisa quam scelera, cum alii sacerdotia et consulatus ut spolia adepti, procurationes alii et interiorem potentiam, agerent verterent cuncta odio et terrore. Corrupti in dominos servi, in patronos liberti; et quibus deerat inimicus, per amicos
3 oppressi. Non tamen adeo virtutum sterile saeculum, ut non et bona exempla prodiderit. Comitatae profugos liberos matres, secutae maritos in exilia coniuges; propinqui audentes, constantes generi, contumax etiam adversus tormenta servorum fides; supremae clarorum virorum necessitates [ipsa necessitas fortiter tolerata], et laudatis antiquorum mortibus pares exitus. Praeter multiplices rerum humanarum casus, caelo terraque prodigia et fulminum monitus et futurorum prae-

2 ꝗspere *pro more suo* in oriente *G*: Inoriente⌉, *h. e.* in orientem (*sic*) occidente res. turbatum *G*: occidentes. returbatum (*sic*) 3 perdomita brittanniae (*sic*) 4 coortae *Muretus*: cohorte Innos 5 prope etiam *G*: etiam|ꝗpe etiam| 8 *urbes fecundissima Campaniae in ora, et urbs Roma incendiis uastata: urbes. Fecundissima campaniae ora et urbs Incendiis uastata. (*cf.* urbem Romam 1 1, urbi Romae 4 37, urbis Romae 4 56) 11 infecti *G*: infecta 19 sterile *G*: steriles nec et *pr* (et *in rasura*), n̄ et *corr* (*fortasse pro* non et *reponendum* nec = *ne quidem*) 21 audentes *L*: audientes (obe) constates 23 sup̄mae *pro more suo* *necessitates [ipsa necessitas fortiter tolerata], : necessitates. Ipsa necessitas fortiter tolerata. 24 pare⁸ (par exitus *Wurm, quod non bene convenit praegresso* necessitates) 25 humarum *pr*

sagia, laeta tristia, ambigua manifesta: nec enim umquam atrocioribus populi Romani cladibus magisve iustis indiciis adprobatum est non esse curae deis securitatem nostram, esse ultionem.

Ceterum antequam destinata componam, repetendum 4
videtur, qualis status urbis, quae mens exercituum, quis habitus provinciarum, quid in toto terrarum orbe validum, quid aegrum fuerit, ut non modo casus eventusque rerum, qui plerumque fortuiti sunt, sed ratio etiam causaeque noscantur. Finis Neronis ut laetus primo gaudentium impetu fuerat, ita varios motus animorum non modo in urbe apud patres aut populum aut urbanum militem, sed omnes legiones ducesque conciverat, evulgato imperii arcano, posse principem alibi quam Romae fieri. Sed patres laeti, usurpata statim libertate licentius ut erga principem novum et absentem; primores equitum proximi gaudio patrum; pars populi integra et magnis domibus adnexa, clientes libertique damnatorum et exulum in spem erecti: plebs sordida et circo ac theatris sueta, simul deterrimi servorum, aut qui adesis bonis per dedecus Neronis alebantur, maesti et rumorum avidi. Miles urbanus 5
longo Caesarum sacramento inbutus et ad destituendum Neronem arte magis et inpulsu quam suo ingenio traductus, postquam neque dari donativum sub nomine Galbae promissum neque magnis meritis ac praemiis eundem in pace quem in bello locum, praeventamque gratiam intellegit apud principem a legionibus factum, pronus ad novas res scelere insuper Nymphidii Sabini, *praetorii* praefecti, imperium sibi molientis agitatur. Et Nymphidius quidem in ipso conatu oppressus: set quamvis capite defectionis ablato, manebat plerisque militum conscientia, nec deerant sermones senium atque avaritiam Galbae increpantium. Laudata olim et militari fama celebrata severitas eius angebat aspernantes veterem disciplinam atque ita quattuordecim annis a Nerone adsuefactos,

1 tristia *G* : tristitia 2 magisue iustis *R* : magis uetustis 3 deis *G* : de^{is} 7 in *delendum videtur; cf. H.* 4 58 13 euolgato (*cf. ad* 15 33) 14 usurpata statim libertate *G* : usurpatā statim libertatē 16 integra *G* : Integrā 18 suetas *pr* 20 mesti 27 *praetorii : *om* (*cf. c.* 13 *cet.*) 29 sed *R* : et 30 conscentia (conscietia *G*) 31 angebat a|aspnantes

ut haud minus vitia principum amarent quam olim virtutes verebantur. Accessit Galbae vox pro re publica honesta, ipsi anceps, legi a se militem, non emi: nec enim ad hanc formam
6 cetera erant. Invalidum senem Titus Iunius et Cornelius Laco, alter deterrimus mortalium, alter ignavissimus, odio flagitiorum oneratum, contemptu inertiae destruebant. Tardum Galbae iter et cruentum, interfectis Cingonio Varrone, consule designato, et Petronio Turpiliano consulari: ille ut Nymphidii socius, hic ut dux Neronis, inauditi atque indefensi tamquam innocentes perierant. Introitus in urbem trucidatis tot milibus inermium militum infaustus omine, atque ipsis etiam qui occiderant formidolosus. Inducta legione Hispana, remanente ea quam e classe Nero conscripserat, plena urbs exercitu insolito; multi ad hoc numeri e Germania ac Britannia et Illyrico, quos idem Nero electos praemissosque ad claustra Caspiarum et bellum, quod in Albanos parabat, opprimendis Vindicis coeptis revocaverat: ingens novis rebus materia, ut non in unum aliquem prono favore, ita audenti
7 parata. Forte congruerat ut Clodii Macri et Fontei Capitonis caedes nuntiarentur. Macrum in Africa haud dubie turbantem Trebonius Garutianus procurator iussu Galbae, Capitonem in Germania, cum similia coeptaret, Cornelius Aquinus et Fabius Valens, legati legionum, interfecerant, antequam iuberentur. Fuere qui crederent Capitonem ut avaritia et libidine foedum ac maculosum, ita cogitatione rerum novarum abstinuisse, sed a legatis bellum suadentibus, postquam inpellere nequiverint, crimen ac dolum ultro compositum, et Galbam mobilitate ingenii, an ne altius scrutaretur, quoquo modo acta, quia mutari non poterant, comprobasse. Ceterum utraque caedes sinistre accepta, et inviso semel principi seu bene seu male facta parem invidiam afferebant. Venalia cuncta, praepotentes liberti, servorum manus subitis avidae

2 reuerebantur *Pichena* 4 Iunius ς : uinus 6 onerabant *L* 7 Cingonio Varrone *L ex libro Vaticano* : ciconio barrone 8 nimphydi 11 omine ς : homine 12 legione *G* : legiones 14 brittannia 15 illirico 17 cepti (ceptis *G*) 18 audenti *G* : audienti 22 ceptaret 25 fedum 28 qquomodo 31 parem inuidiam afferebant *Bezzenberger* : pminuit ıā afferebant (*sic*)

et tamquam apud senem festinantes, eademque novae aulae mala, aeque gravia, non aeque excusata. Ipsa aetas Galbae inrisui ac fastidio erat adsuetis iuventae Neronis et imperatores forma ac decore corporis, ut est mos vulgi, comparantibus. Et hic quidem Romae, tamquam in tanta multitu- 8
dine, habitus animorum fuit. E provinciis Hispaniae praeerat Cluvius Rufus, vir facundus et..pacis artibus, bellis inexpertus. Galliae super memoriam Vindicis obligatae recenti dono Romanae civitatis et in posterum tributi levamento. Proximae tamen Germanicis exercitibus Galliarum civitates non eodem honore habitae, quaedam etiam finibus ademptis, pari dolore commoda aliena ac suas iniurias metiebantur. Germanici exercitus, quod periculosissimum in tantis viribus, solliciti et irati [superbia recentis victoriae et metus tamquam alias partes fovissent]. Tarde a Nerone desciverant, nec statim pro Galba Verginius. An imperare noluisset dubium: delatum ei a milite imperium conveniebat. Fonteium Capitonem occisum etiam qui queri non poterant, tamen indignabantur. Dux deerat, abducto Verginio per simulationem amicitiae; quem non remitti atque etiam reum esse tamquam suum crimen accipiebant. Superior exercitus legatum Hordeonium Flaccum 9
spernebat, senecta ac debilitate pedum invalidum, sine constantia, sine auctoritate: ne quieto quidem milite regimen, adeo furentes infirmitate retinentis ultro accendebantur. Inferioris Germaniae legiones diutius sine consulari fuere, donec missu Galbae A. Vitellius aderat, censoris Vitellii ac ter consulis filius: id satis videbatur. In Britannico exercitu nihil irarum. Non sane aliae legiones per omnes civilium bellorum motus innocentius egerunt, seu quia procul et Oceano divisae, seu crebris expeditionibus doctae hostem potius odisse. Quies et Illyrico, quamquam excitae a Nerone legiones, dum in Italia cunctantur, Verginium legationibus adissent: sed longis spatiis discreti exercitus, quod saluberrimum est ad con-

4 uolgi 5 Intanta 6 fuit ς : fit 7 *et..: et (*expleas* praeclarus, *Heinsius* par) 8 dono *Puteolanus*: domino *in rasura sex litterarum* 9 ꝗxime 10 Germanicis *Agricola*: germa nis (Romanis ς) 12 sua^{s} Germanici *R*: Germani 14 *[superbia—fouissent] metu ς 16 uergenius, *mox* ūgenio uoluisset ς 27 brittannico 28 om̃e^{s} 29 eger̃

tinendam militarem fidem, nec vitiis nec viribus miscebantur. Oriens adhuc inmotus. Syriam et quattuor legiones obtinebat Licinius Mucianus, vir secundis adversisque iuxta famosus. Insignes amicitias iuvenis ambitiose coluerat; mox attritis opibus, lubrico statu, suspecta etiam Claudii iracundia, in secretum Asiae repositus tam prope ab exule fuit quam postea a principe. Luxuria industria, comitate adrogantia, malis bonisque artibus mixtus: nimiae voluptates, cum vacaret; quotiens *se* expedierat, magnae virtutes: palam laudares, secreta male audiebant. Sed apud subiectos, apud proximos, apud collegas variis illecebris potens, et cui expeditius fuerit tradere imperium quam obtinere. Bellum Iudaicum Flavius Vespasianus (ducem eum Nero delegerat) tribus legionibus administrabat. Nec Vespasiano adversus Galbam votum aut animus: quippe Titum filium ad venerationem cultumque eius miserat, ut suo loco memorabimus. Occulta fati et ostentis ac responsis destinatum Vespasiano liberisque eius imperium post fortunam credidimus.

11 Aegyptum copiasque, quibus coerceretur, iam inde a divo Augusto equites Romani obtinent loco regum: ita visum expedire, provinciam aditu difficilem, annonae fecundam, superstitione ac lascivia discordem et mobilem, insciam legum, ignaram magistratuum, domi retinere. Regebat tum Tiberius Alexander, eiusdem nationis. Africa [ac legiones in ea] interfecto Clodio Macro contenta qualicumque principe post experimentum domini minoris. Duae Mauritaniae, Raetia, Noricum, Thracia et quae aliae procuratoribus cohibentur, ut cuique exercitui vicinae, ita in favorem aut odium contactu valentiorum agebantur. Inermes provinciae, atque ipsa in primis Italia, cuicumque servitio exposita, in pretium belli cessurae erant. Hic fuit rerum Romanarum status, cum

5 atteritis *pr* 6 asyae sepositus *Acidalius* 9 *se expedierat: expedierat 12 Iudaicum] iudei cū (*prior Mediceus* iudaicisque *scribit* 2 85, *alter* Iudaicus *H.* 2 79, 5 5, Iudaico *H.* 2 81, 5 7, Iudeicum *H.* 1 76, Iudei cum *H.* 2 4, *ib* 78 Iudeicę) 14 āministrabat 17 fati] lege fati ς 19 egiptū 21 difficilem *G*: difficile. (*sic*) 23 ignaram *G*: ignara 24 *[ac legiones in ea] (*suspecta haec iam Ernestio fuere*) 26 retia 28 faborem 31 cessurae ς: cessura era^{nt} (nt *a m. vetere*) Romanarum ς: romano 2

Servius Galba iterum, Titus Iunius consules inchoavere annum sibi ultimum, rei publicae prope supremum.

Paucis post kalendas Ianuarias diebus Pompei Propin- 12
qui procuratoris e Belgica litterae adferuntur, superioris Germaniae legiones rupta sacramenti reverentia imperatorem alium flagitare, et senatui ac populo Romano arbitrium eligendi permittere, quo seditio mollius acciperetur. Maturavit ea res consilium Galbae, iam pridem de adoptione secum et cum proximis agitantis. Non sane crebrior tota civitate sermo per illos menses fuerat, primum licentia ac libidine talia loquendi, dein fessa iam aetate Galbae. Paucis iudicium aut rei publicae amor: multi stulta spe, prout quis amicus vel cliens, hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant, etiam in Titi Iunii odium, qui in dies quanto potentior, eodem auctu invisior erat. Quippe hiantes in magna fortuna amicorum cupiditates ipsa Galbae facilitas intendebat, cum apud infirmum et credulum minore metu et maiore praemio peccaretur. Potentia principatus divisa in Titum Iunium con- 13
sulem, Cornelium Laconem, praetorii praefectum; nec minor gratia Icelo, Galbae liberto, quem anulis donatum equestri nomine Marcianum vocitabant. Hi discordes et rebus in minoribus sibi quisque tendentes, circa consilium eligendi successoris in duas factiones scindebantur. Iunius pro M. Othone, Laco atque Icelus consensu non tam unum aliquem fovebant quam alium. Neque erat Galbae ignota Othonis ac Titi Iunii amicitia; et rumoribus nihil silentio transmittentium, quia Iunio vidua filia, caelebs Otho, gener ac socer destinabantur. Credo et rei publicae curam subisse, frustra a Nerone translatae, si apud Othonem relinqueretur. Namque Otho puericiam incuriose, adulescentiam petulanter egerat, gratus Neroni aemulatione luxus. Eoque *Nero* iam Poppaeam Sabinam,

1 Iunius ς : umus 3 K*l*. 6 arbitrio *pr* 12 rei .p. multi stulta ς : mltis tulta 13 ambitiosis *Faernus* : ambitionis 14 et Iam Iunii odium ς : umo dīū 15 auctu *Lectius apud Lipsium* : actu 18 Iunium ς : umum 19 et Cornelium *G* 20 icęlo, *mox* Icelus 21 in *Muretus* : *om* 23 Iunius ς : umus 24 consensu *G* : consensīū 25 Iunii ς : umi 27 Iunio ς : umo cęleps 28 rei .p. 31 *eoque Nero : eoque iam poppe^{a} (Poppaeam *Acidalius*)

principale scortum, ut apud conscium libidinum deposuerat, donec Octaviam uxorem amoliretur; mox suspectum in eadem Poppaea in provinciam Lusitaniam specie legationis seposuit. Otho comiter administrata provincia primus in partes transgressus nec segnis et, donec bellum fuit, inter praesentes splendidissimus, spem adoptionis statim conceptam acrius in dies rapiebat, faventibus plerisque mi-
14 litum, prona in eum aula Neronis ut similem. Sed Galba post nuntios Germanicae seditionis, quamquam nihil adhuc de Vitellio certum, anxius quonam exercituum vis erumperet, *et* ne urbano quidem militi confisus, quod remedium unicum rebatur, comitia imperii transigit; adhibitoque super Iunium ac Laconem Mario Celso, consule designato, ac Ducenio Gemino, praefecto urbis, pauca praefatus de sua senectute, Pisonem Licinianum accersi iubet, seu propria electione sive, ut quidam crediderunt, Lacone instante, cui apud Rubellium Plautum exercita cum Pisone amicitia: sed callide ut ignotum fovebat, et prospera de Pisone fama consilio eius fidem addiderat. Piso M. Crasso et Scribonia genitus, nobilis utrimque, vultu habituque moris antiqui et aestimatione recta severus, deterius interpretantibus tristior habebatur: ea pars morum eius, quo suspectior sollicitis,
15 adoptanti placebat. Igitur Galba, adprehensa Pisonis manu, in hunc modum locutus fertur: 'si te privatus lege curiata apud pontifices, ut moris est, adoptarem, et mihi egregium erat Cn. Pompei et M. Crassi subolem in penates meos adsciscere, et tibi insigne gentis Sulpiciae ac Lutatiae decora nobilitati tuae adiecisse: nunc me deorum hominumque consensu ad imperium vocatum praeclara indoles tua et amor patriae impulit, ut principatum, de quo maiores nostri armis certabant, bello adeptus quiescenti offeram, exemplo divi

1 principalē *pr* 3 prouinciā *G* : prouincia 7 in dies ȝ : indieⁿ (*nota a recenti m.*) 9 quanquā, *ut persaepe* 10 qnaⁿ (*nota m. recenti*) *erumperet, et : erumperet 12 transsigit 13 Iunium ȝ : uinium 15 accersi *Muretus* : accersiri (arcessi *Gronovius, Ruhnkenius Mureto tribuit* accessi) 20 uoltu et aestimatione *B* : et extimatione (ex aestimatione *Wurm*) 26 Cn.] Cnaei *Freinsheim* : nunc 27 gentis *Ernesti* : om 30 dequo

Augusti, qui sororis filium Marcellum, dein generum Agrippam, mox nepotes suos, postremo Tiberium Neronem privignum in proximo sibi fastigio collocavit. Sed Augustus in domo successorem quaesivit, ego in re publica, non quia propinquos aut socios belli non habeam, sed neque ipse imperium ambitione accepi, et iudicii mei documentum sit non meae tantum necessitudines, quas tibi postposui, sed et tuae. Est tibi frater pari nobilitate, natu maior, dignus hac fortuna, nisi tu potior esses. Ea aetas tua, quae cupiditates adulescentiae iam effugerit, ea vita, in qua nihil praeteritum excusandum habeas. Fortunam adhuc tantum adversam tulisti: secundae res acrioribus stimulis animos explorant, quia miseriae tolerantur, felicitate corrumpimur. Fidem libertatem amicitiam, praecipua humani animi bona, tu quidem eadem constantia retinebis, sed alii per obsequium imminuent: inrumpet adulatio [blanditiae], pessimum veri affectus venenum, sua cuique utilitas. Set iam ego ac tu simplicissime inter nos hodie loquimur, ceteri libentius cum fortuna nostra quam nobiscum: nam suadere principi quod oporteat multi laboris, adsentatio erga quemcumque principem sine affectu peragitur.' 'Si inmensum imperii corpus stare ac librari sine 16
rectore posset, dignus eram a quo res publica inciperet: nunc eo necessitatis iam pridem ventum est, ut nec mea senectus conferre plus populo Romano possit quam bonum successorem, nec tua plus iuventa quam bonum principem. Sub Tiberio et Gaio et Claudio *ac Nerone* unius familiae quasi hereditas fuimus: loco libertatis erit quod eligi coepimus; et finita Iuliorum Claudiorumque domo optimum quemque adoptio inveniet. Nam generari et nasci a principibus fortuitum, nec ultra aestimatur: adoptandi iudicium integrum et, si velis eligere, consensu monstratur. Sit ante oculos Nero, quem longa Cae-

4 re .p. 6 sit. (sint *L*) 8 est *G*: Et 14 praecipuā *pr* 15 irrumpent ꝫ 16 *[blanditiae] 17 *set iam: etiā (et iam *Puteolanus*, etenim *Weissenborn*, etiam si *Halm*) 18 ceteri 20 quemcūque 22 aquo res .p. 23 Ia *pr* 24 possit *R*: posset 26 *ac Nerone unius: unius (*recentior librarius a vetere* AC *aberravit ad* VNIVS) 27 elegi cepimus 28 quenq; *et sic plerumque* 30 aestimatur *B*: extimatur

sarum serie tumentem non Vindex cum inermi provincia aut ego cum una legione, sed sua immanitas, sua luxuria cervicibus publicis depulerunt; neque erat adhuc damnati principis exemplum. Nos bello et ab aestimantibus adsciti cum invidia quamvis egregii erimus. Ne tamen territus fueris, si duae legiones in hoc concussi orbis motu nondum quiescunt: ne ipse quidem ad securas res accessi, et audita adoptione desinam videri senex, quod nunc mihi unum obicitur. Nero a pessimo quoque semper desiderabitur: mihi ac tibi providendum est ne etiam a bonis desideretur. Monere diutius neque temporis huius, et impletum est omne consilium, si te bene elegi. Vtilissimus idem ac brevissimus bonarum malarumque rerum delectus est, cogitare quid aut volueris sub alio principe aut nolueris: neque enim hic, ut in gentibus quae regnantur, certa dominorum domus et ceteri servi, sed imperaturus es hominibus qui nec totam servitutem pati possunt nec totam libertatem. Et Galba quidem haec ac talia, tamquam principem faceret, ceteri tamquam cum facto loque-
17 bantur. Pisonem ferunt statim intuentibus, et mox coniectis in eum omnium oculis, nullum turbati aut exultantis animi motum prodidisse. Sermo erga patrem imperatoremque reverens, de se moderatus; nihil in vultu habituque mutatum, quasi imperare posset magis quam vellet. Consultatum inde, pro Rostris an in senatu an in castris adoptio nuncuparetur. Iri in castra placuit: honorificum id militibus fore, quorum favorem ut largitione et ambitu male adquiri, ita per bonas artes haud spernendum. Circumsteterat interim Palatium publica expectatio, magni secreti inpatiens; et male coercitam
18 famam supprimentes augebant. Quartum idus Ianuarias, foedum imbribus diem, tonitrua et fulgura et caelestes minae ultra solitum turbaverant. Observatum id antiquitus comitiis dirimendis non terruit Galbam quo minus in castra pergeret, contemptorem talium ut fortuitorum; seu quae fato

1 serie 3 depulec' 8 mihi *nunc praeter morem suum, sed statim* michi 12 utilissimus bonarum idem ac breuissimus bonarum malarumque 13 delectus *G*: dilectus quid aaut 14 ut in *editio princeps*: ut 15 ceteri 22 uoltu 30 fedum 32 quominus 33 contemptore

manent, quamvis significata, non vitantur. Apud frequentem militum contionem imperatoria brevitate adoptari a se Pisonem more divi Augusti et exemplo militari, quo vir virum legeret, pronuntiat. Ac ne dissimulata seditio in maius crederetur, ultro adseverat quartam et duoetvicesimam legiones, paucis seditionis auctoribus, non ultra verba ac voces errasse et brevi in officio fore. Nec ullum orationi aut lenocinium addit aut pretium. Tribuni tamen centurionesque et proximi militum grata auditu respondent: per ceteros maestitia ac silentium, tamquam usurpatam etiam in pace donativi necessitatem bello perdidissent. Constat potuisse conciliari animos quantulacumque parci senis liberalitate: nocuit antiquus rigor et nimia severitas, cui iam pares non sumus. Inde apud senatum non comptior Galbae, non lon- 19
gior quam apud militem sermo: Pisonis comis oratio. Et patrum favor aderat: multi voluntate, effusius qui noluerant, medii ac plurimi obvio obsequio, privatas spes agitantes sine publica cura. Nec aliud sequenti quadriduo, quod medium inter adoptionem et caedem fuit, dictum a Pisone in publico factumve. Crebrioribus in dies Germanicae defectionis nuntiis et facili civitate ad accipienda credendaque omnia nova, cum tristia sunt, censuerant patres mittendos ad Germanicum exercitum legatos. Agitatum secreto num et Piso proficisceretur [maiore praetextu], illi auctoritatem senatus, hic dignationem Caesaris laturus. Placebat et Laconem, praetorii praefectum, simul mitti: is consilio intercessit. Legati quoque (nam senatus electionem Galbae permiserat) foeda inconstantia nominati, excusati, substituti, ambitu remanendi aut eundi, ut quemque metus vel spes inpulerat. Proxima pecuniae 20
cura; et cuncta scrutantibus iustissimum visum est inde re-

1 significata *G* : signi facta 2 imperatoriā *pr* 5 duoetuicesimam *Pichena* : duodeuicesimam (de *in rasura*) 8 addita ut p̄tiū 9 auditu *corr G* : audito 10 mestitia 12 quantulacūque 16 fabor *pr* 17 medii *Freinsheim* : medie 18 quatriduo ꝙ 20 in dies *G* : Indie (in dies *est* 3 52, 6 51 (45), 14 57, 15 33, *H.* 1 12, *recurrit in Mediceo* indie *H.* 1 13) 24 *[maiore praetextu] : .maiore praetextu. (*cf. c.* 76 *et* 77, 2 100, 3 80, *Sueton. Caes.* 30, *Tib.* 28, *Aug.* 12, *Seneca Epl.* 71 9) illi *G* : Ille 26 is *G* : his 27 feda 28 excusatis *pr*

peti, ubi inopiae causa erat. Bis et vicies milies sestertium donationibus Nero effuderat: appellari singulos *Galba* iussit, decuma parte liberalitatis apud quemque eorum relicta. At illis vix decumae super portiones erant, isdem erga aliena sumptibus quibus sua prodegerant, cum rapacissimo cuique ac perditissimo non agri aut fenus, sed sola instrumenta vitiorum manerent. Exactioni triginta equites Romani praepositi, novum officii genus et ambitu ac numero onerosum: ubique hasta et sector, et inquieta urbs auctionibus. Ac tamen grande gaudium, quod tam pauperes forent quibus donasset Nero quam quibus abstulisset. Exauctorati per eos dies tribuni, e praetorio Antonius Taurus et Antonius Naso, ex urbanis cohortibus Aemilius Pacensis, e vigiliis Iulius Fronto. Nec remedium in ceteros fuit, sed metus initium, tamquam per artem et formidinem singuli pellerentur, omnibus suspectis.

21 Interea Othonem, cui compositis rebus nulla spes, omne in turbido consilium, multa simul extimulabant, luxuria etiam principi onerosa, inopia vix privato toleranda, in Galbam ira, in Pisonem invidia. Fingebat et metum, quo magis concupisceret: praegravem se Neroni fuisse, nec Lusitaniam rursus et alterius exilii honorem expectandum. Suspectum semper invisumque dominantibus qui proximus destinaretur. Nocuisse id sibi apud senem principem, magis nociturum apud iuvenem ingenio trucem et longo exilio efferatum [Occidi Othonem posse]. Proinde agendum audendumque, dum Galbae auctoritas fluxa, Pisonis nondum coaluisset. Opportunos magnis conatibus transitus rerum, nec cunctatione opus, ubi perniciosior sit quies quam temeritas. Mortem omnibus ex natura aequalem oblivione apud posteros vel gloria distingui; ac si nocentem innocentemque idem exitus maneat,
22 acrioris viri esse merito perire. Non erat Othoni mollis et

1 milies *L*: mille 2 *Galba: *om* 3 illis *G*: illi 6 fenus (*v. ad* 3 40) 7 exactionis *pr* quinquaginta *Suetonius Galba* 15 9 auctionibus *R*: actionibus 11 donasset *G*: donassent 13 emilius euigiliis 19 Galbam *Puteolanus*: galba 24 nocuisse *G*: nocuisset 25 [occidi—posse] *ego et Vrlichs* 26 audendumque *G*: audiendumque 27 Oportunos 32 Othoni *Faernus*: othonis

corpori similis animus. Et intimi libertorum servorumque, corruptius quam in privata domo habiti, aulam Neronis et luxus, adulteria [matrimonia] ceterasque regnorum libidines avido talium, si auderet, ut sua ostentantes, quiescenti ut aliena exprobrabant, urgentibus etiam mathematicis, dum novos motus et clarum Othoni annum observatione siderum adfirmant, genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra et vetabitur semper et retinebitur. Multos secreta Poppaeae mathematicos, pessimum principalis matrimonii instrumentum, habuerant; e quibus Ptolemaeus, Othoni [in Hispania] comes, cum superfuturum eum Neroni promisisset, postquam ex eventu fides, coniectura iam et rumore senium Galbae et iuventam Othonis computantium persuaserat fore ut in imperium asciscerétur. Sed Otho tamquam peritia et monitu fatorum praedicta accipiebat, cupidine ingenii humani libentius obscura credendi. Nec deerat Ptolemaeus, iam et sceleris instinctor, ad quod 23
facillime ab eiusmodi voto transitur. Sed sceleris cogitatio incertum an repens: studia militum iam pridem spe successionis aut paratu facinoris adfectaverat, in itinere in agmine, in stationibus vetustissimum quemque militum nomine vocans ac memoria Neroniani comitatus contubernales appellando; alios agnoscere, quosdam requirere et pecunia aut gratia iuvare, inserendo saepius querellas et ambiguos de Galba sermones, quaeque alia turbamenta vulgi. Labores itinerum, inopia commeatuum, duritia imperii atrocius accipiebantur, cum Campaniae lacus et Achaiae urbes classibus adire soliti Pyrenaeum et Alpes et inmensa viarum spatia aegre sub armis eniterentur. Flagrantibus iam militum ani- 24
mis velut faces addiderat Maevius Pudens, e proximis Tigillini. Is mobilissimum quemque ingenio aut pecuniae indigum

3 [matrimonia] *ego et Vrlichs*: matrimonia. 6 syderum 7 sperantibus *G*: spernantibus 9 poppeę ma mathematicos 10 equibus 11 ptolomꝰs, *item paulo post* *[in Hispania]: in hispania (in Hispaniam *Acidalius, sed debuit saltem* in Lusitaniam) 14 Ininperium 15 peritia artis *Heinsius* 16 credendi *Pichena*: credi (credentis *Petavius*) 17 aquod *pr* 24 querellas] *cf. ad* 13 50 25 uolgi 26 inopiā 28 pyreneum 30 uelud, *item paulo post*

et in novas cupiditates praecipitem alliciendo eo paulatim progressus est, ut per speciem convivii, quotiens Galba apud Othonem epularetur, cohorti excubias agenti viritim centenos nummos divideret; quam velut publicam largitionem Otho secretioribus apud singulos praemiis intendebat, adeo animosus corruptor, ut Cocceio Proculo speculatori, de parte finium cum vicino ambigenti, universum vicini agrum sua pecunia emptum dono dederit, per socordiam praefecti, quem nota pariter et
25 occulta fallebant. Sed tum e libertis Onomastum futuro sceleri praefecit, a quo Barbium Proculum, tesserarium speculatorum, et .. Veturium, optionem eorundem, *ad se* perductos, postquam vario sermone callidos audacesque cognovit, pretio et promissis onerat, data pecunia ad pertemptandos plurium animos. Suscepere duo manipulares imperium populi Romani transferendum, et transtulerunt. In conscientiam facinoris pauci adsciti: suspensos ceterorum animos diversis artibus stimulant, primores militum per beneficia Nymphidii ut suspectos, vulgus et ceteros ira et desperatione dilati totiens donativi. Erant quos memoria Neronis ac desiderium prioris licentiae accenderet. In commune omnes metu mutandae militiae ter-
26 rebantur. Infecit ea tabes legionariorum quoque et auxiliorum motas iam mentes, postquam vulgatum erat labare Germanici exercitus fidem. Adeoque parata apud malos seditio, etiam apud integros dissimulatio fuit, ut postero *die* iduum Ianuariarum redeuntem a cena Othonem rapturi fuerint, ni incerta noctis et tota urbe sparsa militum castra nec facilem inter temulentos consensum timuissent, non rei publicae cura, quam foedare principis sui sanguine sobrii parabant, sed ne per tenebras, ut quisque Pannonici vel Germanici exercitus militibus oblatus esset, ignorantibus plerisque, pro Othone destinaretur. Multa erumpentis seditionis indicia per con-

2 conuii *pr* 11 ..*Veturium : ueturium (*fuit* T. *vel* A. Veturium) *ad se perductos : perductos 17 nymphidiut 18 uolgus 20 commune *R* : communi militi ẽtrebant (*h. e.* militiae terrebantur) 21 *legionariorum : legionum 22 uolgatum 24 *postero die : postero iduum Ianuariarum *Pichena* : iduum dierū *in nova scriptura super versum posita; quid a pr. manu fuerit, iam non perspicuum est* 27 temulentos *G* : emulentos 28 fœdare 31 erumpentis *G* : erumpentib;

scios oppressa: quaedam apud Galbae aures praefectus Laco elusit, ignarus militarium animorum consiliique quamvis egregii, quod non ipse afferret, inimicus et adversus peritos pervicax.

Octavo decimo kalendas Februarias sacrificanti pro aede 27
Apollinis Galbae haruspex Vmbricius tristia exta et instantes insidias ac domesticum hostem praedicit, audiente Othone (nam proximus adstiterat) idque ut laetum e contrario et suis cogitationibus prosperum interpretante. Nec multo post libertus Onomastus nuntiat expectari eum ab architecto et redemptoribus, quae significatio coeuntium iam militum et paratae coniurationis convenerat. Otho, causam digressus requirentibus, cum emi sibi praedia vetustate suspecta eoque prius exploranda finxisset, innixus liberto per Tiberianam domum in Velabrum, inde ad miliarium aureum sub aedem Saturni pergit. Ibi tres et viginti speculatores consalutatum imperatorem ac paucitate salutantium trepidum et sellae festinanter impositum strictis mucronibus rapiunt; totidem ferme milites in itinere adgregantur, alii conscientia, plerique miraculo, pars clamore [et gladiis], pars silentio, animum ex eventu sumpturi. Stationem in castris agebat Iulius Martialis 28
tribunus. Is magnitudine subiti sceleris, an corrupta latius castra et, si contra tenderet, exitium metuens, praebuit plerisque suspitionem conscientiae; anteposuere ceteri quoque tribuni centurionesque praesentia dubiis et honestis, isque habitus animorum fuit, ut pessimum facinus auderent pauci, plures vellent, omnes paterentur.

Ignarus interim Galba et sacris intentus fatigabat alieni 29
iam imperii deos, cum adfertur rumor rapi in castra incertum quem senatorem, mox Othonem esse qui raperetur; simul ex tota urbe *nuntii*, ut quisque obvius fuerat, alii formidine augentes, quidam minora vero, ne tum quidem obliti

1 galba 3 afferet 5 Octauodecimo Kl. feb. 6 tristia *G* : tristitia 8 adstiterat *G* : adsisterat 9 intp̄tantes *pr* 15 aedem] eadem 20 *[et gladiis] : et gladiis (et gaudiis *Faernus*, et gaudio *Pichena*) 22 is] his, *mox* hisque *pro* isque 24 suspicionem (*cf. ad* 2 73) 29 dos̃ incertum quem *G* : incertumq; 31 *nuntii, ut : ut

adulationis. Igitur consultantibus placuit pertemptari animum cohortis quae in Palatio stationem agebat, nec per ipsum Galbam, cuius integra auctoritas maioribus remediis servabatur. Piso pro gradibus domus vocatos in hunc modum adlocutus est: 'sextus dies agitur, commilitones, ex quo ignarus futuri, et sive optandum hoc nomen sive timendum erat, Caesar adscitus sum, quo domus nostrae aut rei publicae fato, in vestra manu positum est, non quia meo nomine tristiorem casum paveam, ut qui adversa rerum expertus cum maxime discam ne secundas quidem minus discriminis habere: patris et senatus et ipsius imperii vicem doleo, si nobis aut perire hodie necesse est aut, quod aeque apud bonos miserum est, occidere. Solacium proximi motus habebamus incruentam urbem et res sine discordia translatas: provisum adoptione videbatur, ut ne post Galbam quidem bello locus esset. Nihil adrogabo mihi nobilitatis aut modestiae: neque enim relatu virtutum in comparatione Othonis opus est. Vitia, quibus solis gloriatur, evertere imperium, etiam cum amicum imperatoris ageret. Habitune et incessu an illo muliebri ornatu meretur imperium? Falluntur quibus luxuria *eius* specie liberalitatis inponit: perdere iste sciet, donare nesciet. Stupra nunc et comissationes et feminarum coetus volvit animo: haec principatus praemia putat, quorum libido ac voluptas penes ipsum sit, rubor ac dedecus penes omnes: nemo enim umquam imperium flagitio quaesitum bonis artibus exercuit. Galbam consensus generis humani, me Galba consentientibus vobis Caesarem dixit. Si res publica et senatus et populus vacua nomina sunt, vestra, commilitones, interest ne imperatorem pessimi faciant. Legionum seditio adversus duces suos audita est aliquando: vestra fides famaque inlaesa ad hunc diem mansit. Et Nero quoque vos destituit, non vos Neronem. Minus triginta transfugae et deser-

7 rei .p. *G* : re p. 8 fato *Puteolanus* : fatū (*nota recenti m.*) 9 aduersa rerum *Walther* : aduersas rem *pr*, aduersas res *corr* cūmaxime 10 discam *Freinsheim* : dicam 13 incruenta *pr* 14 re^{s}—translata^{s} (s *vetere m.*) 20 meretur *Acidalius* : mereretur *luxuria eius : luxuria 21 specie *R* : speciē 22 comessationes 24 dedecus *Puteolanus* : decus 25 umq̄ā 27 res .p. 28 uana ς 30 fide

tores, quos centurionem aut tribunum sibi eligentes nemo ferret, imperium adsignabunt? admittitis exemplum? et quiescendo commune crimen facitis? Transcendet haec licentia in provincias, et ad nos scelerum exitus, bellorum ad vos pertinebunt. Nec est plus quod pro caede principis quam quod innocentibus dabitur, sed perinde a nobis donativum ob fidem quam ab aliis pro facinore accipietis.' Dilapsis 31 speculatoribus cetera cohors non aspernata contionantem *et*, ut turbidis rebus evenit, forte magis et nullo adhuc consilio parat signa quam, quod postea creditum est, insidiis et simulatione. Missus et Celsus Marius ad electos Illyrici exercitus, Vipsania in porticu tendentes; praeceptum Amulio Sereno et Domitio Sabino primipilaribus, ut Germanicos milites e Libertatis atrio accerserent. Legioni classicae diffidebatur, infestae ob caedem commilitonum, quos primo statim introitu trucidaverat Galba. Pergunt etiam in castra praetorianorum tribuni Cetrius Severus, Subrius Dexter, Pompeius Longinus, si incipiens adhuc et necdum adulta seditio melioribus consiliis flecteretur. Tribunorum Subrium et Cetrium adorti milites minis, Longinum manibus coercent exarmantque, quia non ordine militiae *missus*, sed e Galbae amicis, fidus principi suo et desciscentibus suspectior erat. Legio classica nihil cunctata praetorianis adiungitur; Illyrici exercitus electi Celsum infestis pilis proturbant. Germanica vexilla diu nutavere, invalidis adhuc corporibus et placatis animis, quod eos a Nerone Alexandriam praemissos atque inde rursus longa navigatione aegros inpensiore cura Galba refovebat. Vniversa iam plebs Palatium implebat, mixtis ser- 32 vitiis et dissono clamore caedem Othonis et coniuratorum

3 Trascendet 6 *dabitur: datur perinde *R*: ꝑInde donatiuum *ed. princeps*: donatiuo 8 contionantem (*sic*) *et, ut: ut 9 euenit forte *Pichena*: cuentior te nullo *Freinsheim*: non nullo (*fortasse* non ullo) 10 parat signa *Agricola*: par signas quam, quod *Heinsius*: qd̄ (non, quod *Kiessling*) 13 amullio (amulio *G*) 15 diffidebatur *Acidalius*: diffidebat. 19 [tribunorum] *Nipperdey* 20 adhorti Longinum ꝯ: longin; 21 ordine] ordinē *corr* *militiae missus: militiae 22 principi *G*: principis 23 yllirici exercitu^{s} 24 Celsum infestis *G*: festū incestis (Celsum ingestis ꝯ)

exitium poscentium, ut si in circo ac theatro ludicrum aliquod postularent: neque illis iudicium aut veritas, quippe eodem die diversa pari certamine postulaturis, sed tradito more quemcumque principem adulandi, licentia adclamationum et studiis inanibus.

Interim Galbam duae sententiae distinebant: Titus Iunius manendum intra domum, opponenda servitia, firmandos aditus, non eundum ad iratos censebat: daret malorum poenitentiae, daret bonorum consensui spatium. Scelera impetu, bona consilia mora valescere. Denique eundi ultro, si ratio
33 sit, eandem mox facultatem, regressus, si poeniteat, in aliena potestate. Festinandum ceteris videbatur, antequam cresceret invalida adhuc coniuratio paucorum: trepidaturum etiam Othonem, qui furtim digressus, ad ignaros inlatus, cunctatione nunc et segnitia terentium tempus imitari principem discat. Non expectandum ut compositis castris forum invadat et prospectante Galba Capitolium adeat, dum egregius imperator cum fortibus amicis ianua ac limine tenus domum cludit, obsidionem nimirum toleraturus. Et praeclarum in servis auxilium, si consensus tantae multitudinis et, quae plurimum valeat, prima indignatio elanguescat. Proinde intuta quae indecora; vel si cadere necesse sit, occurrendum discrimini: id Othoni invidiosius et ipsis honestum. Repugnantem huic sententiae Iunium Laco minaciter invasit, stimulante Icelo privati odii pertinacia in publicum exitium.
34 Nec diutius Galba cunctatus speciosiora suadentibus accessit. Praemissus tamen in castra Piso, ut iuvenis magno nomine, recenti favore et infensus Tito Iunio, seu quia erat

1 exitium *Acidalius*: exilium ac theatro *G*: atheatro (*sic*; aut theatro *Halm*, *sed v. H.* 1 4: circo ac theatris sueta. *c.* 72: in circum ac theatra. *H.* 3 2: circo quoque ac theatris) aliquot *pr* 3 certaminę 4 quęcūq; 6 Iunius ς: uinius 8 poenitentiae, *mox* poeniteat *B*: penitentiae—peniteat 10 si ratio *G*: spiratio 11 regressum *potius* 18 claudit *G* obsidionem—toleraturus *G*: obsidione—toleraturos 20 consensus ς: consensu] 21 * ualeat: ualet (*cf. proximum* si cadere necesse sit) indignatio elanguescat *Iac. Gronovius*: indignatione languescat (*cf. c.* 46 elanguerat, *H.* 4 42 elanguimus) 22 occurendum *pr* 24 Iunium ς: uinium 25 *fortasse* stimulante eum hicęlo 26 speciosior asua dentibus 28 Iunio ς: uinio quia erat ς: qęrat

seu quia irati ita volebant; et facilius de odio creditur. Vixdum egresso Pisone occisum in castris Othonem vagus primum et incertus rumor: mox, ut in magnis mendaciis, interfuisse se quidam et vidisse adfirmabant, credula fama inter gaudentes et incuriosos. Multi arbitrabantur compositum auctumque rumorem mixtis iam Othonianis, qui ad evocandum Galbam laeta falso vulgaverint. Tum vero non 35
populus tantum et imperita plebs in plausus et inmodica studia.., sed equitum plerique ac senatorum, posito metu incauti, refractis Palatii foribus ruere intus ac se Galbae ostentare, praereptam sibi ultionem querentes, ignavissimus quisque et, ut res docuit, in periculo non ausurus, nimii verbis, linguae feroces; nemo scire et omnes adfirmare, donec inopia veri et consensu errantium victus sumpto thorace Galba, inruenti turbae neque aetate neque corpore sistens, sella levaretur. Obvius in Palatio Iulius Atticus speculator, cruentum gladium ostentans, occisum a se Othonem exclamavit; et Galba 'commilito', inquit 'quis iussit?' Insigni animo ad coercendam militarem licentiam, minantibus intrepidus, adversus blandientes incorruptus.

Haud dubiae iam in castris omnium mentes tantusque 36
ardor, ut non contenti agmine et corporibus in suggestu, in quo paulo ante aurea Galbae statua fuerat, medium inter signa Othonem vexillis circumdarent. Nec tribunis aut centurionibus adeundi locus: gregarius miles caveri insuper praepositos iubebat. Strepere cuncta clamoribus et tumultu et exhortatione mutua, non tamquam in populo ac plebe, variis segni adulatione vocibus, sed ut quemque adfluentium militum aspexerant, prensare manibus, conplecti armis, conlocare iuxta, praeire sacramentum, modo imperatorem militibus, modo milites imperatori commendare. Nec deerat Otho protendens manus adorare vulgus, iacere oscula et omnia serviliter

4 adfirmabat (n *retere m.*) 5 multa arbitrantur *Vrlichs* 7 uolgauerint 9 *studia..: studia (*explererim* studia effundi) 10 reuere 13 feroces *G*: ferocis 16 resistens *Faernus* 21 dubę 25 grẹgarius 27 exortatione 29 prensare] pressare (prehensare *G*; *cf. ad* 14 10) c̃plecti—c̃locare 32 *uulgus: uolgūs

pro dominatione. Postquam universa classicorum legio sacramentum eius accepit, fidens viribus, et quos adhuc singulos extimulaverat, accendendos in commune ratus pro vallo castro-
37 rum ita coepit. 'Quis ad vos processerim, commilitones, dicere non possum, quia nec privatum me vocare sustineo princeps a vobis nominatus, nec principem alio imperante. Vestrum quoque nomen in incerto erit, donec dubitabitur, imperatorem populi Romani in castris an hostem habeatis. Auditisne ut poena mea et supplicium vestrum simul postulentur? Adeo manifestum est neque perire nos neque salvos esse nisi una posse; et cuius lenitatis est Galba, iam fortasse promisit, ut qui nullo exposcente tot milia innocentissimorum militum trucidaverit. Horror animum subit, quotiens recordor feralem introitum et hanc solam Galbae victoriam, cum in oculis urbis decumari deditos iuberet, quos deprecantes in fidem acceperat. His auspiciis urbem ingressus, quam gloriam ad principatum attulit nisi occisi Obultronii Sabini et Cornelii Marcelli in Hispania, Betui Cilonis in Gallia, Fontei Capitonis in Germania, Clodii Macri in Africa, Cingonii in via, Turpiliani in urbe, Nymphidii in castris? Quae usquam provincia, quae in..castra sunt nisi cruenta et maculata aut, ut ipse praedicat, emendata et correcta? Nam quae alii scelera, hic remedia vocat; dum falsis nominibus severitatem pro saevitia, parsimoniam pro avaritia, supplicia et contumelias vestras disciplinam appellat. Septem a Neronis fine menses sunt, et iam plus rapuit Icelus quam quod Polycliti et Vatinii et Helii perdiderunt. Minore avaritia ac licentia grassatus esset T. Iunius, si ipse imperasset: nunc et subiectos nos habuit tamquam suos, et viles ut alienos. Vna illa domus sufficit donativo, quod vobis numquam datur et cotidie expro-
38 bratur. Ac ne qua saltem in successore Galbae spes esset, accersivit ab exilio quem tristitia et avaritia sui simillimum

4 cępit 8 ad uos (n *retere m.*) 9 pęna 17 obultroniis abIni 18 *Cilonis : chilonis 20 nymphidi In 21 *in..: In (*expleas* in prouinciis) castra *G* : castris 22 aliis *pr* 26 et iam] etiā uatini. 27 *Helii perdiderunt : ęgialii perierunt (*de Helio etiam L cogitavit* 28 Iunius ę : umius 30 nūquā exprobratur *G* : exprobatur 31 succesore 32 *accersiuit : accersit (arcessiuit *Halm*)

iudicabat. Vidistis, commilitones, notabili tempestate etiam deos infaustam adoptionem aversantes. Idem senatus, idem populi Romani animus est: vestra virtus expectatur, apud quos omne honestis consiliis robur et sine quibus quamvis egregia invalida sunt. Non ad bellum vos nec ad periculum voco: omnium militum arma nobiscum sunt. Nec una cohors togata defendit nunc Galbam, sed detinet: cum vos aspexerit, cum signum meum acceperit, hoc solum erit certamen, quis mihi plurimum inputet. Nullus cunctationi locus est in eo consilio, quod non potest laudari nisi peractum.' Aperiri deinde armamentarium iussit. Rapta statim arma, sine more et ordine militiae, ut *non* praetorianus aut legionarius insignibus suis distinguerentur: miscentur auxiliaribus galeis scutisque, nullo tribunorum centurionumve adhortante, sibi quisque dux et instigator; et praecipuum pessimorum incitamentum quod boni maerebant.

Iam exterritus Piso fremitu crebrescentis seditionis et 39
vocibus in urbem usque resonantibus, egressum interim Galbam et foro appropinquantem adsecutus erat; iam Marius Celsus haud laeta rettulerat, cum alii in Palatium rediret, alii Capitolium peteret, plerique Rostra occupanda censerent, plures tantum sententiis aliorum contradicerent, utque evenit in consiliis infelicibus, optima viderentur quorum tempus effugerat. Agitasse Laco ignaro Galba de occidendo Tito Iunio dicitur, sive ut poena eius animos militum mulceret, seu conscium Othonis credebat, ad postremum vel odio. Haesitationem attulit tempus ac locus, quia initio caedis orto difficilis modus; et turbavere consilium trepidi nuntii ac proximorum diffugia, languentibus omnium studiis qui primo alacres fidem atque animum ostentaverant. Agebatur huc 40
illuc Galba, vario turbae fluctuantis inpulsu, completis undi-

2 deos] dōs, *et sic saepe, quod iam non notabitur* auersantes *Agricola*: adūsantes 4 oms 9 mihi *nunc, non solitum* michi cunctationi *G*: cunctationis 10 aperiri *Muretus*: aperire 12 *ut non: ut 13 *distinguerentur: distingueretur 16 merebant 20 rediret—peteret *Nipperdey*: redire—peteret (redire—petere *G*) 22 ut quę 23 quorum *G*: morum 24 Iunio *ς*: umio 25 pęna 26 postremum *R*: posterum 30 ostentauerant *G*: ostentauerint

que basilicis ac templis, lugubri prospectu. Neque populi aut plebis ulla vox, sed attoniti vultus et conversae ad omnia aures, non tumultus, non quies, quale magni metus et magnae irae silentium est. Othoni tamen armari plebes nuntiabatur: ire praecipites et occupare pericula iubet. Igitur milites Romani, quasi Vologesum aut Pacorum avito Arsacidarum solio depulsuri ac non imperatorem suum inermem et senem trucidare pergerent, disiecta plebe, proculcato senatu, truces armis, rapidi equis forum inrumpunt. Nec illos Capitolii aspectus et imminentium templorum religio et priores et futuri principes terruere, quo minus face-
41 rent scelus, cuius ultor est quisquis successit. Viso comminus armatorum agmine vexillarius comitatae Galbam cohortis (Atilium Vergilionem fuisse tradunt) dereptam Galbae imaginem solo adflixit. Eo signo manifesta in Othonem omnium militum studia, desertum fuga populi forum, destricta adversus dubitantes tela. Iuxta Curtii lacum trepidatione ferentium Galba proiectus e sella ac provolutus est. Extremam eius vocem, ut cuique odium aut admiratio fuit, varie prodidere. Alii suppliciter interrogasse quid mali meruisset, paucos dies exolvendo donativo deprecatum: plures obtulisse ultro percussoribus iugulum: agerent ac ferirent, si ita e re publica videretur. Non interfuit occidentium quid diceret. De percussore non satis constat: quidam Terentium evocatum, alii Lecanium; crebrior fama tradidit Camurium, quintae decimae legionis militem, inpresso gladio iugulum eius hausisse. Ceteri crura brachiaque (nam pectus tegebatur) foede laniavere; pleraque vulnera feritate et saevitia trunco
42 iam corpori adiecta. Titum inde Iunium invasere; de quo et ipso ambigitur, consumpseritne vocem eius instans metus, an proclamaverit non esse ab Othone mandatum ut occideretur.

1 prospectu *G*: trospectu (*sic*) 2 uoltus cũse 4 *plebes: plebe *pr*, plebe³ *corr*, plebem *vulgo* (*alius generis est exemplum H.* 3 79) 6 uologaesũ (*cf. H.* 4 51 uologesi—uologeso; *idem in Annalibus Tacito audit* Vologeses) 9 rapidis ꝛ 11 ꝙminus 13 Galbam *R*: galbę 14 adiliũ (attilium *G*) 19 ammiratio uarie prodidere *G*: uarię prodere 22 e re *G*: re .p. 28 fede uolnera 29 Iunium ꝛ: uuuuu

Quod seu finxit formidine seu conscientia coniurationis confessus est, huc potius eius vita famaque inclinat, ut conscius sceleris fuerit cuius causa erat. Ante aedem divi Iulii iacuit primo ictu in poplitem, mox ab Iulio Caro, legionario milite, in utrumque latus transverberatus. Insignem 43
illa die virum Sempronium Densum aetas nostra vidit. Centurio is praetoriae cohortis ac Galbae custodiae [et a Pisonis] additus, stricto pugione occurrens armatis et scelus exprobrans, ac modo manu, modo voce vertendo in se percussores, quamquam vulnerato Pisoni effugium dedit. Piso in aedem Vestae pervasit, exceptusque misericordia publici servi et contubernio eius abditus non religione nec caerimoniis sed latebra imminens exitium differebat, cum advenere missu Othonis nominatim in caedem eius ardentes Sulpicius Florus, e Britannicis cohortibus, nuper a Galba civitate donatus, et Statius Murcus speculator, a quibus protractus Piso in foribus templi trucidatur. Nullam caedem Otho maiore 44
laetitia excepisse, nullum caput tam insatiabilibus oculis perlustrasse dicitur, seu tum primum levata omni sollicitudine mens vacare gaudio coeperat, seu recordatio maiestatis in Galba, amicitiae in Tito Iunio quamvis inmitem animum imagine tristi confuderat: Pisonis ut inimici et aemuli caede laetari ius fasque credebat. Praefixa contis capita gestabantur inter signa cohortium, iuxta aquilam legionis, certatim ostentantibus cruentas manus qui occiderant, qui interfuerant, quique vere qui falso, ut pulchrum et memorabile facinus iactabant. Plures quam centum viginti libellos praemium exposcentium ob aliquam notabilem illa die operam Vitellius postea invenit, omnesque conquiri et interfici iussit, non

1 formi di ne (di *ab altera m.*) conscientiam *Acidalius* 4 Caro *R*: cario 7 is *G*: his ac Galbae *codex Farnesianus et Muretus*: agalbae (a Galba *L*) *custodiae [et a Pisonis]: custodiet apisonis *vulgo* custodiae Pisonis *L*) 11 aedem] cade^{a} 12 cerimoniis 14 ardentis *Heinsius* 15 brittannicis nup galba 17 trucidatur *G*: trucidatus (trucidatus est *Halm*) 18 capud 20 uacare *G*: uagare ceperat 21 Iunio ꝯ: unio imagine^{a} *pr* 25 *quique: que (= quiue, *unde feci* quique, ꝯ qui) 28 illā diē *pr* uetellius

honore Galbae, sed tradito principibus more munimentum ad praesens, in posterum ultionem.

45 Alium crederes senatum, alium populum: ruere cuncti in castra, anteire proximos, certare cum praecurrentibus, increpare Galbam, laudare militum iudicium, exosculari Othonis manum; quantoque magis falsa erant quae fiebant, tanto plura facere. Nec aspernabatur singulos Otho, avidum et minacem militum animum voce vultuque temperans. Marium Celsum, consulem designatum et Galbae usque in extremas res amicum fidumque, ad supplicium expostulabant, industriae eius innocentiaeque quasi malis artibus infensi. Caedis et praedarum initium et optimo cuique perniciem quaeri apparebat; sed Othoni nondum auctoritas inerat ad prohibendum scelus: iubere iam poterat. Ita simulatione irae vinciri iussum, et maiores poenas daturum adfirmans, praesenti exitio subtraxit.

46 Omnia deinde arbitrio militum acta. Praetorii praefectos sibi ipsi legere; Plotium Firmum, e manipularibus quondam, tum vigilibus praepositum et incolumi adhuc Galba partes Othonis secutum; adiungitur Licinius Proculus, intima familiaritate Othonis suspectus consilia eius fovisse. Vrbi Flavium Sabinum praefecere, iudicium Neronis secuti, sub quo eandem curam obtinuerat, plerisque Vespasianum fratrem in eo respicientibus. Flagitatum ut vacationes praestari centurionibus solitae remitterentur: namque gregarius miles ut tributum annuum pendebat. Quarta pars manipuli sparsa per commeatus aut in ipsis castris vaga; dum mercedem centurioni exolveret, neque modum oneris quisquam neque genus quaestus pensi habebat: per latrocinia et raptus aut servilibus ministeriis militare otium redimebant. Tum locupletissimus quisque miles labore ac saevitia fatigari, donec vacationem emeret. Vbi sumptibus exhaustus socordia insuper elanguerat, inops pro locuplete et iners pro strenuo in ma-

4 ante hire 9 Celsum ς: celso c̄sulem signatum 10 ad *G*: *om* 11 innocentiae quę 14 scęlus .15 pęnas praesenti exitio *G*: praesenti tiexilio (*sic*) 21 suspectus *G*: suspecta 22 sauinum 25 nanq; 26 manipuli sparsa *Pichena*: manipulis. pars 29 quaestūs *pr* 31 uacationem *G*: ua|tionem

nipulum redibat; ac rursus alius atque alius, eadem egestate ac licentia corrupti, ad seditiones et discordias et ad extremum in bella civilia ruebant. Sed Otho ne vulgi largitione centurionum animos averteret,.. et fiscum suum vacationes annuas exsoluturum promisit, rem haud dubie utilem et a bonis postea principibus perpetuitate disciplinae firmatam. Laco praefectus, tamquam in insulam seponeretur, ab evocato, quem ad caedem eius Otho praemiserat, confossus; in Marcianum Icelum ut in libertum palam animadversum. Exacto per scelera die novissimum malorum fuit laetitia. 47 Vocat senatum praetor urbanus, certant adulationibus ceteri magistratus, adcurrunt patres; decernitur Othoni tribunicia potestas et nomen Augusti et omnes principum honores, adnitentibus cunctis abolere convicia ac probra, quae promisce iacta haesisse animo eius nemo sensit: omisisset offensas an distulisset, brevitate imperii in incerto fuit. Otho cruento adhuc foro per stragem iacentium in Capitolium atque inde in Palatium vectus concedi corpora sepulturae cremarique permisit. Pisonem Verania uxor ac frater eius Scribonianus, Titum Iunium Crispina filia composuere, quaesitis redemptisque capitibus, quae venalia interfectores servaverant. Piso unum et tricesimum aetatis annum explebat, 48 fama meliore quam fortuna. Fratres eius Magnum Claudius, Crassum Nero interfecerant: ipse diu exul, quadriduo Caesar, properata adoptione ad hoc tantum maiori fratri praelatus est, ut prior occideretur. Titus Iunius quinquaginta septem annos variis moribus egit. Pater illi praetoria familia, maternus avus e proscriptis. Prima militia infamis: legatum Calvisium Sabinum habuerat, cuius uxor mala cupidine vi-
sendi situm castrorum per noctem militari habitu ingressa,

3 in bella *Heinsius*: bella uolgi 4 *auerteret,..et fiscum: aūteret. et fiscum (*expleveris* auerteret, utrisque satisfecit, et fiscum; *Iac. Gronovius* auerteret, fiscum) 5 dubię 7 euocato, quem *G*: euocatoq; 11 uacat 15 omisisset offensas *G*: omisisse tot fensas 17 stragem ς: strage 19 *frater eius: frs̄ (frater *G; cf. c.* 48) 20 Iunium ς: umum 24 intfecerat (n *fortasse m. retere*) exul *G*: exui quatriduo ς 26 Iunius ς: umus ritum *potius*

cum vigilias et cetera militiae munia eadem lascivia temptasset, in ipsis principiis stuprum ausa est. Criminis huius reus Titus Iunius arguebatur. Igitur iussu C. Caesaris oneratus catenis, mox mutatione temporum dimissus, cursu honorum inoffenso legioni post praeturam praepositus probatusque, servili deinceps probro respersus est tamquam scyphum aureum in convivio Claudii furatus; et Claudius postera die soli omnium Iunio fictilibus ministrari iussit. Sed Iunius proconsulatu Galliam Narbonensem severe integreque rexit; mox Galbae amicitia in abruptum tractus, audax callidus, promptus et, prout animum intendisset, pravus aut industrius, eadem vi. Testamentum Titi Iunii magnitudine opum inritum; Pisonis supremam voluntatem paupertas firmavit.

49 Galbae corpus, diu neglectum, et licentia tenebrarum plurimis ludibriis vexatum, dispensator Argius, e prioribus servis, humili sepultura in privatis eius hortis contexit. Caput per lixas calonesque *conto* suffixum laceratumque ante Patrobii tumulum (libertus is Neronis punitus a Galba fuerat) postera demum die repertum et cremato iam corpori admixtum est. Hunc exitum habuit Servius Galba, tribus et septuaginta annis quinque principes prospera fortuna emensus et alieno imperio felicior quam suo. Vetus in familia nobilitas, magnae opes: ipsi medium ingenium, magis extra vitia quam cum virtutibus. Famae nec incuriosus nec venditator; pecuniae alienae non appetens, suae parcus, publicae avarus; amicorum libertorumque, ubi in bonos incidisset, sine reprehensione patiens, si mali forent, usque ad culpam ignarus. Sed claritas natalium et metus temporum obtentui, ut quod segnitia erat, sapientia vocaretur. Dum vigebat aetas, militari laude apud Germanias floruit. Pro consule Africam moderate, iam senior citeriorem Hispaniam pari iustitia con-

1 tẽptasset *Puteolanus* : tẽperasset (temerasset *R*) 2 *ausa est : ausa. et 3 Iunius ς : uınıus 7 dies (s *expunctum rec. m.*) solionniū 8 Iunio, *mox* Iunius ς : uınıo, *mox* uınıus pro consule *potius, ut Halm coniecit* 9 seuere (*sic*) 10 callidus *G* : calidus 12 Iunii ς : uını 16 capud *calonesque conto : calonesque (*v. c.* 44 *et Dionis* 64 6 : *καὶ τὴν κεφαλὴν ἀποκόψαντες περὶ κοντὸν ἐνέπειραν*) 18 is *G* : his 23 magis *G* : magnis uicia uitia

tinuit, maior privato visus, dum privatus fuit, et omnium consensu capax imperii, nisi imperasset.

Trepidam urbem ac simul atrocitatem recentis sceleris, 50
simul veteres Othonis mores paventem novus insuper de Vitellio nuntius exterruit, ante caedem Galbae suppressus, ut tantum superioris Germaniae exercitus descivisse crederetur. Tum duos omnium mortalium inpudicitia ignavia luxuria deterrimos velut ad perdendum imperium fataliter electos non senatus modo et eques, quisque aliqua pars et cura rei publicae, sed vulgus quoque palam maerere. Nec iam recentia saevae pacis exempla, sed repetita bellorum civilium memoria captam totiens suis exercitibus urbem, vastitatem Italiae, direptiones provinciarum, Pharsaliam Philippos, et Perusiam ac Mutinam, nota publicarum cladium nomina, loquebantur. Prope eversum orbem, etiam cum de principatu inter bonos certaretur, sed mansisse C. Iulio, mansisse Caesare Augusto victore imperium; mansuram fuisse sub Pompeio Brutoque rem publicam: nunc pro Othone an pro Vitellio in templa ituros? Vtrasque impias preces, utraque detestanda vota inter duos, quorum bello solum id scires, deteriorem fore qui vicisset. Erant qui Vespasianum et arma Orientis augurarentur; et ut potior utroque Vespasianus, ita bellum aliud atque alias clades horrebant. Et ambigua de Vespasiano fama; solusque omnium ante se principum in melius mutatus est.

Nunc initia causasque motus Vitelliani expediam. Caeso 51
cum omnibus copiis Iulio Vindice ferox praeda gloriaque exercitus, ut cui sine labore ac periculo ditissimi belli victoria evenisset, expeditionem et aciem, praemia quam stipendia malebat. Diu infructuosam et asperam militiam toleraverant ingenio loci caelique et severitate disciplinae, quam in pace inexorabilem discordiae civium resolvunt, paratis utrimque corruptoribus et perfidia inpunita. Viri arma equi

6 *exercitus : exercitūs (exercitum *G et vulgo*) 8 uelud 9 *quisque : quis 10 rei .p. *et sic plerumque* uolgus merere 13 pharsaliam *G* : pars aliā 14 et psiā claudium *pr* 18 othonē *pr* 19 templa *G* : templo 24 in melius *G* : Imelius 25 mutatus *G* : mu|tus 30 mallebat toleraverat ς

ad usum et ad dedecus supererant. Sed ante bellum centurias tantum suas turmasque noverant; exercitus finibus provinciarum discernebantur: tum adversus Vindicem contractae legiones, seque et Gallias expertae, quaerere rursum arma novasque discordias; nec socios, ut olim, sed hostes et victos vocabant. Nec deerat pars Galliarum, quae Rhenum accolit, easdem partes secuta ac tum acerrima instigatrix adversum Galbianos: hoc enim nomen fastidito Vindice indiderant. Igitur Sequanis Aeduisque ac deinde, prout opulentia civitatibus erat, infensi expugnationes urbium, populationes agrorum, raptus penatium hauserunt animo, super avaritiam et arrogantiam, praecipua validiorum vitia, contumacia Gallorum inritati, qui remissam sibi a Galba quartam tributorum partem et publice donatos in ignominiam exercitus iactabant. Accessit callide vulgatum, temere creditum, decumari legiones et promptissimum quemque centurionum dimitti. Vndique atroces nuntii, sinistra ex urbe fama; infensa Lugdunensis colonia et pertinaci pro Nerone fide fecunda rumoribus. Sed plurima ad fingendum credendumque materies in ipsis castris, odio metu et, ubi vires suas respexerant,
52 securitate. Sub ipsas superioris anni kalendas Decembres Aulus Vitellius inferiorem Germaniam ingressus hiberna legionum cum cura adierat. Redditi plerisque ordines, remissa ignominia, adlevatae notae, plura ambitione, quaedam iudicio, in quibus sordes et avaritiam Fontei Capitonis *in* adimendis adsignandisve militiae ordinibus integre mutaverat. Nec consularis legati mensura, sed in maius omnia accipiebantur. Et ut Vitellius apud severos humilis, ita comitatem bonitatemque faventes vocabant, quod sine modo, sine iudicio donaret sua, largiretur aliena; simul aviditate impetrandi ipsa vitia pro virtutibus interpretabantur. Multi in utroque exercitu sicut

1 decus ς 3 contractae *R*: confractae 4 rursūs *pr*, rursus *corr* 6 qua herenᵭ (que rhenum *G*) 7 acerrimā *pr* 8 *fortasse* illis indiderant 11 pęnatium hauser̃ (hauserant *Haase*) 14 publicę 15 uolgatum 18 lugdonensis fecunda *G*: facunda 21 ipsas *G*: ipsa K*t*. đec. 25 sordes *Acidalius*: sorde| (sordē *G*) *in: *om* 26 ad signandis suę (assignandis ue *G*) 27 et ut *R*: et 30 impe-randi *Agricola*: Imperandi (imperi dandi *Nipperdey*)

modesti quietique, ita mali et strenui: sed profusa cupidine et insigni temeritate legati legionum Alienus Caecina et Fabius Valens; e quibus Valens infensus Galbae, tamquam detectam a se Verginii cunctationem, oppressa Capitonis consilia ingrate tulisset, instigare Vitellium, ardorem militum ostentans: ipsum celebri ubique fama, nullam in Flacco Hordeonio moram; adfore Britanniam, secutura Germanorum auxilia; male fidas provincias, precarium seni imperium et brevi transiturum: panderet modo sinum et venienti Fortunae occurreret. Merito dubitasse Verginium, equestri familia, ignoto patre, inparem, si recepisset imperium, tutum, si recusasset: Vitellio tres patris consulatus, censuram, collegium Caesaris et inponere iampridem imperatoris dignationem et auferre privati securitatem. Quatiebatur his segne ingenium, ut con- 53
cupisceret magis quam ut speraret. At in superiore Germania Caecina, decorus iuventa, corpore ingens, animi inmodicus, scito sermone, erecto incessu, studia militum inlexerat. Hunc [iuvenem] Galba quaestorem in Baetica, inpigre in partes suas transgressum legioni praeposuit; mox conpertum publicam pecuniam avertisse ut peculatorem flagitari iussit. Caecina aegre *id* passus miscere cuncta et privata vulnera rei publicae malis operire statuit. Nec deerant in exercitu semina discordiae, quod et bello adversus Vindicem universus adfuerat, nec nisi occiso Nerone translatus in Galbam atque in eo ipso sacramento vexillis inferioris Germaniae praeventus erat. Et Treviri ac Lingones, quasque alias civitates atrocibus edictis aut damno finium Galba perculerat, hibernis legionum propius miscentur: unde seditiosa colloquia et inter paganos corruptior miles et in Verginium favor cuicumque alii profuturus. Miserat 54

2 et Fabius *G* : et bius 5 ostentans *G* : obtentans 6 nulla 7 brittanniam 8 malę 9 fortuna *pr* 11 tutum *G* : titū 15 at ς : Ad 16 decorus *Baiter* : deco ri (*sic;* decora ς) 17 scito *L* : cito 18 [iuuenem] *Nipperdey* 20 c̃pertū 21 *aegre id : egre (*H. 3 53 : aegre id pati Antonius; *Heinsius* id Caecina) 22 uolnera 25 galba. (galbã *G*) 26 inferioribus *pr* (*correctum fortasse ead. m.*) Treuiri] treue ri (*in huius nominis syllaba paenultima Mediceus* i *habet in Hist. septendecim, e octo locis, idem* treuir *H.* 3 35) 30 ūgeniū fabor *pr* cuicūque

civitas Lingonum vetere instituto dona legionibus dextras, hospitii insigne. Legati eorum in squalorem maestitiamque compositi, per principia per contubernia modo *inuecti* in suas iniurias, modo vicinarum civitatium praemia, et ubi pronis militum auribus accipiebantur, ipsius exercitus pericula et contumelias conquerentes, accendebant animos. Nec procul seditione aberant, cum Hordeonius Flaccus abire legatos, utque occultior digressus esset, nocte castris excedere iubet. Inde atrox rumor, adfirmantibus plerisque interfectos, ac ni sibi ipsi consulerent, fore ut acerrimi militum et praesentia conquesti per tenebras et inscitiam ceterorum occiderentur. Obstringuntur inter se tacito foedere legiones; adsciscitur auxiliorum miles, primo suspectus tamquam circumdatis cohortibus alisque impetus in legiones pararetur, mox eadem acrius volvens, faciliore inter malos con-
55 sensu ad bellum quam in pace ad concordiam. Inferioris tamen Germaniae legiones sollemni kalendarum Ianuariarum sacramento pro Galba adactae, multa cunctatione et raris primorum ordinum vocibus, ceteri silentio proximi cuiusque audaciam expectantes, insita mortalibus natura, propere sequi quae piget inchoare. Sed ipsis legionibus inerat diversitas animorum: primani quintanique turbidi adeo, ut quidam saxa in Galbae imagines iecerint: quinta decuma ac sexta decuma legiones nihil ultra fremitum et minas ausae initium erumpendi circumspectabant. At in superiore exercitu quarta ac duoetvicesima legiones, isdem hibernis tendentes, ipso kalendarum Ianuariarum die derumpunt imagines Galbae, quarta legio promptius, duoetvicesima cunctanter, mox consensu. Ac ne reverentiam imperii exuere viderentur, senatus populique Romani obliterata iam nomina sacramento advocabant, nullo legatorum tribuno-

1 longonū *pr* 2 mestitiamque 3 *inuecti in suas : Insuas (suas ꝯ *et vulgo*) 10 ni sibi *Halm* : nisi 12 fe̊dere legiones ꝯ : legione 17 Kℓ. *perinde paulo post et c.* 56 21 pigit (*per assimilandi vitium*) 24 fremitu 26 duo et uicesima (*sic*) hisdem 27 *derumpunt : dirrumpunt (*simile est c.* 41 dereptam Galbae imaginem, *H.* 3 13 Vitellii imagines dereptae) 28 promptius *G* : promptus duo et uicesima 31 sacramento *G* : sacramenta

rumve pro Galba nitente, quibusdam, ut in tumultu, notabilius turbantibus. Non tamen quisquam in modum contionis aut e suggestu locutus: neque enim erat adhuc cui inputaretur. Spectator flagitii Hordeonius Flaccus, consularis 56
legatus, aderat, non compescere ruentes, non retinere dubios, non cohortari bonos ausus, sed segnis pavidus, et socordia innocens. Quattuor centuriones duoetvicesimae legionis, Nonius Receptus, Donatius Valens, Romilius Marcellus, Calpurnius Repentinus, cum protegerent Galbae imagines, impetu militum abrepti vinctique. Nec cuiquam ultra fides aut memoria prioris sacramenti, sed quod in seditionibus accidit, unde plures erant, omnes fuere.

Nocte quae kalendas Ianuarias secuta est, in coloniam Agrippinensem aquilifer quartae legionis epulanti Vitellio nuntiat, quartam et duoetvicensimam legiones proiectis Galbae imaginibus in senatus ac populi Romani verba iurasse. Id sacramentum inane *convivis* visum: occupari nutantem fortunam et offerri principem placuit. Missi a Vitellio ad legiones legatosque qui descivisse a Galba superiorem exercitum nuntiarent: proinde aut bellandum adversus desciscentes aut, si concordia et pax placeat, faciendum imperatorem: et minore discrimine sumi principem quam quaeri. Proxima legionis primae hiberna erant et promptissimus e 57
legatis Fabius Valens. Is die proximo coloniam Agrippinensem cum equitibus legionis auxiliariorumque ingressus imperatorem Vitellium consalutavit. Secutae ingenti certamine eiusdem provinciae legiones; et superior exercitus, speciosis senatus populique Romani nominibus relictis, tertium nonas Ianuarias Vitellio accessit: scires illum priore biduo non penes rem publicam fuisse. Ardorem exercituum Agrippinenses, Treviri, Lingones aequabant, auxilia equos,

3 aut e *Heinsius* : aut (e *omisso* aut *Groslotius*) 6 cohartari 7 duo et uincesimae 10 abrepti *G* : abrecti 12 unde *G* : Inde 15 duo et uicensimam 17 *conuiuis uisum : uisum 22 queri 23 *fortasse* hiberna Bonnensia 24 die postero ς Agrippinensem] agrippiniensem, *mox* agrippienses (*cf. H.* 1 56, 4 20 *et* 25 *et* 28 *et* 56 *et* 79, *G.* 28) 25 ingressus *G* : gressus 30 penes

arma pecuniam offerentes, ut quisque corpore opibus ingenio validus. Nec principes modo coloniarum aut castrorum, quibus praesentia ex affluenti et parta victoria magnae spes, sed manipuli quoque et gregarius miles viatica sua et balteos falerasque[, insignia armorum argento decora,] loco
58 pecuniae tradebant, instinctu et impetu, et avaritia. Igitur laudata militum alacritate Vitellius ministeria principatus per libertos agi solita in equites Romanos disponit; vacationes centurionibus ex fisco numerat; saevitiam militum plerosque ad poenam exposcentium saepius adprobat, raro simulatione vinculorum frustratur. Pompeius Propinquus, procurator Belgicae, statim interfectus; Iulium Burdonem, Germanicae classis praefectum, astu subtraxit. Exarserat in eum iracundia exercitus, tamquam crimen ac mox insidias Fonteio Capitoni struxisset. Grata erat memoria Capitonis, et apud saevientes occidere palam, ignoscere non nisi fallendo licebat: ita in custodia habitus et post victoriam demum, stratis iam militum odiis, dimissus est. Interim ut piaculum obicitur centurio Crispinus; sanguine Capitonis se cruentaverat, eoque et postulantibus manifestior et punienti
59 vilior fuit. Iulius deinde Civilis periculo exemptus, praepotens inter Batavos, ne supplicio eius ferox gens alienaretur. Et erant in civitate Lingonum octo Batavorum cohortes, quartae decimae legionis auxilia, tum discordia temporum a legione digressae, prout inclinassent, grande momentum sociae aut adversae. Nonium, Donatium, Romilium, Calpurnium centuriones, de quibus supra rettulimus, occidi iussit, damnatos fidei crimine, gravissimo inter desciscentes. Accessere partibus Valerius Asiaticus, Belgicae provinciae legatus, quem mox Vitellius generum adscivit, et Iunius Blaesus, Lugdunensis Galliae rector, cum Italica legione et ala Tauriana,

1 pecuniã corporeo 2 ualidus *G*: ualidis (*fortasse* ualidi) 5 falerasque] phalerasque ς: *cf. ad* 12 36 *[.insignia—decora.] : insignia—decora 6 instincti *Classen; cf. H.* 2 46. *G.* 25 10 pœnam raro *Iacob*: paro (partim *L*) 12 belligicę burdonem *G*: burdunē 18 stratis ς: statis (sedatis *Doederlein*) 19 sanguine Capitonis se *Iac. Gronovius*: sanguine capitoni (qui se sang. Capitonis *G*, is se sang. Cap. *Haase*) 22 batabos 25 *fortasse* digressae ac, prout 30 blesus

Lugduni tendentibus. Nec in Raeticis copiis mora, quo minus statim adiungerentur. Ne in Britannia quidem dubitatum. Praeerat Trebellius Maximus, per avaritiam ac sordes contemptus exercitui invisusque. Accendebat odium eius Roscius Caelius, legatus vicensimae legionis, olim discors, sed occasione civilium armorum atrocius proruperat. Trebellius seditionem et confusum ordinem disciplinae Caelio, spoliatas et inopes legiones Caelius Trebellio obiectabat, cum interim foedis legatorum certaminibus modestia exercitus corrupta eoque discordiae ventum, ut auxiliarium quoque militum conviciis proturbatus, et adgregantibus se Caelio cohortibus alisque desertus Trebellius ad Vitellium perfugerit. Quies provinciae, quamquam remoto consulari, mansit: rexere legati legionum, pares iure, Caelius audendo potentior. 60

Adiuncto Britannico exercitu ingens viribus opibusque Vitellius duos duces, duo itinera bello destinavit: Fabius Valens allicere vel, si abnuerent, vastare Gallias et Cottianis Alpibus Italiam inrumpere, Caecina propiore transitu Poeninis iugis degredi iussus. Valenti inferioris exercitus electi cum aquila quintae legionis et cohortibus alisque, ad quadraginta milia armatorum data; triginta milia Caecina e superiore Germania ducebat, quorum robur legio unaetvicensima fuit. Addita utrique Germanorum auxilia, e quibus Vitellius suas quoque copias supplevit, tota mole belli secuturus. Mira inter exercitum imperatoremque diversitas. Instare miles, arma poscere, dum Galliae trepident, dum Hispaniae cunctentur: non obstare hiemem neque ignavae pacis moras; invadendam Italiam, occupandam urbem; nihil in discordiis civilibus festinatione tutius, ubi facto magis 61 62

1 reticis quominus 2 brittania 3 trebelius *G* : trebellinus sordes ϝ : sorde 5 uicensime 6 proruperat 8 celius tribellio 9 fed; (fedis *G*) 11 cuiciis celio 14 audendo *G* : audiendo 15 brittannico 17 abnuerent *R* : abnuerint 18 italiã *G* : italia 19 Poeninis *R* : pennis degredi 22 unaetuicensima] una et uicesima *L* : una prima et uicensima (*cf.* 1 31 *et* 37 *et* 45 *et* 51 *et* 64, *H.* 1 67, 2 43 *et* 100, 3 14, 4 68 *et* 70 *et* 78; *sic etiam* duoetuicesima, *numquam* secunda et uicesima) 25 mira inter *G* : mirante 29 ciuilibus festinatione ϝ : uilib; festinatius'ne

quam consulto opus esset. Torpebat Vitellius et fortunam principatus inerti luxu ac prodigis epulis praesumebat, medio diei temulentus et sagina gravis, cum tamen ardor et vis militum ultro ducis munia implebat, ut si adesset imperator et strenuis vel ignavis spem metumque adderet. Instructi intentique signum profectionis exposcunt; nomen Germanici Vitellio statim additum: Caesarem se appellari etiam victor prohibuit. Laetum augurium Fabio Valenti exercituique, quem in bellum agebat, ipso profectionis die; aquila leni meatu, prout agmen incederet, velut dux viae praevolavit, longumque per spatium is gaudentium militum clamor, ea quies interritae alitis fuit, ut haud dubium magnae et prosperae rei omen acciperetur.

63 Et Treviros quidem ut socios securi adiere: Divoduri (Mediomatricorum id oppidum est) quamquam omni comitate exceptos subitus pavor terruit, raptis derepente armis ad caedem innoxiae civitatis, non ob praedam aut spoliandi cupidinem, set furore et rabie et causis incertis, eoque difficilioribus remediis, donec precibus ducis mitigati ab excidio civitatis temperavere; caesi tamen ad quattuor milia hominum. Isque terror Gallias invasit, ut venienti mox agmini universae civitates cum magistratibus et precibus occurrerent, stratis per vias feminis puerisque, quaeque alia placamenta hostilis irae, non quidem in bello, sed pro pace
64 tendebantur. Nuntium de caede Galbae et imperio Othonis Fabius Valens in civitate Leucorum accepit. Nec militum animus in gaudium aut formidinem permotus: bellum volvebat. Gallis cunctatio exempta; et in Othonem ac Vitellium odium par, ex Vitellio et metus. Proxima Lingonum civitas erat, fida partibus. Benigne excepti modestia certavere, sed brevis

1 fortuna 2 inerti *G*: Inmerti 6 nom̄ (*h. e.* nomen) 7 additum ç: additō 8 exercitui quę 9 leni *Pichena et Acidalius*: leui 12 Intrita ealitis 13 omen *G*: nom̄ accipiret (*sic*) 14 treueros ç 16 raptis derepente *Gronovius*: raptisae repente (raptis repente ç) 18 cupidinē *pr*, cupidine *corr* sed *G*: et rabię 20 *caesi: caesa ad quattuor *G*: aquattuor 25 tendebant *Muretus* 26 leucorum *P*[illegible] lou chrorū (*sic*) 27 formidinē *G*: formidine uoluebant

laetitia fuit. Cohortium intemperie, quas a legione quarta decima, ut supra memoravimus, digressas exercitui suo Fabius Valens adiunxerat, iurgia primum, mox rixa inter Batavos et legionarios, dum his aut illis studia militum adgregantur, prope in proelium exarsere, ni Valens animadversione paucorum oblitos iam Batavos imperii admonuisset. Frustra adversus Aeduos quaesita belli causa: iussi pecuniam atque arma deferre gratuitos insuper commeatus praebuere. Quod Aedui formidine, Lugdunenses gaudio fecere. Sed legio Italica et ala Tauriana abductae: cohortem octavam decimam Lugduni, solitis sibi hibernis, relinqui placuit. Manlius Valens, legatus Italicae legionis, quamquam bene de partibus meritus, nullo apud Vitellium honore fuit: secretis eum criminationibus infamaverat Fabius ignarum et, quo incautior deciperetur, palam laudatum. Veterem inter Lugdunenses 65
ac Viennenses discordiam proximum bellum accenderat. Multae in vicem clades, crebrius infestiusque quam ut tantum propter Neronem Galbamque pugnaretur. Et Galba reditus Lugdunensium occasione irae in fiscum verterat; multus contra in Viennenses honor: unde aemulatio et invidia et uno amne discretis conexum odium. Igitur Lugdunenses extimulare singulos militum et in eversionem Viennensium inpellere, obsessam ab illis coloniam suam, adiutos Vindicis conatus, conscriptas nuper legiones in praesidium Galbae referendo. Et ubi causas odiorum praetenderant, magnitudinem praedae ostendebant. Nec iam secreta exhortatio, sed publicae preces: irent ultores, excinderent sedem Gal-

1 fuit. cohortium *et mox* adiunxerat, iurgia *distinxit Freudenberg, gymnasii Bonnensis professor* : fuit cohortium *et mox* adiunxerat. iurgia *vulgo* quarta decima] quat'tuordecī (XIIII. *G*) 2 digressas (*sic*) 3 adiunc xerat 4 his *G* : Is 5 animaduersionē 8 deferre *G* : deferret 10 Tauriana] *c.* 59 *clare legitur* tauriana, *nunc in rasura ad legendum difficili* taurina *octauam decimam : XVIII (duodeuicesimam ϛ, decimam octauam *L*; *cf. H.* 1 80 *et Prisciauus* de figuris numerorum 5 21) 14 ignarūs 16 *ac Viennenses : *om* (uienēsesque *Puteolanus*, Viennensesque *B*, et Viennenses *Orelli*; *cf. c.* 53 : Treuiri ac Lingones. *c.* 66 : Allobrogum ac Vocontiorum. *H.* 2 8 : Achaia atque Asia. *c.* 9 : Galatiam ac Pamphyliam; *ibid.* in Asiam atque inde Romam) 25 magnitudinem *G* : magnitudine 26 exortatio

lici belli; cuncta illic externa et hostilia: se coloniam Romanam et partem exercitus et prosperarum adversarumque rerum socios; si fortuna contra daret, iratis ne relinquerentur. His et pluribus in eundem modum *militem* perpulerant, ut ne legati quidem ac duces partium restingui posse iracundiam exercitus arbitrarentur, cum haud ignari discriminis sui Viennenses, velamenta et infulas praeferentes, ubi agmen incesserat, arma genua vestigia prensando flexere militum animos; addidit Valens trecenos singulis militibus sestertios. Tum vetustas dignitasque coloniae valuit, et verba Fabii salutem incolumitatemque Viennensium commendantis aequis auribus accepta; publice tamen armis multati privatis et promiscuis copiis iuvere militem. Sed fama constans fuit ipsum Valentem magna pecunia emptum. Is diu sordidus, repente dives mutationem fortunae male tegebat, accensis egestate longa cupidinibus inmoderatus et inopi iuventa senex prodigus. Lento deinde agmine per fines Allobrogum ac Vocontiorum ductus exercitus, ipsa itinerum spatia et stativorum mutationes venditante duce, foedis pactionibus adversus possessores agrorum et magistratus civitatum, adeo minaciter ut Luco (municipium id Vocontiorum est) faces admoverit, donec pecunia mitigaretur. Quotiens pecuniae materia deesset, stupris et adulteriis exorabatur. Sic ad Alpes perventum.

Plus praedae ac sanguinis Caecina hausit. Inritaverant turbidum ingenium Helvetii, Gallica gens, olim armis virisque, mox memoria nominis clara, de caede Galbae ignari et Vitellii imperium abnuentes. Initium bello fuit avaritia ac festinatio unaetvicensimae legionis; rapuerant pecuniam missam in stipendium castelli, quod olim Helvetii suis militibus ac stipendiis tuebantur. Aegre id passi Helvetii, interceptis epistulis, quae nomine Germanici exercitus ad Panno-

3 contra daret ς : c̃traderet 4 *militem : *om* (*cf.* 4 42, 6 39 = 33, 11 29 *et* 36, 12 50, 13 54, *H.* 2 62) 5 ne *Gronovius* : nec posse *G* : posset 6 ignari *G* : ignaris 10 uetustas *G* : uetusta fabi 11 uiensiū 12 auribus *G* : saxuribus publicę 15 mutatio tione (*sic*) 17 agminine Allobrogum a ac uocantiorū 19 fœdis 24 Caecina] p̃ cęcina 25 helueti olim *R* : solim 26 decede 28 una et uicensimae 29 mis ssam soli *pro* olim *Heinsius* (olim *calet* diu est ex quo) 31 epistulis] eptis *pro more suo*

nicas legiones ferebantur, centurionem et quosdam militum in custodia retinebant. Caecina belli avidus proximam quamque culpam, antequam poeniteret, ultum ibat: mota propere castra, vastati agri, direptus longa pace in modum municipii extructus locus, amoeno salubrium aquarum usu frequens; missi ad Raetica auxilia nuntii, ut versos in legionem Helvetios a tergo adgrederentur. Illi ante discrimen feroces, in 68
periculo pavidi, quamquam primo tumultu Claudium Severum ducem legerant, non arma noscere, non ordines sequi, non in unum consulere. Exitiosum adversus veteranos proelium, intuta obsidio dilapsis vetustate moenibus; hinc Caecina cum valido exercitu, inde Raeticae alae cohortesque, et ipsorum Raetorum iuventus, sueta armis et more *Romanae* militiae exercita. Vndique populatio et caedes: ipsi medio vagi, abiectis armis, magna pars saucii aut palantes, in montem Vocetium perfugere. Ac statim inmissa cohorte Thracum depulsi, et consectantibus Germanis Raetisque per silvas atque in ipsis latebris trucidati. Multa hominum milia caesa, multa sub corona venundata. Cumque dirutis omnibus Aventicum, gentis caput, iusto agmine peteretur, missi qui dederent civitatem, et deditio accepta. In Iulium Alpinum e principibus, ut concitorem belli, Caecina animadvertit: ceteros veniae vel saevitiae Vitellii reliquit. Haud facile dictu est, 69
legati Helvetiorum minus placabilem imperatorem an militem invenerint. Civitatis excidium poscunt, tela ac manus in ora legatorum intentant. Ne Vitellius quidem minis ac verbis

2 quanque 3 poeniteret *B* : paeniteret 6 retica heluitios 10 ꝓeliū, *h. e.* proelium, *ubi vera scriptura compendii praesidio servata est; cf. ad* 1 26 12 reticae, *tum* rethorum, *mox* rhetisque (*sic*) 13 *more Romanae : more (Romanae more *Heinsius*) 14 undeque in medio *Puteolanus* n̄agi 20 capud dederent ꝯ : dedeř 22 anima⁊ adūtit 24 placa *his litteris Medicei folium* 57 *desinit* : *proxima* (bilem *usque ad c.* 75 incertum) *desunt Mediceo, cuis infima in margine alia manus annotavit* deest Carta, *h. e. unum folium; ad hunc locum, iam Poggii et Victorii temporibus elapsum, contuli post Baiterum duos recentes codices Laurentianos, plutei* 68 *quartum et quintum* (*a b*), saeculo 15 *descriptos ex vetere Mediceo, antequam illud folium perisset, item Gudianum* 25 ciuitatis *G* : nouitatis *a b* 26 minis ac uerbis *G* : uerbis ac minis *a*, uerbis et minis *b* (*cf. H.* 3 24 minis et uerbis)

temperabat, cum Claudius Cossus, unus ex legatis, notae facundiae, sed dicendi artem apta trepidatione occultans atque eo validior, militis animum mitigavit, ut est vulgus mutabile subitis, et tam pronum *perpulit* in misericordiam, quam inmodicus saevitiae fuerat. Effusis lacrimis et meliora constantius postulando impunitatem salutemque civitati impe-
70 travere. Caecina paucos in Helvetiis moratus dies, dum sententiae Vitellii certior fieret, simul transitum Alpium parans, laetum ex Italia nuntium accipit, alam Silianam circa Padum agentem sacramento Vitellii accessisse. Pro consule Vitellium Siliani in Africa habuerant; mox a Nerone, ut in Aegyptum praemitterentur, exciti et ob bellum Vindicis revocati ac tum in Italia manentes, instinctu decurionum, qui Othonis ignari, Vitellio obstricti robur adventantium legionum et famam Germanici exercitus attollebant, transiere in partes, et ut donum aliquod novo principi firmissima transpadanae regionis municipia, Mediolanum ac Novariam, et Eporediam et Vercellas adiunxere. Id Caecinae per ipsos compertum. Et quia praesidio alae unius latissima Italiae pars defendi nequibat, praemissis Gallorum Lusitanorumque et Britannorum cohortibus et Germanorum vexillis cum ala Petriana, ipse paulum cunctatus est, num Raeticis iugis in Noricum flecteret

1 cossus *G a* : Cossutianus *b* ex *G a* : e *b* 3 uulgus *Weissenborn* : mos uulgus *a b* ς, mos uulgo *G* mutabile *a b* ς : mutabilē *G* ς (*cf. H.* 1 80, 2 29) 4 *pronum perpulit : pronum *codices* misericordiam ς : misericordia *a b*, miseriam *G* 5 immodicus *Freinsheim* : ımodicum *a*, inmodicum *G b* saeuitiae *Heinsius* : saeuitia *codices* (*cf.* 53 animi inmodicus; 15 23 : maeroris inmodicus, *H.* 3 53 : inmodicus linguae, *ubi postremum* e *ante* et *in Mediceo periit*) 9 Silianam *ed. Bipontina*, *mox* Siliani : silanum *a b*, syllanam *G*, silanam *corr b*, *mox* silani *a b*, syllani *G* (Silianam *H.* 2 17 *habet vetus Mediceus*) 10 Pro consule *a* : proconsulem *G b* 12 ex acciti *a* reuocati *G* ς : prouocati *a b* 13 tum tamen *a* 15 transiere *Puteolanus* : transire *G a b* 16 donum *G in rasura* : domum *a*, domum *b* 17 religionis *a* eporediam *G* : epopediam *a b* 19 Italiae pars *a b* : pars italiae *G* 20 lusitanorumque et britannorum *a b* : Lusitanorum Britannorum que *G* 21 ala *Savilius* : alpe *a b* ς, alpae *G* Petriana *Henzen*, Petrina *Savilius* : triaria *a b*, tarina *G* (*cf. H.* 4 49; *Jahrb. des Vereins von Alterthumsfreunden im Rheinl.* XIII 73 *et* 80) 22 paulum *a b* : paululum *G* num *Puteolanus* : uñ *G*, ut *a b*

adversus Petronium Vrbicum procuratorem, qui concitis auxiliis et interruptis fluminum pontibus fidus Othoni putabatur. Sed metu ne amitteret praemissas iam cohortes alasque, simul reputans plus gloriae retenta Italia, et ubicumque certatum foret, Noricos in cetera victoriae praemia cessuros, Poenino itinere subsignanum militem et grave [legionum] agmen hibernis adhuc Alpibus transduxit.

Otho interim contra spem omnium non deliciis neque 71
desidia torpescere: dilatae voluptates, dissimulata luxuria et cuncta ad decorem imperii composita; eoque *prudentibus* plus formidinis adferebant falsae virtutes et vitia reditura. Marium Celsum, consulem designatum, per speciem vinculorum saevitiae militum subtractum, acciri in Capitolium iubet; clementiae titulus e viro claro et partibus inviso petebatur. Celsus constanter servatae erga Galbam fidei crimen confessus exemplum ultro imputavit. Nec Otho quasi ignosceret, sed ne hostem *eum* metueret, *nil* reconciliationis adhibens statim inter intimos amicos habuit, et mox bello inter duces delegit; mansitque Celso velut fataliter etiam pro Othone fides integra et infelix. Laeta primoribus civitatis, celebrata in vulgus Celsi salus ne militibus quidem ingrata fuit, eandem virtutem admirantibus cui irascebantur. Par inde exul- 72
tatio disparibus causis consecuta impetrato Tigillini exitio. Sophonius Tigillinus obscuris parentibus, foeda pueritia, impudica senecta, praefecturam vigilum et praetorii et alia praemia virtutum quia velocius erat vitiis adeptus, crudelitatem mox, deinde avaritiam [virilia scelera] exercuit, corrupto ad omne facinus Nerone, quaedam ignaro ausus, ac

1 Vrbicum *Freinsheim* : urbi *a b* ς, urbis *G* (*cf.* 11 35) 3 simul reputans ς : simula|reputans (*sic*) *a b*, simulac reputans *G* (*cf. H. c.* 83) 4 ubicunque *G* 5 caetera *G*, certa *a b* ς Poenino *R* : penino *G b*, pennino *a* 6 [legionum] *Nipperdey* 7 transduxit *a b* ς : traduxit *G* 8 delitiis *a* 10 *prudentibus plus : plus *codices* 17 *hostem eum : hostes *a b*, hostis *G* ς metueret *a* ς, moetueret *b* : metum *G* *nil reconciliationis : reconciliationis *G* ς, conciliationis *a* ς, consiliationis *b* (sed deos testes mutuae reconciliationis adhibens *Heraeus*) adhibens *a b* ς : adhiberet *G* 20 primoribus *R* : pro moribus *G a b* ς 24 Ophonius tigillinus *G a b* 27 *[uirilia scelera] : uirilia scelera *a b*, et uirilia scelera *G*

postremo eiusdem desertor ac proditor: unde non alium pertinacius ad poenam flagitavere, diverso affectu, quibus odium Neronis inerat et quibus desiderium. Apud Galbam Titi Iunii potentia defensus, praetexentis servatam ab eo filiam. Et haud dubie servaverat, non clementia, quippe tot interfectis, sed effugium in futurum, quia pessimus quisque diffidentia praesentium mutationem pavens adversus publicum odium privatam gratiam praeparat; unde nulla innocentiae cura, sed vices impunitatis. Eo infensior populus, addita ad vetus Tigillini odium recenti Titi Iunii invidia, concurrere e tota urbe in Palatium ac fora, et ubi plurima vulgi licentia, in circum ac theatra effusi seditiosis vocibus strepere, donec Tigillinus accepto apud Sinuessanas aquas supremae necessitatis nuntio, inter stupra concubinarum et oscula et deformes moras, sectis novacula faucibus infamem vitam
73 foedavit etiam exitu sero et inhonesto. Per idem tempus expostulata ad supplicium Calvia Crispinilla variis frustrationibus et adversa dissimulantis principis fama periculo exempta est. Magistra libidinum Neronis, transgressa in Africam ad instigandum in arma Clodium Macrum *et* famem populo Romano haud obscure molita, totius postea civitatis gratiam obtinuit, consulari matrimonio subnixa et apud Galbam Othonem Vitellium illaesa, mox potens pecunia et orbitate, quae bonis malisque temporibus iuxta valent.

74 Crebrae interim et muliebribus blandimentis infectae ab Othone ad Vitellium epistulae offerebant pecuniam et gratiam et quemcumque quietis locum prodigae vitae legisset. Paria Vitellius ostentabat, primo mollius, stulta utrim-

1 ac *G* : at *a b* 2 flagitauere *G* : flagitauerunt *a b* 5 et *G* : *om a b* 6 effugium *a b ς* : effugio *G* 7 mutatione *a* (*non b*) 9 uices *a b* : uitae *G* 11 palatium ac fora *G* : palatium et tota urbe ac fora *a b* 12 ac *G a* : et *b* seditiosis *G* : seditionibus *a b* (*in b correctum est* seditiosis), seditionis *ς* strepere *a b* : obstrepere *G* 16 fędauit *a* 17 Caluia *L ex Dione* 63 12 : galuia *G a*, Gallura *b* (*sic*) 20 affricam *a* *et famem : famem *codices* 21 .p. r. *a b* 22 optinuit *a* subnixa *a b ς* : innixa *G ς* 23 illesa *a* 24 iuxa *a* 25 blandimentis *a b ς* : blandiciis *G* 26 epistulae *G* : epulae *a b*, epistolae *corr b* offerebant *R* : offerebantur *codices* 27 quencunque *G* : quaecumque *b*, quaecu.nque *a* locis *b*

que et indecora simulatione, mox quasi rixantes stupra et flagitia in vicem obiectavere, neuter falso. Otho, revocatis quos Galba miserat legatis, rursus alios ad utrumque Germanicum exercitum et ad legionem Italicam easque quae Lugduni agebant copias specie senatus misit. Legati apud Vitellium remansere, promptius quam ut retenti viderentur; praetoriani, quos per simulationem officii legatis Otho adiunxerat, remissi antequam legionibus miscerentur. Addidit epistulas Fabius Valens nomine Germanici exercitus ad praetorias et urbanas cohortes, de viribus partium magnificas et concordiam offerentes; increpabat ultro, quod tanto ante traditum Vitellio imperium ad Othonem vertissent. Ita 75
promissis simul ac minis temptabantur, ut bello impares, *ita* in pace nihil amissuri; neque ideo praetorianorum fides mutata. Sed insidiatores ab Othone in Germaniam, a Vitellio in urbem missi. Vtrisque frustra fuit, Vitellianis impune, per tantam hominum multitudinem mutua ignorantia fallentibus: Othoniani. novitate vultus, omnibus in vicem gnaris, prodebantur. Vitellius litteras ad *Salvium* Titianum, fratrem Othonis, conposuit, exitium ipsi filioque eius minitans, ni incolumes sibi mater ac liberi servarentur. Set stetit domus utraque, sub Othone incertum an metu: Vitellius victor clementiae gloriam tulit.

Primus Othoni fiduciam addidit ex Illyrico nuntius, 76
iurasse in eum Dalmatiae ac Pannoniae et Moesiae legiones. Idem ex Hispania adlatum, laudatusque per edictum Cluvius Rufus: set statim cognitum est conversam ad Vitellium Hispaniam. Ne Aquitania quidem, quamquam ab Iulio Cordo in verba Othonis obstricta, diu mansit. Nusquam fides aut

1 et flagitia *G b* : ac fl. *a* 3 alios *G ς* : *om a b* 4 quae *corr b* : quas *a b*, quasi *G* 5 species *a* 8 addidit *G b ς* : addit *a* 9 epulas *a*, epistolas *G corr b* 11 increpabat *ς* : increpabant *a*, increpat *b*, increpabant *G* tanto *om a* 13 temptabantur *b*, tentabantur *G*, tendebatur *a* 14 *ita in : in *codices* (*cf. c.* 79 *et* 85 *cet.*) amissuri *G*, admissuri *b* : admissuri *a* 19 gnaris *R* : ignaris *codices* *Saluium : *om* Titianum *R* : Ticianum *G*, tutianum *a b* 20 conposuit *a*, comp. *b* 21 incolumes *G* : incolumis *a b* *set : et *codices* 22 an metu] *his verbis incipit folium* 58 *codicis Medicei veteris* 27 *set : et

amor: metu ac necessitate huc illuc mutabantur. Eadem formido provinciam Narbonensem ad Vitellium vertit, facili transitu ad proximos et validiores. Longinquae provinciae et quicquid armorum mari dirimitur penes Othonem manebant, non partium studio, sed erat grande momentum in nomine urbis ac praetexto senatus, et occupaverat animos prior auditus. Iudaicum exercitum Vespasianus, Syriae legiones Mucianus sacramento Othonis adegere; simul Aegyptus omnesque versae in Orientem provinciae nomine eius tenebantur. Idem Africae obsequium, initio Carthagine orto. Neque expectata Vipstani Aproniani proconsulis auctoritate, Crescens, Neronis libertus, (nam et hi malis temporibus partem se rei publicae faciunt) epulum plebi ob laetitiam recentis imperii obtulerat, et populus pleraque sine modo festinavit. Carthaginem ceterae civitates secutae.

77 Sic distractis.... exercitibus ac provinciis, Vitellio quidem ad capessendam principatus fortunam bello opus erat, Otho ut in multa pace munia imperii obibat, quaedam ex dignitate rei publicae, pleraque contra decus ex praesenti usu properando. Consul cum Titiano fratre in kalendas Martias ipse; proximos menses Verginio destinat ut aliquod exercitui Germanico delenimentum; iungitur Verginio Pompeius Vopiscus praetexto veteris amicitiae; plerique Viennensium honori datum interpretabantur. Ceteri consulatus ex destinatione Neronis aut Galbae mansere, Caelio ac Flavio Sabinis in *kalendas* Iulias, Arrio Antonino et Mario Celso in Septembres, quorum honoribus ne Vitellius quidem victor intercessit. Sed Otho pontificatus auguratusque honoratis iam senibus cumulum dignitatis addidit, aut recens ab exilio re-

2 prouincia *pr* 3 longinq; 4 qcquid 6 pretexto 7 Iudaicum *G*: Iudeicum (*cf. ad c.* 10) 8 oms̃que uersa³ (*nota recens;* uerse *G*) 9 tenebantur *G*: tenebatur 11 Vipstani *Rupertus*: uipsani (*cf. ad* 11 23) p̄cs̄ulis 12 hi] *inest* hi *simile* In 13 liti tiam 16 distractis] *hinc in fine versus tres quattuorve litterae iam non perspicuae; fortasse ibi fuit* rei R., *h. e.* rei Romanae (*Orelli* P. R.) 20 K*l*. mār. 21 aliquot 22 po³peius 24 *malim* honori id interp̄tabatur 25 coelio ac flabio sauinis 26 *K*l (=*kalendas*): *om* Antonino *L*: antonio 27 honoribus *Haase*: honoris (honori *G*)

versos nobiles adulescentulos avitis ac paternis sacerdotiis in solacium recoluit. Redditus Cadio Rufo, Pedio Blaeso, Saevino Prisco senatorius locus. Repetundarum criminibus sub Claudio ac Nerone ceciderant: placuit ignoscentibus verso nomine, quod avaritia fuerat, videri maiestatem, cuius tum odio etiam bonae leges peribant. Eadem largitione civitatium quoque ac 78
provinciarum animos adgressus Hispalensibus et Emeritensibus familiarum adiectiones, Lingonibus universis civitatem Romanam, provinciae Baeticae Maurorum civitates dono dedit; nova iura Cappadociae, nova Africae, ostentata magis quam mansura. Inter quae necessitate praesentium rerum et instantibus curis excusata ne tum quidem immemor amorum statuas Poppaeae per senatus consultum reposuit; creditus est etiam de celebranda Neronis memoria agitavisse spe vulgus alliciendi. Et fuere qui imagines Neronis proponerent; atque etiam Othoni quibusdam diebus populus et miles, tamquam nobilitatem ac decus adstruerent, Neroni Othoni acclamavere. Ipse in suspenso tenuit, vetandi metu vel agnoscendi pudore.

Conversis ad civile bellum animis externa sine cura 79
habebantur. Eo audentius Rhoxolani, Sarmatica gens, priore hieme caesis duabus cohortibus, magna spe ad Moesiam inruperant, novem milia equitum, ex ferocia et successu praedae magis quam pugnae intenta. Igitur vagos et incuriosos tertia legio adiunctis auxiliis repente invasit. Apud Romanos omnia proelio apta: Sarmatae dispersi, aut cupidine praedae graves onere sarcinarum, et lubrico itinerum adempta equorum pernicitate, velut vincti caedebantur. Namque mirum

2 redditus *G* : reditus bleso 3 *Prisco : ꝓqse (*ex damnatis repetundarum sub Nerone non alius restat praeter* Tarquitium Priscum (14 46), *qui plene* Tarquitius Priscus Saeuinus *videtur audisse; alii coniectavere* Pomponio, Pomptinio, Proculeio, Porcio, *quorum nemo sub Nerone illo crimine cecidit; cf.* 13 30 *et* 33 *et* 43 *et* 52. 14 18 *et* 28 *et* 46) 7 Hispalensibus *Faernus* : hispaniensibus (Hispaliensibus *R*) 9 prouincie beticae 10 ostentata *Ernesti* : ostenta (ostentui ꝛ) 14 *uulgus : uolgu\ 17 *acclamauere : acclamauit 18 metu — pudorē *notis paene evanidis* 20 Rhoxolani *B* : rhosolanis (rhosolani *G*) 21 *fortasse* ad Moesiam usque 22 et ferocia ꝛ 25 sarmatae *G* : sarmata cupidine praedae aut *Acidalius* 26 ademptae. quorum 27 pticita te uelud, *item paulo post* Nanque

dictu ut sit omnis Sarmatarum virtus velut extra ipsos. Nihil ad pedestrem pugnam tam ignavum: ubi per turmas advenere, vix ulla acies obstiterit. Sed tum umido die et soluto gelu neque conti neque gladii, quos praelongos utraque manu regunt, usui, lapsantibus equis et catafractarum pondere. Id principibus et nobilissimo cuique tegimen, ferreis lamminis aut praeduro corio consertum, ut adversus ictus inpenetrabile, ita impetu hostium provolutis inhabile ad resurgendum; simul altitudine et mollitia nivis hauriebantur. Romanus miles facilis lorica et missili pilo aut lanceis adsultans *vel*, ubi res posceret, levi gladio inermem Sarmatam (neque enim scuto defendi mos est) comminus fodiebat, donec pauci, qui proelio superfuerant, paludibus abderentur. Ibi saevitia hiemis aut vulnerum absumpti. Postquam id Romae compertum, M. Aponius Moesiam obtinens triumphali statua, Fulvius Aurelius et Iulianus Tettius ac Numisius Lupus, legati legionum, consularibus ornamentis donantur, laeto Othone et gloriam in se trahente, tamquam et ipse felix bello et suis ducibus suisque exercitibus rem publicam auxisset.

80 Parvo interim initio, unde nihil timebatur, orta seditio prope urbi excidio fuit. Septumam decumam cohortem e colonia Ostiensi in urbem acciri Otho iusserat; armandae eius cura Vario Crispino, tribuno e praetorianis, data. Is quo magis vacuus quietis castris iussa exequeretur, vehicula cohortis incipiente nocte onerari aperto armamentario iubet. Tempus in suspitionem, causa in crimen, affectatio quietis in tumultum evaluit, et visa inter temulentos arma cupidinem sui movere. Fremit miles et tribunos centurionesque proditionis arguit, tamquam familiae senatorum ad perniciem Othonis armarentur, pars ignari et vino graves, pessimus quisque in occasionem praedarum, vulgus, ut mos est, cuiuscumque motus novi cupidum; et obsequia meliorum nox

3 ūmido 5 catafra|fractarum (*prius* fra *altera m. inductum est; R* cataphractarum) 6 tegim̄ 7 lam᷑inis (= lamminis) 8 Inpetrabile *pr* 11 *uel, ubi : ubi 14 hiemis aut *Car. Schneider* : hic mĩa (hiemis et ui *Muretus*) uolnerum 16 *fortasse* Fuluius Aurelianus *Tettius : & ti tius (*cf. H.* 2 85) 20 paruo Inter|im Interim initio 25 oneraria 26 spicionem *pr* 28 et centurionesque *pr* 31 uolgus

abstulerat. Resistentem seditioni tribunum et severissimos centurionum obtruncant; rapta arma, nudati gladii; insidentes equis urbem ac Palatium petunt. Erat Othoni celebre 81
convivium primoribus feminis virisque; qui trepidi, fortuitusne militum furor an dolus imperatoris, manere ac deprehendi an fugere et dispergi periculosius foret, modo constantiam simulare, modo formidine detegi, simul Othonis vultum intueri; utque evenit inclinatis ad suspitionem mentibus, cum timeret Otho, timebatur. Sed haud secus discrimine senatus quam suo territus et praefectos praetorii ad mitigandas militum iras statim miserat et abire propere omnes e convivio iussit. Tum vero passim magistratus proiectis insignibus, vitata comitum et servorum frequentia, senes feminaeque, per tenebras diversa urbis itinera, rari domos, plurimi amicorum tecta et, ut cuique humillimus cliens, incertas latebras petivere. Militum impetus ne foribus quidem Palatii coer- 82
citus *est*, quo minus convivium inrumperent, ostendi sibi Othonem expostulantes, vulnerato Iulio Martiale tribuno et Vitellio Saturnino, praefecto alae, dum ruentibus obsistunt. Vndique arma et minae, modo in centuriones tribunosque, modo in senatum universum, lymphatis caeco pavore animis et, quia neminem unum destinare irae poterant, licentiam in omnes poscentibus, donec Otho, contra decus imperii toro insistens, precibus et lacrimis aegre *eos* cohibuit; redieruntque in castra inviti neque innocentes. Postera die velut capta urbe clausae domus, rarus per vias populus, maesta plebs; deiecti in terram militum vultus ac plus tristitiae quam poenitentiae. Manipulatim adlocuti sunt Licinius Proculus et Plotius Firmus praefecti, ex suo quisque ingenio mitius aut horridius. Finis sermonis in eo, ut quina milia nummum singulis militibus numerarentur: tum Otho ingredi castra ausus. Atque illum tribuni centurionesque cir-

1 seditioni *G*: seditio nē 7 uoltum 8 adspicionem (ad suspictionem *G*) 13 frequentias *pr* 16 palati 17 *est: *om* quominus 18 uolnerato 19 *praefecto alae: p̃fecto legionis (legionis *natum ex truncato* le, *et hoc ex* ale *detruncatum est pone* praefecto) 24 *aegre eos: aegre 25 uelud 27 uoltus 28 poenitentiae *B*: penitentiae Proculus *R*: et proculus (*cf. c.* 46)

cumsistunt, abiectis militiae insignibus otium et salutem flagitantes. Sensit invidiam miles et compositus in obsequium auctores seditionis ad supplicium ultro postulabat.
83 Otho, quamquam turbidis rebus et diversis militum animis, cum optimus quisque remedium praesentis licentiae posceret, vulgus et plures seditionibus et ambitioso imperio laeti per turbas et raptus facilius ad civile bellum inpellerentur, simul reputans non posse principatum scelere quaesitum subita modestia et prisca gravitate retineri, sed discrimine urbis et periculo senatus anxius, postremo ita disseruit. 'Neque ut affectus vestros in amorem mei accenderem, commilitones, neque ut animum ad virtutem cohortarer (utraque enim egregie supersunt), sed veni postulaturus a vobis temperamentum vestrae fortitudinis et erga me modum caritatis. Tumultus proximi initium non *e* cupiditate vel odio, quae multos exercitus in discordiam egere, ac ne detrectatione quidem aut formidine periculorum: nimia pietas vestra acrius quam considerate excitavit. Nam saepe honestas rerum causas, ni iudicium adhibeas, perniciosi exitus consequuntur. Imus ad bellum. Num omnes nuntios palam audiri, omnia consilia cunctis praesentibus tractari ratio rerum aut occasionum velocitas patitur? Tam nescire quaedam milites quam scire oportet: ita se ducum auctoritas, sic rigor disciplinae habet, ut multa etiam centuriones tribunosque tantum iuberi expediat. Sicubi iubeantur, quaerere *si* singulis liceat, pereunte obsequio etiam imperium interciderit. An et illic nocte intempesta rapientur arma? Vnus alterve perditus ac temulentus (neque enim plures consternatione proxima insanisse crediderim) centurionis ac tribuni sui sanguine manus imbuet, imperatoris sui tentorium inrumpet?
84 Vos quidem istud pro me: sed in discursu ac tenebris et rerum omnium confusione patefieri occasio etiam adversus

3 postulabat] ς : postulauat (postulauit *Weissenborn*) 4 qua⁾nquam *pr* 5 *potius* poscerent 6 uolgus 15 *e cupiditate : cupidite (cupiditate *G*, cupidine ς) 16 egre 18 considerate *Walther* : considerat (consideratius *G*) 19 consecuntur 25 sic ubi Iuueantur *si singulis : singulis 26 *interciderit : intercidit (*debuit* intercīdit = *intercíderit*, *Heinsius* intercidet) 29 *tribuni sui : tribunis (tribuni *G*)

me potest. Si Vitellio et satellitibus eius eligendi facultas detur, quem nobis animum, quas mentes inprecentur, quid aliud quam seditionem et discordiam optabunt? ne miles centurioni, ne centurio tribuno obsequatur, hinc confusi pedites equitesque in exitium ruamus. Parendo potius, commilitones, quam imperia ducum sciscitando res militares continentur, et fortissimus in ipso discrimine exercitus est, qui ante discrimen quietissimus. Vobis arma et animus sit: mihi consilium et virtutis vestrae regimen relinquite. Paucorum culpa fuit, duorum poena erit: ceteri abolete memoriam foedissimae noctis. Nec illas adversus senatum voces ullus usquam exercitus audiat. Caput imperii et decòra omnium provinciarum ad poenam vocare non Hercule illi, quos cum maxime Vitellius in nos ciet, Germani audeant. Vlline Italiae alumni et Romana vere iuventus ad sanguinem et caedem depoposcerint ordinem, cuius splendore et gloria sordes et obscuritatem Vitellianarum partium praestringimus? Nationes aliquas occupavit Vitellius, imaginem quandam exercitus habet: senatus nobiscum est. Sic fit ut hinc res publica, inde hostes rei publicae constiterint. Quid? vos pulcherrimam hanc urbem domibus et tectis et congestu lapidum stare creditis? Muta ista et inanima intercidere ac reparari promisca sunt: aeternitas rerum et pax gentium et mea cum vestra salus incolumitate senatus firmatur. Hunc auspicato a parente et conditore urbis nostrae institutum et a regibus usque ad principes continuum et inmortalem, sicut a maioribus accepimus, sic posteris tradamus: nam ut ex vobis senatores, ita ex senatoribus principes nascuntur'. Et 85
oratio *adcommodata* ad perstringendos mulcendosque militum animos, et severitatis modus (neque enim in plures quam in

2 quē *G* : quę 3 aliut 4 ne centurio *G* : nec centurio 7 discrimine *G* : discri|me 10 pęna, *mox* pęnam 11 fędissimae senatūs 14 cummaxime in nosci et 16 depoposcerd' (= *depoposcerunt*) 17 praestringimus *Gronovius* : ꝑstringimus (*debuit* p̃stringimus) 20 inde *G* : In 22 muta ꝯ : multa inanima *L* : inania 23 promisce possunt ·ꝯ 24 incolumitate *G* : incolumi te 25 conditore *G* : conditores 26 sicut a maioribus *G* : sic amatoribus 28 ex enatoribus (*sic*) 29 *adcommodata ad : ad (*cf.* 14 62)

duos animadverti iusserat) grate accepta, compositique ad praesens qui coerceri non poterant. Non tamen quies urbi redierat: strepitus telorum et facies belli inerant, militibus ut nihil in commune turbantibus, ita sparsis per domos occulto habitu et maligna cura in omnes, quos nobilitas aut opes aut aliqua insignis claritudo rumoribus obiecerat. Vitellianos quoque milites venisse in urbem ad studia partium noscenda plerique credebant. Vnde plena omnia suspitionum et vix secreta domuum sine formidine. Sed *primoribus* plurimum trepidationis in publico, ut quemque nuntium fama adtulisset, animum vultumque conversis, ne difidere dubiis ac parum gaudere prosperis viderentur. Coacto vero in curiam senatu arduus rerum omnium modus, ne contumax silentium, ne suspecta libertas; et privato Othoni nuper atque eadem dicenti nota adulatio. Igitur versare sententias et huc atque illuc torquere, hostem et parricidam Vitellium vocantes, providentissimus quisque vulgaribus conviciis, quidam vera probra iacere, in clamore tamen et ubi plurimae
86 voces, aut tumultu verborum sibi ipsi obstrepentes. Prodigia insuper terrebant diversis auctoribus vulgata: in vestibulo Capitolii omissas habenas bigae, cui Victoria insiterat, erupisse cella Iunonis maiorem humana speciem, statuam divi Iulii in insula Tiberini amnis sereno et immoto die ab Occidente in Orientem conversam, prolocutum in Etruria bovem, insolitos animalium partus, et plura alia rudibus saeculis etiam in pace observata, quae nunc tantum in metu audiuntur. Sed praecipuus et cum praesenti exitio etiam futuri pavor subita inundatione Tiberis, qui inmenso auctu, proruto ponte sublicio, ac strage obstantis molis refusus, non modo adiacentia et plana urbis loca sed secura eiusmodi casuum implevit: rapti e publico plerique, plures

2 urbi *R* : urbis 3 *belli inerant : belli et (belli erat *G*) 6 aliquas 8 suspicionum 9 *primoribus plurimum : plurimum 10 ut *G* : um 11 animo uultuque *Muretus* uoltumque 12 aut *Vrsinus* 13 arduu⁷ 20 uolgata 21 uigae 22 speciem *Puteolanus* : specie 25 insolitas (*in margine* o *pro* a *retere m.*) 29 proruto *Gronovius* : prorupto 30 *adiacentia : Iacentia

in tabernis et cubilibus intercepti. Fames in vulgus inopia quaestus et penuria alimentorum. Corrupta stagnantibus aquis insularum fundamenta, dein remeante flumine dilapsa. Vtque primum vacuus a periculo animus fuit, id ipsum quod paranti expeditionem Othoni [campus Martius et via Flaminia] iter belli esset obstructum, a fortuitis vel naturalibus causis in prodigium et omen imminentium cladium vertebatur.

Otho lustrata urbe et expensis belli consiliis, quando 87
Poeninae Cottianaeque Alpes et ceteri Galliarum aditus Vitellianis exercitibus claudebantur, Narbonensem Galliam aggredi statuit, classe valida et partibus fida, quod reliquos caesorum ad pontem Mulvium et saevitia Galbae in custodia habitos in numeros legionis composuerat; facta et ceteris spes honoratae in posterum militiae. Addidit classi urbanas cohortes et plerosque e praetorianis, vires et robur exercitus atque ipsis ducibus consilium et custodes. Summa expeditionis Antonio Novello, Suedio Clementi primipilaribus, Aemilio Pacensi, cui ademptum a Galba tribunatum reddiderat, permissa. Curam navium Moschus libertus retinebat ad observandam honestiorum fidem [inmutatus]. Peditum equitumque copiis Suetonius Paulinus, Marius Celsus, Annius Gallus rectores destinati. Sed plurima fides Licinio Proculo, praetorii praefecto. Is urbanae militiae impiger, bellorum insolens, auctoritatem Paulini, vigorem Celsi, maturitatem

1 excubilibus (et cubiculis *G*) uulgu^{s} (s *eadem manu*); *hic desinit folium; in margine est:* hic deficit unum folium: dimittatur spatium pro dicto folio. *est id alterum folium plagulae, cuius partem priorem ad c.* 69 *perisse vidimus; nunc desunt hoc capite* inopia quaestus *usque ad* 2 2 Cyprum 4 utque *G corr b* : ut qui *a b* quod *G corr b* : quidem *a b* 5 *[campus Martius et uia Flaminia] 7 omen *a b* : in omen *Budensis*, et in omnem *G* 8 belli *R* : bello *G a b* 9 poeninae *Puteolanus* : penninae *a b*, pennine *G* (*prius* e *correctum*) *Cottianaeque : coctieque *a b*, coctiae que *G* (Cottiaeque *R; cf. H.* 1 61, 4 68) 12 caesorum *b* : cesarum *a*, caesarum *G ex corr.* miluium *a b G* custodia] custodiam *b* : custodiam *G a* (*cf. c.* 58) 14 spes *a b* (*sic*) *G* : spe *Gronovius* honoratae *a b ς* : honoratioris *G* 15 uires et *L* : uiris ut *G a b* 17 suedio *G* : suelio *a b* 18 aemilio *G* : emulio *a b* 19 Moschus *Orelli* : oschus *a b*, Oscus *G* 20 [immutatus] *Muretus* : imutatus *a*, immutatus *b*, imitatus *ς*, inuitatus *G*

Galli, ut cuique erat, criminando, quod facillimum factu est, pravus et callidus bonos et modestos anteibat.

88 Sepositus per eos dies Cornelius Dolabella in coloniam Aquinatem, neque arta custodia neque obscura, nullum ob crimen, sed vetusto nomine et propinquitate Galbae monstratus. Multos e magistratibus, magnam consularium partem Otho, non participes aut ministros bello, sed comitum specie *se* secum expedire iubet, in quis et Lucium Vitellium, eodem quo ceteros cultu, nec ut imperatoris fratrem nec ut hostis. Igitur motae urbis curae; nullus ordo metu aut periculo vacuus. Primores senatus aetate invalidi et longa pace desides, segnis et *laborum* oblita nobilitas, ignarus militiae eques, quanto magis occultare et abdere pavorem nitebantur, manifestius pavidi. Nec deerant e contrario qui ambitione stolida conspicua arma, insignes equos, quidam luxuriosos apparatus conviviorum et irritamenta libidinum ut instrumentum belli mercarentur. Sapientibus quietis et rei publicae cura; levissimus quisque et futuri improvidus spe vana tumens; multi afflicta fide in pace lapsi turbatis rebus alacres et per incerta tutissimi.

89 Sed vulgus et magnitudine nimia communium curarum expers populus sentire paulatim belli mala, conversa in militum usum omni pecunia, intentis alimentorum pretiis, quae motu Vindicis haud perinde plebem attriverant, secura tum urbe et provinciali bello, quod inter legiones Galliasque velut externum fuit. Nam ex quo divus Augustus res Caesarum composuit, procul et in unius sollicitudinem aut decus populus Romanus bellaverat. Sub Tiberio et Gaio tantum pacis adversa rei publicae pertimuere; Scriboniani contra Claudium incepta simul audita et coercita; Nero nuntiis

3 coloniam equitantē *a* 8 *se secum : secum *codices* et *G b* : ut *a corr b* 10 motae urbis curae *a b* ς : mota urbis cura *G* ς 11 inualidi *G* : inualida *a b* 12 *laborum oblita : oblita *a b*, oblita bellorum *G et b in margine* 16 ut instrumentū *a b*, et instrumenta *G* 17 et rei p. *a b* : a rei .p. *G* ς 19 multi afflicta fide *G* ς : multis (*sic*) afflicta fides *a b* ς *lapsi : ac si *a b*, ac *G* 24 pinde *G* : proinde *a b* 27 in *G corr b* : *om a* 28 tyberio *a b* 29 rei .p. *G*, .r. p. *a b* ([r. p.] *L*) pertimuere *G* ς : pertinuere *a b* (*hoc male solutum videtur e.r.* pertinuere) 30 incepta *G* : inepta *a pr b* cohercita *a*

magis et rumoribus quam armis depulsus. Tum legiones classesque et, quod raro alias, praetorianus urbanusque miles in aciem deducti; Oriens Occidensque, et quicquid utrimque virium est, a tergo; si ducibus aliis bellatum foret, longo bello materia. Fuere qui proficiscenti Othoni moras religionemque nondum conditorum ancilium afferrent: aspernatus est omnem cunctationem ut Neroni quoque exitiosam; et Caecina iam Alpes transgressus extimulabat.

Pridie idus Martias commendata patribus re publica 90 reliquias Neronianarum sectionum nondum in fiscum conversas revocatis ab exilio concessit, iustissimum donum et in speciem magnificum, sed festinata iam pridem exactione usu sterile. Mox vocata contione maiestatem urbis et consensum populi ac senatus pro se attollens adversum Vitellianas partes modeste disseruit, inscitiam potius legionum quam audaciam increpans, nulla Vitellii mentione, sive ipsius ea moderatio, seu scriptor orationis sibi metuens contumeliis in Vitellium abstinuit, quando *Otho*, ut in consiliis militiae Suetonio Paulino et Mario Celso, ita in rebus urbanis Galerii Trachali ingenio [Othonem] uti credebatur; et erant qui genus ipsum orandi noscerent, crebro fori usu celebre et ad implendas populi aures latum et sonans. Clamor vocesque vulgi ex more adulandi nimiae et falsae. Quasi dictatorem Caesarem aut imperatorem Augustum prosequerentur, ita studiis votisque certabant, nec metu aut amore, sed ex libidine servitii, ut in familiis, privata cuique stimulatio et vile iam decus publicum. Profectus Otho quietem urbis curasque imperii Salvio Titiano fratri permisit.

3 qcquid *a b* utrique *b*, utrinque *a* 5 relligionemque *a* 6 ancilium scutum uel arma caelestia *a b ς* (*in b* scutum—caelestia *punctis subnotata sunt, G in margine habet*) 9 ydus *b* re p. *a*, r. p. *b* 13 sterile *L*: sterili *codices* 18 *quando Otho: quando *codices* 19 galeri *a b* 20 *[Othonem]: othonem *codices* (*etiam Acidalio suspectum erat*) 21 et *G*: *om a b* 26 stimulatio *liber Parisinus ac Puteolanus*: simulatio *G a b ς* 28 Tatiano *b* CORNELII. TACITI. LIBER. XVII. EXPLICIT. INCIPIT. XVIII. *b* (*in a non est subscriptio, sed novi libri initium spatio significatur; G pergit sine intervallo*).

LIBER II.

BREVIARIVM. C. 1—10. Status Orientis, falsus terror Asiae et Achaiae, civitas in urbe discors. Struit iam Fortuna in diversa parte terrarum initia causasque novo imperio. Titus Vespasianus, e Iudaea profectus incolumi Galba petiturus honores, caede eius audita Corinthi substitit (1). In regressu Venerem Paphiam adit (2). Templi et religionis origo (3). Titus oraculum consuluit, laeta omnia accepit, aucto animo ad patrem rediit (4). Vespasianus deficiendi consilia secum agitat, militem promptum habet et amicos certos, sed bellum in occasionem differt (5—7). Achaia atque Asia falsi Neronis adventu exterritae; quem cepit Asprenas et occidit (8—9). Annium Faustum, delatorem fratris sui, Vibius Crispus ad cognitionem senatus vocavit et pervertit (10).

C. 11—50. Othonis paratus belli et iter, clades ac finis. Ad imperium Othonis moti e Dalmatia Pannoniaque exercitus, ex urbe praetoriae cohortes et gladiatorum duo milia. Ipse ante agmen pedester, horridus incomptus, famae dissimilis (11). Temptandis Alpibus maritimis aggrediendaeque provinciae Narbonensi classem immittit. Licentia militis et ira in Albintimilium (12—13). Victi Vitelliani, sed utraeque partes tacito consensu retro cedunt, et fortuna belli alibi transacta (14—15), Corsicam prope afflixit Pacarii procuratoris temeritas ipsi perniciosa (16). Italiam Vitellio aperuerat ala Siliana, praemissaeque a Caecina cohortes prospero successu ad Padum pervenere, paulo post ipse adfuit et Placentiam expugnare intendit. Spurinna Placentiam tam perite quam fortiter defendit, Caecina trans Padum repulsus (17—22). Gallus legionem primam in auxilium Placentiae ducit, sed aegre coercitam et usque ad seditionem et trans Padum progressam Bedriaci sistit. Isdem diebus in partibus Othonis a Marcio Macro haud procul Cremona prospere pugnatum (23), etiam Paulini et Celsi ductu res egregiae gestae (24—26). Id damnum Vitellianos ad modestiam composuit. Valentis copiae cum Caecinae exercitu iunguntur (27—30). Iam Vitelliani proni ad decertandum: Otho consultat trahi bellum an fortunam experiri placeat. Periti moram suadent, Titianus frater Othonis, paulo ante accitus et bello praepositus, cum Proculo praetorii praefecto pugnam praefert, iidemque deterioris consilii auctores Othonem perpulere ut Brixellum concederet, dubiis proeliorum exemptus (31—33). Hinc Othonis fortuna coepit labare: contra Vitellii duces quieti intentique alienam stultitiam opperiuntur (34—36). Pugnatum haud procul Bedriaco, et proelium Othonianis improsperum fuit (37—45). Otho accepto nuntio cladis mori destinat, consilium-que sedato ante tumultu fortiter exequitur (46—49). Extrema de Othone (50).

C. 51—72. Vitellius imperator et iter eius ex Germania ad urbem. In funere Othonis novata seditio, Verginius militum irae fugiendo se subtrahit (51). Magna pars senatus, profectus cum Othone ad bellum, extremum periculum adiit (52—54). Romae nihil trepidationis. In theatro plausus Vitellio, cuncti principatus honores in ipsum collati (55). Italiam victoris exercitus licentia exhausit (56). Vitellius victoriae suae nescius ut ad integrum bellum magnis copiis proficiscitur (57). Lugduni praesto fuere victricium victarumque partium duces (58—60). Mariccus, e plebe Boiorum, seditionem per Gallias excitare ausus interficitur (61). Vitellii iter luxuria corruptum, alia non male ordinata (62). Dolabella calumniis apud Vitellium a fratre L. Vitellio petitus et occisus (63—64). Digressum a Lugduno Vitellium Cluvius Rufus assequitur; eius auctoritas apud principem validior

quam delationes et falsa crimina (65). Victarum partium vires modeste distrahuntur (66—67): sed apud victores orta seditio et male composita (68—69). Vitellius Cremonam adit et campos Bedriacenses (70—71). Mendacium acribus initiis coeptum, cito restinctum (72).

C. 73—101. Defectio Orientis, Vitellius in dies contemptior. Iudaeae status et Syriae, mens exercituum Orientis. Vespasianus bellum armaque circumspectat; quae laeta ipsi, quae minus fida (73—75). Muciani bellum suadentis ad Vespasianum oratio (76—77); ei ceteri assentiuntur. Initium ferendi ad Vespasianum imperii Alexandriae coeptum; sequuntur ingenti alacritate Syria et Iudaea, Asia et Achaia (78—82). Belli cura, milites et pecunia acriter conquisita, Mucianus adversus Vitellium cum exercitu missus (83—84). Accelerantur Vespasiani coepta Illyrici exercitus studio et Antonii Primi audacia (85—86). Vitellius ad urbem accedit luxurioso itinere, milite adversus disciplinam corrupto, non sine sanguine (87—88). Ingenti exercitu Romam ingreditur; res imperii male administratae (89—92). Vitellius multa ducibus concedit, plus militi, qui corpus otio, animum libidine imminuit (93—95). Nuntii defectionis Romam perlati, a Vitellio stulte dissimulati; excita tamen auxilia (96—98). Irruptione hostium exterritus imperator Valentem et Caecinam cum exercitu proficisci iubet. Praemissus Caecina proditionem meditatur (99—101).

Struebat iam Fortuna in diversa parte terrarum initia 1
causasque imperio, quod varia sorte laetum rei publicae aut atrox, ipsis principibus prosperum vel exitio fuit. Titus Vespasianus, e Iudaea incolumi adhuc Galba missus a patre, causam profectionis officium erga principem et maturam petendis honoribus iuventam ferebat, sed vulgus fingendi avidum disperserat accitum in adoptionem. Materia sermonibus senium et orbitas principis et intemperantia civitatis, donec unus eligatur, multos destinandi. Augebat famam ipsius Titi ingenium quantaecumque fortunae capax, decus oris cum quadam maiestate, prosperae Vespasiani res, praesaga responsa, et inclinatis ad credendum animis loco ominum etiam fortuita. Vbi Corinthi, Achaiae urbe, certos nuntios accepit de interitu Galbae, et aderant qui arma Vitellii bellumque affirmarent, anxius animo paucis amicorum adhibitis cuncta utrimque perlustrat. Si pergeret in urbem, nullam officii gratiam in alterius honorem suscepti, ac se Vitellio sive Othoni

2 uaria sorte *L* : uarie ortum *G a b* rei .p. *G a*, .r. p. *b* 3 uel *a b* : aut *G* 4 e] a *b* iudea *a b* 10 *decus oris : decoris *a b* ς, decori *G* ς (decor oris *R*, decoris *ortum est ex* dec:oris = *decus oris*) 11 uespasiani res *a b* ς : *om G* ς 12 ominum *G* ς : omnium *a b* 13 fortuita *Grotius* : fortuna *codices* Achaiae urbe *glossam esse putat Fr. Iacob, sed cf. mea in ed. Cantabrigiensi* 15 animi *Heinsius* 16 utrinque *a b*

obsidem fore: sin rediret, offensam haud dubiam victoris, set incertam adhuc victoriam, et concedente in partes patre filium excusatum. Sin Vespasianus rem publicam susciperet,
2 obliviscendum offensarum de bello agitantibus. His ac talibus inter spem metumque iactatum spes vicit. Fuere qui accensum desiderio Berenices reginae vertisse iter crederent; neque abhorrebat a Berenice iuvenilis animus, sed gerendis rebus nullum ex eo impedimentum. Laetam voluptatibus adulescentiam egit, suo quam patris imperio moderatior. Igitur oram Achaiae et Asiae ac laeva maris praevectus, Rhodum et Cyprum insulas, inde Syriam audentioribus spatiis petebat. Atque illum cupido incessit adeundi visendique templum Paphiae Veneris, inclitum per indigenas advenasque. Haud fuerit longum initia religionis, templi ritum, formam deae (neque enim alibi sic habetur) paucis
3 disserere. Conditorem templi regem Aëriam vetus memoria, quidam ipsius deae nomen id perhibent. Fama recentior tradit a Cinyra sacratum templum deamque ipsam, conceptam mari, huc adpulsam; sed scientiam artemque haruspicum accitam, et Cilicem Tamiram intulisse, atque ita pactum, ut familiae utriusque posteri caerimoniis praesiderent. Mox, ne honore nullo regium genus peregrinam stirpem antecelleret, ipsi quam intulerant scientia hospites cessere: tantum Cinyrades sacerdos consulitur. Hostiae, ut quisque vovit, set mares deliguntur: certissima fides haedorum fibris. Sanguinem arae obfundere vetitum: precibus et igne puro altaria adolentur, nec ullis imbribus, quamquam in aperto, madescunt.

1 sin *b corr G*, si in *a*, si in *pr G* 2 sed *R*: et *codices* incertam adhuc uictoriam *corr G*: incertam adhuc uictoris *a b*, incerta adhuc uictoria *pr G ς* patre *G*: patriae *a b* 3 rem .p. *a*, r. p. *b* 4 offensarum *a b ς*: infensarum *G ς* 5 metum que *G*, moetumque *b*: et metumque *a* fuere *G*: fuerunt *a b* 6 Berenices, *tum* Berenice *L*: beronices, *mox* beronice *G a b* 8 expedimentum *a* 9 moderatior *a b ς*: modestior *G* 10 leua *a b* 11 insulas] *hinc pergit Mediceus vetus folio suo* 60 15 ritum *Dureau de Lamalle*: situm 16 Aeriam *R*: uerian; .(*sic; cf.* Tamiram *h. c.*, Aeneam 12 58) 17 perhibent *G*: peribent 19 aruspicū 20 Cilicem Tamiram *R*: cilicen ta muram 23 *ipsi: ipsā *pr*, ipsa *corr* intulerant *Puteolanus*: intulerat 24 uouit, sed *Pichena*: uouitset.

Simulacrum deae non effigie humana, continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metae modo exsurgens; set ratio in obscuro. Titus spectata opulentia donisque regum, quaeque alia laetum antiquitatibus Graecorum genus incertae vetustati adfingit, de navigatione primum consulit. Postquam pandi viam et mare prosperum accepit, de se per ambages interrogat caesis compluribus hostiis. Sostratus (sacerdoti id nomen erat) ubi laeta et congruentia exta magnisque consultis adnuere deam videt, pauca in praesens et solita respondens, petito secreto futura aperit. Titus aucto animo ad patrem pervectus suspensis provinciarum et exercituum mentibus ingens rerum fiducia accessit.

Profligaverat bellum Iudaicum Vespasianus, obpugnatione Hierosolymorum reliqua, duro magis et arduo opere ob ingenium montis et pervicaciam superstitionis, quam quo satis virium obsessis ad tolerandas necessitates superesset. Tres, ut supra memoravimus, ipsi Vespasiano legiones erant, exercitae bello: quattuor Mucianus obtinebat in pace, sed aemulatio et proximi exercitus gloria depulerat segnitiam, quantumque illis roboris discrimina et labor, tantum his vigoris addiderat integra quies et inexperti belli favor. Auxilia utrique cohortium alarumque et classes regesque ac nomen dispari fama celebre. Vespasianus acer militiae, anteire agmen, locum castris capere, noctu diuque consilio ac, si res posceret, manu hostibus obniti, cibo fortuito, veste habituque vix ab gregario milite discrepans; prorsus, si avaritia abesset, antiquis ducibus par. Mucianum e contrario magnificentia et opes et cuncta privatum modum supergressa extollebant; aptior sermone, dispositu provisuque civilium rerum peritus: egregium principatus temperamentum, si demptis utriusque vitiis solae virtutes miscerentur. Ceterum hic Syriae, ille Iudaeae praepositus, vicinis provinciarum administrationibus invidia

2 metae *G* : meta| set *Wurm* : et 6 per ambages *G* : perãbales 7 sacerdoti *Heinsius* : sacerdotis (is *in rasura*) 13 Iudei cū (*cf. ad H.* 1 10) 18 obtinebat *G* : obti|bat 21 fauor *Iacob* : labor (ardor *R*, amor *Orelli* (*fortasse* ut inexpertis belli laboribus) 23 ante Ire 26 *ab gregario : aggregario (g *prius recenti manu inductum;* a gregario *vulgo*) 30 utriusque *G* : uiriusque 31 illę Iudeae

discordes, *sub* exitum demum Neronis positis odiis in medium consuluere, primum per amicos, dein praecipua concordiae fides Titus prava certamina communi utilitate aboleverat, natura atque arte compositus alliciendis etiam Muciani moribus. Tribuni centurionesque et vulgus militum industria licentia, per virtutes per voluptates, ut cuique ingenium, 6 adsciscebantur. Antequam Titus adventaret, sacramentum Othonis acceperat uterque exercitus, praecipitibus, ut adsolet, nuntiis et tarda mole civilis belli, quod longa concordia quietus Oriens tunc primum parabat. Namque olim validissima inter se civium arma in Italia Galliave viribus Occidentis coepta; et Pompeio, Cassio, Bruto, Antonio, quos omnes trans mare secutum est civile bellum, haud prosperi exitus fuerant; auditique saepius in Syria Iudaeaque Caesares quam inspecti. Nulla seditio legionum, tantum adversus Parthos minae, vario eventu; et proximo civili bello turbatis aliis inconcussa ibi pax, dein fides erga Galbam. Mox, ut Othonem ac Vitellium scelestis armis res Romanas raptum ire vulgatum est, ne penes ceteros imperii praemia, penes ipsos tantum servitii necessitas esset, fremere miles et vires suas circumspicere. Septem legiones statim, et cum ingentibus auxiliis Syria Iudaeaque; inde continua Aegyptus duaeque legiones, hinc Cappadocia Pontusque et quicquid castrorum Armeniis praetenditur. Asia et ceterae provinciae nec virorum inopes et pecunia opulentae. Quantum insularum mari cingitur, et 7 parando interim bello secundum tutumque ipsum mare. Non fallebat duces impetus militum, sed bellantibus aliis placuit expectari. Belli civilis victores victosque numquam solida fide coalescere; nec referre, Vitellium an Othonem superstitem fortuna faceret. Rebus secundis etiam egregios duces insolescere: discordiam his, ignaviam, luxuriem; et suis-

1 *sub exitum : exitū (exitu *G et vulgo*) 4 mociani 5 uolgus 8 precipitibus *B* : precibus (*cf. c.* 41) 10 nanqꝫ ualidissimā *pr* 12 cꝫpta 14 auditique ꝯ : aditiq; 18 uolgatum 19 pꝫnes cꝫteros—pꝫnes 23 qcqt 24 asya 25 *pecunia : pecuniꝫ 26 belli *pr* 28 expectari. belli ciuilis *Nipperdey* : expectari bellu⁊. cu⁊ In (*sic;* expectari. bello ciuili *Heinisch*) nūquā solidā *pr* 31 luxuriem *G* : luxuriꝫ

met vitiis alterum bello, alterum victoria periturum. Igitur arma in occasionem distulere, Vespasianus Mucianusque nuper, ceteri olim mixtis consiliis, optimus quisque amore rei publicae; multos dulcedo praedarum stimulabat, alios ambiguae domi res: ita boni malique causis diversis, studio pari, bellum omnes cupiebant.

Sub idem tempus Achaia atque Asia falso exterritae, 8
velut Nero adventaret, vario super exitu eius rumore, eoque pluribus vivere eum fingentibus credentibusque. Ceterorum casus conatusque in contextu operis dicemus: tunc servus e Ponto sive, ut alii tradidere, libertinus ex Italia, citharae et cantus peritus, unde illi super similitudinem oris propior ad fallendum fides, adiunctis desertoribus, quos inopia vagos ingentibus promissis corruperat, mare ingreditur; ac vi tempestatum Cythnum insulam detrusus et militum quosdam ex Oriente commeantium adscivit vel abnuentes interfici iussit, et spoliatis negotiatoribus mancipiorum valentissimum quemque armavit. Centurionemque Sisennam, dextras, concordiae insigne, Syriaci exercitus nomine ad praetorianos ferentem, variis artibus adgressus est, donec Sisenna clam relicta insula trepidus et vim metuens afugeret. Inde late terror; multi ad celebritatem nominis erecti rerum novarum cupidine et odio praesentium. Gliscentem in dies famam fors discussit. Galatiam ac Pamphyliam provincias Calpurnio Aspre- 9
nati regendas Galba permiserat. Datae e classe Misenensi duae triremes ad prosequendum, cum quibus Cythnum insulam tenuit: nec defuere qui trierarchos nomine Neronis accirent. Is in maestitiam compositus et fidem suorum quondam militum invocans, ut eum in Syria aut Aegypto sisterent, orabat. Trierarchi, sive nutantes seu dolo, adloquendos sibi milites et paratis omnium animis reversuros firmaverunt. Sed

2 mucianque *pr* 4 RP. 7 asya 8 uelud 11 cytharę 12 similitudine moris promptior *Freinsheim* 19 *insigne : insignia (*cf. *H.* 1 54) siriaci 21 aufugeret ς 22 celebri|tem erecti *Weissenborn* : erectis (multis—erectis ς) 23 Indies 24 galitia (Gallatiam *G*) 25 permiserat *G* : premiserat misensi *pr* 26 Cythnum *L* : scithinu 27 trierchos *pr* 28 mestitiam 29 syria aut egypto 30 *trierarchi, siue : trierarchis (trierarchi ς)

Asprenati cuncta ex fide nuntiata, cuius cohortatione expugnata navis et interfectus quisquis ille erat. Corpus, insigne oculis comaque et torvitate vultus, in Asiam atque inde Romam pervectum est.

10 In civitate discordi et ob crebras principum mutationes inter libertatem ac licentiam incerta parvae quoque res magnis motibus agebantur. Vibius Crispus, pecunia potentia ingenio inter claros magis quam inter bonos, Annium Faustum, equestris ordinis, qui temporibus Neronis delationes factitaverat, ad cognitionem senatus vocabat: nam recens [Galbae principatu] censuerant patres ut accusatorum causae noscerentur. Id senatus consultum varie iactatum et, prout potens vel inops reus inciderat, infirmum aut validum, retinebatur adhuc terrori. Set *et* propria vi Crispus incubuerat delatorem fratris sui pervertere, traxeratque magnam senatus partem, ut indefensum et inauditum dedi ad exitium postularent. Contra apud alios nihil aeque reo proderat quam nimia potentia accusatoris: dari tempus, edi crimina, quamvis invisum ac nocentem more tamen audiendum censebant. Et valuere primo dilataque in paucos dies cognitio: mox damnatus est Faustus, nequaquam eo assensu civitatis, quem pessimis moribus meruerat: quippe ipsum Crispum easdem accusationes cum praemio exercuisse meminerant, nec poena criminis sed ultor displicebat.

11 Laeta interim Othoni principia belli, motis ad imperium eius e Dalmatia Pannoniaque exercitibus. Fuere quattuor legiones, e quibus bina milia praemissa; ipsae modicis intervallis sequebantur, septima a Galba conscripta, veteranae undecima ac tertia decima et praecipui fama quartadecumani, rebellione Britanniae conpressa. Addiderat gloriam Nero eligendo ut potissimos, unde longa illis erga Neronem

1 asprenatis 2 quisquis *G* : quisq; 3 asyam 5 ob *G* : hoc crbras *pr* 7 scrispus *pr* 10 cognitionem *G* : cognationem recenti *Nipperdey* 11 *[Galbae principatu] : galbae principatū 12 uarię 14 retinebatur *Puteolanus* : retinebat. adhuc *Acidalius* : ad hunc (nc *in rasura*) *terrori. set et : terroris et (terrori, et *Acidalius*, terrori. set *Halm*) 16 indefensūs *pr* 23 pęna 29 tertiadecima 30 brittanniae c̃pressa

fides et erecta in Othonem studia. Sed quo plus virium ac roboris, e fiducia tarditas inerat. Agmen legionum alae cohortesque praeveniebant; et ex ipsa urbe haud spernenda manus, quinque praetoriae cohortes et equitum vexilla cum legione prima, ac deforme insuper auxilium, duo milia gladiatorum, sed per civilia arma etiam severis ducibus usurpatum. His copiis rector additus *est* Annius Gallus, cum Vestricio Spurinna ad occupandas Padi ripas praemissus, quoniam prima consiliorum frustra ceciderant, transgresso iam Alpes Caecina, quem sisti intra Gallias posse speraverat. Ipsum Othonem comitabantur speculatorum lecta corpora cum ceteris praetoriis cohortibus, veterani e praetorio, classicorum ingens numerus. Nec illi segne aut corruptum luxu iter, sed lorica ferrea usus est, et ante signa pedester, horridus incomptus, famaeque dissimilis. Blandiebatur coeptis fortuna, 12
possessa per mare et naves et maiore Italiae parte.... penitus usque ad initium maritimarum Alpium, quibus temptandis adgrediendaeque provinciae Narbonensi Suedium Clementem, Antonium Novellum, Aemilium Pacensem duces dederat. Sed Pacensis per licentiam militum vinctus; Antonio [Novello] nulla auctoritas: Suedius [Clemens] ambitioso imperio regebat, ut adversus inmodestiam disciplinae corruptus, ita proeliorum avidus. Non Italia adiri nec loca sedesque patriae videbantur: tamquam externa litora et urbes hostium urere vastare rapere, eo atrocius quod nihil usquam provisum adversum metus. Pleni agri, apertae domus; occursantes domini iuxta coniuges et liberos securitate pacis et belli malo circumveniebantur. Maritimas tum Alpes tenebat procurator Marius Maturus. Is concita gente (nec deest iuventus) arcere provinciae finibus Othonianos intendit: sed primo impetu caesi disiectique montani, ut quibus

2 roburis cohortisque *pr* 4 q̃tum 5 deformę 7 *est : *om* 10 cecina 14 pedester *G* : pedestre. (*sic ; fortasse* pedestris) 16 et maiore] maiore *R* *parte.... : parte *corr*, partes *pr* (*expleo* et omni Ligurum ora) 18 narbonensi *G* : narbonensis 19 emilium 20 uictus *pr* 21 *[Nouello] *[Clemens] 22 immodestiam *Doederlein* : modestiam 23 corruptus *G* : corruptius adiris *pr* 25 nihil, *mox* nichil *pro more suo* 28 maritimas tum *G* : marti mastū

temere collectis, non castra, non ducem noscitantibus, ne-
13 que in victoria decus esset neque in fuga flagitium. Irritatus eo proelio Othonis miles vertit iras in municipium Albintimilium. Quippe in acie nihil praedae, inopes agrestes et vilia arma; nec capi poterant, pernix genus et gnari locorum: sed calamitatibus insontium expleta avaritia. Auxit invidiam praeclaro exemplo femina Ligus, quae filio abdito, cum simul pecuniam occultari milites credidissent eoque per cruciatus interrogarent ubi filium occuleret, uterum ostendens *ibi* latere respondit, nec ullis deinde terroribus
14 aut morte constantiam vocis egregiae mutavit. Imminere provinciae Narbonensi, in verba Vitellii adactae, classem Othonis trepidi nuntii Fabio Valenti attulere; aderant legati coloniarum auxilium orantes. Duas Tungrorum cohortes, quattuor equitum turmas, universam Trevirorum alam cum Iulio Classico praefecto misit, e quibus pars in colonia Foroiuliensi retenta, ne omnibus copiis in terrestre iter versis vacuo mari classis adceleraret. Duodecim equitum turmae et lecti e cohortibus adversus hostem iere, quibus adiuncta Ligurum cohors, vetus loci auxilium, et quingenti Pannonii, nondum sub signis. Nec mora proelio, sed acies ita instructa, ut pars classicorum mixtis paganis in colles mari propinquos exurgeret, quantum inter colles ac litus aequi loci praetorianus miles expleret, in ipso mari ut adnexa classis et pugnae parata conversa et minaci fronte praetenderetur: Vitelliani, quibus minor peditum vis, in equite robur, Alpinos proximis iugis, cohortes densis ordinibus post equitem locant. Trevirorum turmae obtulere se hosti incaute, cum exciperet contra veteranus miles, simul a latere saxis urgeret apta ad iaciendum etiam paganorum manus, qui

4 Albintimilium *Puteolanus* : albiniti militum (ALBINTIMIL *tit. ap. Marin. Arval. p.* 325) agrestes 5 uilia ς : uilla 7 ausit 10 *ibi latere : latere 12 adactae] audactā e 15 uniuersam treuirorum *G* : uniūsa mire uirorum (*ibi Tacitinum nomen* Treuirorum *vitii praesidio mansit incolume*) 20 quingenti *G* : quingentis 21 acies *Ruperti* : acie 22 paginis 23 exurgeret] *c.* 3 exsurgens, *c.* 25 exsurgentes 27 equitem *G* : qtem 28 tre uirorum

sparsi inter milites, strenui ignavique, in victoria idem audebant. Additus perculsis terror invecta in terga pugnantium classe: ita undique clausi, deletaeque omnes copiae forent, ni victorem exercitum attinuisset obscurum noctis, obtentui fugientibus. Nec Vitelliani quamquam victi quievere: accitis 15
auxiliis securum hostem ac successu rerum socordius agentem invadunt. Caesi vigiles, perrupta castra, trepidatum apud navis, donec sidente paulatim metu, occupato iuxta colle defensi, mox irrupere. Atrox ibi caedes, et Tungricarum cohortium praefecti sustentata diu acie telis obruuntur. Ne Othonianis quidem incruenta victoria fuit, quorum inprovide secutos conversi equites circumvenerunt. Ac velut pactis indutiis, ne hinc classis, inde eques subitam formidinem inferrent, Vitelliani retro Antipolim, Narbonensis Galliae municipium, Othoniani Albigaunum, interioris Liguriae, revertere.

Corsicam ac Sardiniam ceterasque proximi maris in- 16
sulas fama victricis classis in partibus Othonis tenuit. Sed Corsicam prope adflixit Decumi Pacarii procuratoris temeritas, tanta mole belli nihil in summam profutura, ipsi exitiosa. Namque Othonis odio iuvare Vitellium Corsorum viribus statuit, inani auxilio, etiam si provenisset. Vocatis principibus insulae consilium aperit, et contra dicere ausos, Claudium Pyrrhicum, trierarchum Liburnicarum ibi navium, Quintium Certum, equitem Romanum, interfici iubet: quorum morte exterriti qui aderant, simul ignara et alieni metus socia imperitorum turba in verba Vitellii iuravere. Sed ubi dilectum agere Pacarius et inconditos homines fatigare militiae muneribus occepit, laborem insolitum perosi infirmitatem suam reputabant: insulam esse quam incolerent, et longe Germaniam viresque legionum; direptos vastatosque classe etiam quos cohortes alaeque protegerent. Et aversi repente animi, nec tamen aperta vi. [Aptum tempus insidiis legere.] Digressis qui Pacarium frequentabant, nudus et auxilii inops in

3 oñis (*sic*) 4 uictore, obtentui ς : obtenui 9 *Tungricarum : tungrarum 12 uelud *fortasse* pacti indutias; *cf. Agr. c.* 16 13 ne *G* : nec *pr* 19 summam *R* : summa 20 nanq; *pro more suo* 23 Pyrrhicum ς : phyrricū 25 imperitorum *G* : imperatorum 27 picariu^{l}s (*nota inducta est*), *mox* picarium 32 *[aptum—legere] 33 in balineis *Heinsius* : balineis

balineis interficitur; trucidati et comites. Capita ut hostium ipsi interfectores ad Othonem tulere; neque eos aut Otho praemio affecit aut punivit Vitellius, in multa conluvie rerum maioribus flagitiis permixtos.

17 Aperuerat iam Italiam bellumque transmiserat, ut supra memoravimus, ala Siliana, nullo apud quemquam Othonis favore, nec quia Vitellium mallent, sed longa pax ad omne servitium fregerat faciles occupantibus et melioribus incuriosos. Florentissimum Italiae latus, quantum inter Padum Alpesque camporum et urbium, armis Vitellii (namque et praemissae a Caecina cohortes advenerant) tenebatur. Capta Pannoniorum cohors apud Cremonam; intercepti centum equites ac mille classici inter Placentiam Ticinumque. Quo successu Vitellianus miles non iam flumine aut ripis arcebatur; inritabat quin etiam Batavos transrhenanosque Padus ipse, quem repente contra Placentiam transgressi raptis quibusdam exploratoribus ita ceteros terruere, ut adesse omnem Caecinae exercitum trepidi ac falsi nuntiarent.

18 Certum erat Spurinnae (is enim Placentiam optinebat) necdum venisse Caecinam et, si propinquaret, coercere intra munimenta militem nec tris praetorias cohortes et mille vexillarios cum paucis equitibus veterano exercitui obicere: sed indomitus miles et belli ignarus correptis signis vexillisque ruere, et retinenti duci tela intentare, spretis centurionibus tribunisque; quin proditum Othonem et accitum Caecinam clamitabant. Fit temeritatis alienae comes Spurinna, primo coactus, mox velle simulans, quo plus auctoritatis inesset
19 consiliis, si seditio mitesceret. Postquam in conspectu Padus et nox appetebat, vallari castra placuit. Is labor urbano militi insolitus contundit animos. Tum vetustissimus quisque castigare credulitatem suam, metum ac discrimen ostendere, si cum exercitu Caecina patentibus campis tam paucas cohortes circumfudisset. Iamque totis castris modesti sermo-

3 puniuit *G* : puniit c̃luuie 5 Italiam *R* : Italia bellū.que 7 fabore *pr* 10 na⁾nque (*nota recenti m. inducta*) 25 tribunisque *Muretus et Pichena* : tribunisq; ꝓuidentiam ducis laudari. (*sic; cf. c.* 19) quin *Muretus et Agricola* : q̄ *proditum : ꝓ (prodi *Bekker*) 30 contudit ς

nes, et inserentibus se centurionibus tribunisque laudari providentia ducis, quod coloniam virium et opum validam robur ac sedem bello legisset. Ipse postremo Spurinna, non tam culpam exprobrans quam ratione ostendens, relictis exploratoribus ceteros Placentiam reduxit minus turbidos et imperia accipientes. Solidati muri, propugnacula addita, auctae turres, provisa parataque non arma modo sed obsequium et parendi amor, quod solum illis partibus defuit, cum virtutis haud poeniteret.

At Caecina, velut relicta post Alpes saevitia ac licentia, modesto agmine per Italiam incessit. Ornatum ipsius municipia et coloniae in superbiam trahebant, quod versicolori sagulo, bracas [barbarum tegmen] indutus, togatos alloqueretur. Vxorem uero eius Saloninam, quamquam in nullius iniuriam insignis equo ostroque veheretur, tamquam laesi gravabantur, insita mortalibus natura recentem aliorum felicitatem acribus oculis introspicere modumque fortunae a nullis magis exigere quam quos in aequo viderunt. Caecina Padum transgressus, temptata Othonianorum fide per conloquium et promissa, isdem petitus, postquam pax et concordia speciosis et inritis nominibus iactata sunt, consilia curasque in oppugnationem Placentiae magno terrore vertit gnarus, ut initia belli provenissent, famam in cetera fore Sed primus dies impetu magis quam veterani exercitus artibus transactus: aperti incautique muros subiere, cibo vinoque praegraves. In eo certamine pulcherrimum amphitheatri opus, situm extra muros, conflagravit, sive ab oppugnatoribus incensum, dum faces et glandes et missilem ignem in obsessos iaculantur, sive ab obsessis, dum retorta *ea* ingerunt. Municipale vulgus, pronum ad suspitiones, fraude

1 prouidentia *Gronovius* : prouidentiã 4 rationem *Nipperdey* 9 poeniteret *B* : peniteret 10 uelud 12 uersicolori *G* : ũsicoloris 13 *[barbarum tegmen] : barbarum tegm 14 *uero : aũ (quoque ꝙ) 16 insitã *pr* 17 acribus ꝫ : agribus 18 Inequos (in equo *G*) uider caecinã *pr* 19 othiano 2 cloquium 23 fama (phamam *G*) 25 cibo *G* : ciuos (s *rec. manus induxit*) 26 amphiteatri 28 glandes *G* : flandes • 29 obsessos *G* : obsesso *retorta ea ingerunt (retorta ingerunt *Iac. Gronovius*) : reportans gerunt (*cf. c.* 22; regerunt *Puteolanus*) 30 uolgus suspiciones

inlata ignis alimenta credidit a quibusdam ex vicinis coloniis invidia et aemulatione, quod nulla in Italia moles tam capax foret. Quocumque casu accidit, dum atrociora metuebantur, in levi habitum, reddita securitate, tamquam nihil gravius pati potuissent, maerebant. Ceterum multo suorum cruore pulsus Caecina, et nox parandis operibus absumpta. Vitelliani pluteos cratesque et vineas subfodiendis muris protegendisque obpugnatoribus, Othoniani sudes et inmensas lapidum ac plumbi aerisque moles perfringendis obruendisque hostibus expediunt. Vtrimque pudor, utrimque gloria et diversae exhortationes, hinc legionum et Germanici exercitus robur, inde urbanae militiae et praetoriarum cohortium decus attollentium; illi ut segnem et desidem et circo ac theatris corruptum militem, hi peregrinum et externum increpabant. Simul Othonem ac Vitellium celebrantes culpantesve uberioribus inter se probris quam laudibus stimulabantur.

22 Vixdum orto die plena propugnatoribus moenia, fulgentes armis virisque campi: densum legionariorum agmen, sparsa auxiliorum manus, altiora murorum sagittis aut saxis incessere, neglecta aut aevo fluxa comminus adgredi. Ingerunt desuper Othoniani pila librato magis et certo ictu adversus temere subeuntes cohortes Germanorum, cantu truci et more patrio nudis corporibus super umeros scuta quatientium. Legionarius pluteis et cratibus tectus subruit muros, instruit aggerem, molitur portas: contra praetoriani dispositos ad id ipsum molares ingenti pondere ac fragore provolvunt. Pars subeuntium obruti, pars confixi et exsangues aut laceri; cum augeret stragem trepidatio eoque acrius e moenibus vulnerarentur, rediere infracta partium fama. Et Caecina pudore coeptae temere obpugnationis, ne inrisus ac vanus isdem castris adsideret, traiecto rursus Pado Cremonam petere in-

1 ex *Halm*: et (e *G*) 2 inuidia et *Muretus*: Inuidię 5 merebant 6 absumpta *Muretus*: adsumpta 10 utrimque — utrimque *nunc, non* utrinque, *ut saepius* 11 exortationes 14 hii 18 campis *pr* *legionariorum: legionum 24 legionarius ς: legionariī gratibus 25 praetoriani *G*: praetorianis 26 molarēs 28 uolnerarentur 29 rediere *G*: redire Caecina fama pudore *pr* 30 cępta et emere obpugnationes

tendit. Tradidere sese abeunti Turullius Cerialis cum conpluribus classicis et Iulius Breganticus cum paucis equitum, hic praefectus alae, in Batavis genitus, ille primipilaris et Caecinae haud alienus, quod ordines in Germania duxerat.

Spurinna comperto itinere hostium, defensam Placen- 23
tiam quaeque acta et quid Caecina pararet, Annium Gallum per litteras docet. Gallus legionem primam in auxilium Placentiae ducebat, diffisus paucitati cohortium, ne longius obsidium et vim Germanici exercitus parum tolerarent. Vbi pulsum Caecinam pergere Cremonam accepit, aegre coercitam legionem et pugnandi ardore usque ad seditionem ....progressam Bedriaci sistit. Inter Veronam Cremonamque situs est vicus, duabus iam Romanis cladibus notus infaustusque.

Isdem diebus a Marcio Macro haud procul Cremona prospere pugnatum: namque promptus animi Marcius transvectos navibus gladiatores in adversam Padi ripam repente effudit. Turbata ibi Vitellianorum auxilia, et ceteris Cremonam fugientibus caesi qui restiterant: sed reprehensus vincentium impetus, ne novis subsidiis firmati hostes fortunam proelii mutarent. Suspectum id Othonianis fuit, omnia ducum facta prave aestimantibus. Certatim, ut quisque animo ignavus, procax ore, Annium Gallum et Suetonium Paulinum et Marium Celsum [nam eos quoque Otho praefecerat] variis criminibus incessebant. Acerrima seditionum ac discordiae incitamenta interfectores Galbae. Scelere et metu vecordes miscere cuncta, modo palam turbidis vocibus, modo occultis ad Othonem litteris; qui humillimo cuique credulus, bonos metuens trepidabat, rebus prosperis incertus et inter

1 turul lius 9 paucitate *corr. retere m.* paucitati 11 pulsu 13 ....*progressam : progressam (*explererim* Padique ripam in sinistram) beronam *pr* 14 Infastusque (infaustus que *G*) 16 amarcio haud *an* haut *non liquet* 17 nanque promptius (nāque promptus *G*) 20 restiterant *G* : resisterat (n *m. retere, et sic statim*) *reprehensus : reprehensis (repressus *G et vulgo*) uicentium 22 ducum *Agricola* : quo cū 25 *[nam—praefecerat] 26 incessebant *Agricola* : incesserant

adversa melior. Igitur Titianum fratrem *urbe* accitum bello praeposuit.

24 Interea Paulini et Celsi ductu res egregie gestae. Angebant Caecinam nequiquam omnia coepta et senescens exercitus sui fama. Pulsus Placentia, caesis nuper auxiliis, etiam per concursum exploratorum, crebra magis quam digna memoratu proelia, inferior, propinquante Fabio Valente, ne omne belli decus illuc concederet, reciperare gloriam avidius quam consultius properabat. Ad duodecimum a Cremona *lapidem* (locus Castorum vocatur) ferocissimos auxiliarium imminentibus viae lucis occultos componit: equites procedere longius iussi et irritato proelio sponte refugi festinationem sequentium elicere, donec insidiae coorerentur. Proditum id Othonianis ducibus, et curam peditum Paulinus, equitum Celsus sumpsere. Tertiae decimae legionis vexillum, quattuor auxiliorum cohortes et quingenti equites in sinistro locantur; aggerem viae tres praetoriae cohortes altis ordinibus obtinuere; dextra fronte prima legio incessit cum duabus auxiliaribus cohortibus et quingentis equitibus; super hos ex praetorio auxiliisque mille equites, cumulus prosperis aut subsidium laborantibus, ducebantur.

25 Antequam miscerentur acies, terga vertentibus Vitellianis, Celsus doli prudens repressit suos: Vitelliani temere exsurgentes, cedente sensim Celso, longius secuti ultro in insidias praecipitantur: nam a lateribus cohortes, legionariorum adversa frons, et subito discursu terga cinxerat eques. Signum pugnae non statim a Suetonio Paulino pediti datum: cuncta-

1 *urbe : *om* 3 celsi *G* : c̃silii egregie *Wurm* : egregiae 4 *nequiquam : ne qquā (*vulgo* nequidquam *vel* nequicquam) cępta 10 *lapidem (locus : locus (*cf.* 1 45, 3 45, 15 60, *H.* 2 45, 3 18, 4 11 *et* 60; *eadem lacuna invasit H.* 2 39, 3 15) Castorum] castrorum ("Paulus Orosius Castoris uocari eum locum est auctor, ut dubitem utra uerior lectio sit" **Alciatus**) auxiliarios (ū *m. vetere*) 12 iussi *R* : iussit 13 festinatione coorerentur] coorirentur *R* : coercerentur 18 incessit *G* : ingessit 19 auxiliaribus *Mercerus* : uexillarib; 20 ex *Halm* : et (e *G*) 24 cedente *G* : cedunt.|e 25 legionariorum *Orelli* : legionū 26 *cinxerat eques : cinxerat equit[illegible] cinxerant equites ς; *cf. proximum* pediti datum; *c.* 26 pedes eru[illegible]

tor natura et cui cauta potius consilia cum ratione quam prospera ex casu placerent, compleri fossas, aperiri campum, pandi aciem iubebat, satis cito incipi victoriam ratus, ubi provisum foret ne vincerentur. Ea cunctatione spatium Vitellianis datum in vineas nexu traducum impeditas refugiendi; et modica silva adhaerebat, unde rursus ausi *prorumpere* promptissimos praetorianorum equitum interfecere. Vulneratur rex Epiphanes, impigre pro Othone pugnam ciens. Tum Othonianus pedes erupit; protrita hostium acie versi in 26 fugam etiam qui subveniebant: nam Caecina non simul cohortes sed singulas acciverat, quae res in proelio trepidationem auxit, cum dispersos nec usquam validos pavor fugientium abriperet. Orta et in castris seditio, quod non universi ducerentur: vinctus praefectus castrorum Iulius Gratus, tamquam fratri apud Othonem militanti proditionem ageret, cum fratrem eius, Iulium Frontonem tribunum, Othoniani sub eodem crimine vinxissent. Ceterum ea ubique formido fuit apud fugientes occursantes, in acie pro vallo, ut deleri cum universo exercitu Caecinam potuisse, ni Suetonius Paulinus receptui cecinisset, utrisque in partibus percrebuerit. Timuisse se Paulinus ferebat tantum insuper laboris atque itineris, ne Vitellianus miles recens e castris fessos adgrederetur et perculsis nullum retro subsidium foret. Apud paucos ea ducis ratio probata, in vulgus adverso rumore fuit.

Haud perinde id damnum Vitellianos in metum com- 27 pulit quam ad modestiam composuit; nec solum apud Caecinam, qui culpam in militem conferebat, seditioni magis quam proelio paratum: Fabii quoque Valentis copiae (iam enim Ticinum venerat) posito hostium contemptu et recuperandi decoris cupidine reverentius et aequalius duci parebant. Gravis alioqui seditio exarserat, quam altiore initio

4 uinceretur *potius* 6 *prorumpere promptissimos : promptissimos 8 uolneratur othonē *pr* 9 *malim* acies, 15 proditorem *Heinsius* 20 percrebuerit] percrebruit (percrebruerit *B*) 23 perculsis *G* : periculosis 24 Inuolgus aduersorū ore 26 perinde *G* : ꝑinde 30 hostium ctēntu 31 aequaljs 32 *alioqui : alioquin (*cf. H.* 3 32 ditem alioqui coloniam)

(neque enim rerum a Caecina gestarum ordinem interrumpi oportuerat) repetam. Cohortes Batavorum, quas bello Neronis a quarta decima legione digressas, *tum*, cum Britanniam peterent, audito Vitellii motu in civitate Lingonum Fabio Valenti adiunctas rettulimus, superbe agebant, ut cuiusque legionis tentoria accessissent, coercitos a se quartadecimanos, ablatam Neroni Italiam atque omnem belli fortunam in ipsorum manu sitam iactantes. Contumeliosum id militibus, acerbum duci; corrupta iurgiis aut rixis disciplina; ad postremum Valens e petulantia etiam perfidiam suspectabat.
28 Igitur nuntio adlato, pulsam Trevirorum alam Tungrosque a classe Othonis et Narbonensem Galliam circumiri, simul cura socios tuendi et militari astu cohortes turbidas ac, si una forent, praevalidas dispergendi, partem Batavorum ire in subsidium iubet. Quod ubi auditum vulgatumque, maerere socii, fremere legiones. Orbari se fortissimorum virorum auxilio; veteres illos et tot bellorum victores, postquam in conspectu sit hostis, velut ex acie abduci. Si provincia urbe et salute imperii potior sit, omnes illuc sequerentur: sin victoriae [sanitas, sustentaculum,] columen in Italia verteretur, non abrumpendos ut corpori validissimos
29 artus. Haec ferociter iactando, postquam inmissis lictoribus Valens coercere seditionem coeptabat, ipsum invadunt, saxa iaciunt, fugientem sequuntur. Spolia Galliarum et Viennensium aurum et pretia laborum suorum occultare *eum* clamitantes, direptis sarcinis tabernacula ducis ipsamque humum pilis et lanceis rimabantur: nam Valens servili veste apud decurionem equitum tegebatur. Tum Alfenus Varus, praefectus castrorum, deflagrante paulatim seditione, addit consilium, vetitis obire vigilias centurionibus, omisso tubae sono, quo miles ad belli munia cietur. Igitur torpere cuncti, circumspectare inter se attoniti et id ipsum, quod nemo re-

1 interrumpit *pr* 3 *tum, cum : cū brittanniam 5 culus (quoiusque *G*) 11 ire uirorum (*sic*) alam (*cf. ad c.* 14) 15 uolgatumque merere 18 uelud 20 [sanitas, sustentaculum] *Nipperdey* 21 *potius* sibi ut 23 cohercere *pr* ceptabat *pr* 25 *occultare eum : occultare (occultari *Halm*) 28 alfenius *hoc uno loco* (*cf. c.* 43, 3 36 *et* 55 *et* 61, 4 11) 29 seditionē *pr* 30 circuire *pro* obire *margo*

geret, paventes, silentio patientia, postremo precibus ac lacrimis veniam quaerebant. Vt vero deformis et flens et praeter spem incolumis Valens processit, gaudium miseratio favor: versi in laetitiam, ut est vulgus utroque inmodicum, laudantes gratantesque circumdatum aquilis signisque in tribunal ferunt. Ille utili moderatione non supplicium cuiusquam poposcit, ac ne dissimulans suspectior foret, paucos incusavit, gnarus civilibus bellis plus militibus quam ducibus licere. Munientibus castra apud Ticinum de adversa 30
Caecinae pugna adlatum, et prope renovata seditio, tamquam fraude et cunctationibus Valentis proelio defuissent: nolle requiem, non expectare ducem, anteire signa, urguere signiferos; rapido agmine Caecinae iunguntur. Inprospera Valentis fama apud exercitum Caecinae erat: expositos se tanto pauciores integris hostium viribus querebantur, simul in suam excusationem et adventantium robur per adulationem attollentes, ne ut victi et ignavi despectarentur. Et quamquam plus virium, prope duplicatus legionum auxiliorumque numerus erat Valenti, studia tamen militum in Caecinam inclinabant, super benignitatem animi, qua promptior habebatur, etiam vigore aetatis, proceritate corporis et quodam inani favore. Hinc aemulatio ducibus: Caecina ut foedum ac maculosum, ille ut tumidum ac vanum inridebant. Sed condito odio eandem utilitatem fovere, crebris epistulis sine respectu veniae probra Othoni obiectantes, cum duces partium Othonis quamvis uberrima conviciorum in Vitellium materia abstinerent. Sane ante utriusque exitum, quo egregiam 31
Otho famam, Vitellius flagitiosissimam meruere, minus Vitellii ignavae voluptates quam Othonis flagrantissimae libidines timebantur; addiderat huic terrorem atque odium caedes Galbae, contra illi initium belli nemo inputabat. Vitellius ventre et gula sibi inhonestus, Otho luxu saevitia audacia rei publicae exitiosior ducebatur.

Coniunctis Caecinae ac Valentis copiis nulla ultra penes

4 fabor *pr* uolgus 20 habebatur *G*: habebantur 22 fabore *pr* fędum 29 ignaue uoluptatis (e *vetere m.*) fraglantissime 32 gyla inhonestus *Victorius et Pichena*: Inhostus 33 R. P. 34 pęnes

Vitellianos mora quin totis viribus certarent: Otho consultavit, trahi bellum an fortunam experiri placeret. Tunc Suetonius Paulinus dignum fama sua ratus, qua nemo illa tempestate militaris rei callidior habebatur, de toto genere belli censere, festinationem hostibus, moram ipsis utilem dis-
32 seruit. Exercitum Vitellii universum advenisse, nec multum virium a tergo, quoniam Galliae tumeant, et deserere Rheni ripam inrupturis tam infestis nationibus non conducat; Britannicum militem hoste et mari distineri; Hispanias armis non ita redundare; provinciam Narbonensem incursu classis et adverso proelio contremuisse; clausam Alpibus et nullo maris subsidio transpadanam Italiam atque ipso transitu exercitus vastam; non frumentum usquam exercitui, nec exercitum sine copiis retineri posse. Iam Germanos, quod genus militum apud hostis atrocissimum sit, tracto in aestatem bello, fluxis corporibus, mutationem soli caelique haud toleraturos. Multa bella impetu valida per taedia et moras evanuisse. Contra ipsis omnia opulenta et fida, Pannoniam Moesiam Delmatiam Orientem cum integris exercitibus, Italiam et caput rerum [urbem], senatumque et populum numquam obscura nomina, etiam si aliquando obumbrentur; publicas privatasque opes et inmensam pecuniam, inter civiles discordias ferro validiorem; corpora militum aut Italiae sueta aut aestibus; obiacere flumen Padum, tutas viris murisque urbes, e quibus nullam hosti cessuram Placentiae defensione exploratum: proinde duceret bellum. Paucis diebus quartam decimam legionem, magna ipsam fama, Moesicis *cum* copiis adfore: tum rursus deliberaturum et, si proelium
33 placuisset, auctis viribus certaturos. Accedebat sententiae Paulini Marius Celsus; idem placere Annio Gallo, paucos ante dies lapsu equi adflicto, missi qui consilium eius sciscitarentur rettulerant. Otho pronus ad decertandum; frater

2 trai 7 quoniam] qm̃ 8 brittannicum 9 destineri 17 mora seuanuisse 20 capud *[urbem] 21 etiam si ς : etiā (etsi ς) 22 pęcuniam 24 suęta 25 hosti censurā defensionē *pr* 27 quartamdecimam magna—fama *G* : magnā ipsā famā *Moesicis cum copiis : moesaicis copiis (cum moesicis copiis *G*, cum Moesiacis copiis *L*) 29 certaturum *potius* 30 celsu[s] 31 labsu

eius Titianus et praefectus praetorii Proculus, imperitia properantes, Fortunam et deos et numen Othonis adesse consiliis *eius*, adfore conatibus testabantur; neu quis obviam ire sententiae auderet, in adulationem concesserant. Postquam pugnari placitum, interesse pugnae imperatorem an seponi melius foret dubitavere. Paulino et Celso iam non adversantibus, ne principem obiectare periculis viderentur, iidem illi deterioris consilii auctores perpulere *eum* ut Brixellum concederet, ac dubiis proeliorum exemptus summum rerum et imperii [se ipsum] reservaret. Is primus dies Othonianas partes adflixit: namque et cum ipso praetoriarum cohortium et speculatorum equitumque valida manus discessit, et remanentium fractus animus, quando suspecti duces et Otho, cui uni apud militem fides, dum et ipse non nisi militibus credit, imperia ducum in incerto reliquerat.

Nihil eorum Vitellianos fallebat, crebris, ut in civili 34
bello, transfugiis; et exploratores, cura diversa sciscitandi, sua non occultabant. Quieti intentique Caecina ac Valens, quando hostis inprudentia rueret, quod loco sapientiae est, alienam stultitiam opperiebantur, inchoato ponte transitum Padi simulantes adversus obpositam gladiatorum manum, ac ne ipsorum miles segne otium tereret. Naves pari inter se spatio, validis utrimque trabibus conexae, adversum in flumen dirigebantur, iactis super anchoris, quae firmitatem pontis continerent; sed anchorarum funes non extenti fluitabant, ut augescente flumine inoffensus ordo navium attolleretur. Claudebat pontem inposita turris et in extremam navem educta, unde tormentis ac machinis hostes propulsarentur. Othoniani in ripa turrim struxerant, saxaque et faces iaculabantur. Et erat insula amne medio, in quam gladiatores na- 35
vibus molientes *transitum*, Germani nando praelabebantur.

2 *consiliis eius : consiliis 4 auderet *G* : audiret 8 Idem *perpulere eum : perpulere 9 *summum : summa⁊ (summe *G; cf.* 1 46) 10 imperiis *pr* *[se ipsum] 13 suspecti *G* : suspectu 14 et *G* ꝛ : et ut 15 in *G* : *om* 18 ocultabant quieti ꝛ : qet 20 alienam *G* : aliena 24 firmitatem *G* : firmitate 25 achorarum extensi *pr*, *corr vetere m.* extenti fluuitabant 27 turbis 31 *molientes transitum : molientes prelabebantur

Ac forte plures transgressos completis Liburnicis per promptissimos gladiatorum Macer adgreditur: sed neque ea constantia gladiatoribus ad proelia quae militibus, nec perinde nutantes e navibus quam stabili gradu e ripa vulnera derigebant. Et cum variis trepidantium inclinationibus mixti remiges propugnatoresque turbarentur, desilire in vada ultro Germani, retentare puppes, scandere foros aut comminus mergere. Quae cuncta in oculis utriusque exercitus quanto laetiora Vitellianis, tanto acrius Othoniani causam auctorem-
36 que cladis detestabantur. Et proelium quidem, abruptis quae supererant navibus, fuga diremptum: Macer ad exitium poscebatur; iamque vulneratum eminus lancea strictis gladiis invaserant, cum intercursu tribunorum centurionumque protegitur. Nec multo post Vestricius Spurinna iussu Othonis, relicto Placentiae modico praesidio, cum cohortibus subvenit. Dein Flavium Sabinum. consulem designatum, Otho rectorem copiis misit, quibus Macer praefuerat, laeto milite et *prono* ad mutationem ducum, et ducibus ob crebras seditiones tam infestam militiam aspernantibus.

37 Invenio apud quosdam auctores, pavore belli seu fastidio utriusque principis, quorum flagitia ac dedecus apertiore in dies fama noscebantur, dubitasse exercitus num posito certamine vel ipsi in medium consultarent, vel senatui permitterent legere imperatorem, atque eo duces Othonianos spatium ac moras suasisse, praecipua spe Paulini, quod vetustissimus consularium et militia clarus gloriam nomenque Britannicis expeditionibus meruisset. Ego ut concesserim apud paucos tacito voto quietem pro discordia, bonum et innocentem principem pro pessimis ac flagitiosissimis expetitum, ita neque Paulinum, qua prudentia fuit, sperasse corruptissimo saeculo tantam vulgi moderationem reor, ut qui pacem belli amore turbaverant, bellum pacis caritate

3 perinde *G*: ꝑinde 4 uolnera 5 cum *G*: tum 10 abruptis ς: arruptis (abreptis *Gronovius*) 11 Macer ad *G*: macer 12 uolneratum 16 sauinum *pr* 17 praefuerit (a *vetere m.*) *et prono: et (et *om.* ς. *et sic vulgo*) 19 infesta 25 praecipua spe *Bipontina*: ꝑcipuas 26 consularium *R*: consiliarium 27 brittannicis concesserit (*sic*) 31 corruptissimo *G*: corruptissimos uolgi

deponerent; neque aut exercitus linguis moribusque dissonos in hunc consensum potuisse coalescere, aut legatos ac duces, magna ex parte luxus egestatis scelerum sibi conscios, nisi pollutum obstrictumque meritis suis principem passuros. Vetus ac iam pridem insita mortalibus potentiae cu- 38
pido cum imperii magnitudine adolevit erupitque: nam rebus modicis aequalitas facile habebatur. Sed ubi subacto orbe et aemulis urbibus regibusve excisis securas opes concupiscere vacuum fuit, prima inter patres plebemque certamina exarsere. Modo turbulenti tribuni, modo consules praevalidi, et in urbe ac foro temptamenta civilium bellorum; mox e plebe infima C. Marius et nobilium saevissimus Lucius Sulla victam armis libertatem in dominationem verterunt. Post quos Cn. Pompeius occultior, non melior: et numquam postea nisi de principatu quaesitum. Non discessere ab armis in Pharsalia ac Philippis civium legiones, nedum Othonis ac Vitellii exercitus sponte posituri bellum fuerint: eadem illos deum ira, eadem hominum rabies, eaedem scelerum causae in discordiam egere. Quod singulis velut ictibus transacta sunt bella, ignavia principum factum est. Sed me veterum novorumque morum reputatio longius tulit: nunc ad rerum ordinem veniam.

Profecto Brixellum Othone honor imperii penes Titia- 39
num fratrem, vis ac potestas penes Proculum praefectum. Celsus et Paulinus, cum prudentia eorum nemo uteretur, inani nomine ducum alienae culpae praetendebantur; tribuni centurionesque ambigui, quod spretis melioribus deterrimi valebant; miles alacer, qui tamen iussa ducum interpretari quam exequi mallet. Promoveri ad quartum a Bedriaco *lapidem* castra placuit, adeo imperite, ut quamquam verno tempore anni et tot circum amnibus penuria aquae fatigarentur. Ibi de proelio dubitatum, Othone per litteras flagitante ut maturarent, militibus ut imperator pugnae adesset poscentibus;

5 insitā *pr* 9 patres *G*: partes 12 .G. marius 14 quos *G*: quo ·gn· 15 principatū 16 philippi sciuium 18 eaedem] cędem 19 uelud 22 uenia᷑, *ut videtur, pr*, uenio *corr* 29 exequ᷑i (*notam rec. m. induxit*) *lapidem: *om* (*cf. ad H.* 2 24) 31 amnibus *G*: manibus paenuria

plerique copias trans Padum agentes acciri postulabant. Nec perinde diiudicari potest quid optimum factu fuerit, quam pessimum fuisse quod factum est.

40 Non ut ad pugnam sed ad bellandum profecti confluentes Padi et Aduae fluminum, sedecim inde milium spatio distantes, petebant. Celso et Paulino abnuentibus militem itinere fessum, sarcinis gravem obicere hosti, non omissuro quo minus expeditus et vix quattuor milia passuum progressus aut incompositos in agmine aut dispersos et vallum molientes adgrederetur, Titianus et Proculus, ubi consiliis vincerentur, ad ius imperii transibant. Aderat sane citus equo Numida cum atrocibus mandatis, quibus Otho increpita ducum segnitia rem in discrimen mitti iubebat, aeger mora et spei inpatiens.

41 Eodem die ad Caecinam operi pontis intentum duo praetoriarum cohortium tribuni, conloquium eius postulantes, venerunt: audire conditiones ac reddere parabat, cum praecipites exploratores adesse hostem nuntiavere. Interruptus tribunorum sermo, eoque incertum fuit, insidias an proditionem vel aliquod honestum consilium coeptaverint. Caecina, dimissis tribunis revectus in castra, datum iussu Fabii Valentis pugnae signum et militem in armis invenit. Dum legiones de ordine agminis sortiuntur, equites prorupere; et mirum dictu, a paucioribus Othonianis quo minus in vallum inpingerentur, Italicae legionis virtute deterriti sunt: ea strictis mucronibus redire pulsos et pugnam resumere coegit. Disposita Vitellianarum legionum acies sine trepidatione: etenim, quamquam vicino hoste, aspectus armorum densis arbustis prohibebatur. Apud Othonianos pavidi duces, miles ducibus infensus, mixta vehicula et lixae, et praeruptis utrimque fossis via quieto quoque agmini angusta. Circum-

2 pinde *G* : ꝑInde quid *R* : qū factu *G* : factum 4 uellandum *pr* 5 Adduae *Puteolanus* 7 omissuro *Micyllus* : āmissuro 8 qminus 13 morae *Heinsius* 15 intentus *corr. vetere m.* intentum 17 uener̃. (uenerant *Haase*) c̃diciones 18 exploratores *G* : explora| 20 ceptauerint 24 dictū *pr* 25 ea strictis *R* : et astrictis (ea destr. *Weissenborn*) 27 acies *L* : arte 28 armorum] *fortasse* armatorum 30 behicula *pr* 31 utrīq;

sistere alii signa sua, quaerere alii; incertus undique clamor adcurrentium, occursantium; ut cuique audacia vel formido, in primam postremamve aciem prorumpebant aut relabebantur. Attonitas subito terrore mentes falsum gaudium in 42
languorem vertit, repertis qui descivisse a Vitellio exercitum ementirentur. Is rumor ab exploratoribus Vitellii dispersus, an in ipsa Othonis parte seu dolo seu forte surrexerit, parum compertum. Omisso pugnae ardore Othoniani ultro salutavere: set hostili murmure excepti, plerisque suorum ignaris quae causa salutandi, metum proditionis fecere. Tum incubuit hostium acies, integris ordinibus, robore et numero praestantior: Othoniani, quamquam dispersi, pauciores, fessi, proelium tamen acriter sumpsere. Et per locos arboribus ac vineis inpeditos non una pugnae facies: comminus eminus, catervis et cuneis concurrebant. In aggere viae conlato gradu corporibus et umbonibus niti, omisso pilorum iactu gladiis et securibus galeas loricasque perrumpere: noscentes inter se, ceteris conspicui, in eventum totius belli certabant. Forte inter Padum viamque patenti campo duae legiones 43
congressae sunt, pro Vitellio unaetvicensima, cui cognomen Rapaci, vetere gloria insignis, e parte Othonis prima Adiutrix, non ante in aciem deducta, sed ferox et novi decoris avida. Primani stratis unaetvicensimanorum principiis aquilam abstulere; quo dolore accensa legio et inpulit rursus primanos, interfecto Orfidio Benigno legato, et plurima signa vexillaque ex hostibus rapuit. A parte alia propulsa quintanorum impetu tertia decima legio; circumventi plurium adcursu quartadecimani. Et ducibus Othonis iam pridem profugis Caecina ac Valens subsidiis suos firmabant. Accessit recens auxilium, Varus Alfenus cum Batavis, fusa gladiatorum manu, quam navibus transvectam obpositae cohor-

2 *occursantium : uo clamantium (uo *est extra versum ab alia, sed vetere manu;* auolantium *Weissenborn*, uocitantium *Pichena*, conclamantium *Halm; cf. H.* 2 26, 3 17) 3 relabebantur *Victorius* : relebebantur (reuehebantur $\bar{s}$) 8 omisse 9 *set : et 15 c̃lato 16 gladiis *G* : cladibus (c *in* g *corr*) 17 perrūpere *fortasse ex corr.* 20 una et uicensima 22 noui *G* : n̄ ui 23 unę et uicensimanorum (*sic*) 28 quarta decimani 30 Varus *ed. princeps* : ua renus 31 obpisitae

tes in ipso flumine trucidaverant: ita victores latus hostium
44 invecti. Et media acie perrupta fugere passim Othoniani, Bedriacum petentes. Immensum id spatium, obstructae strage corporum viae, quo plus caedis fuit: neque enim civilibus bellis capti in praedam vertuntur. Suetonius Paulinus et Licinius Proculus diversis itineribus castra vitavere. Vedium Aquilam, tertiae decimae legionis legatum, irae militum inconsultus pavor obtulit. Multo adhuc die vallum ingressus clamore seditiosorum et fugacium circumstrepitur; non probris, non manibus abstinent; desertorem proditoremque increpant, nullo proprio crimine eius, sed more vulgi suum quisque flagitium aliis obiectantes. Titianum et Celsum nox iuvit, dispositis iam excubiis congressisque militibus, quos Annius Gallus consilio precibus auctoritate flexerat, ne super cladem adversae pugnae suismet ipsi caedibus saevirent: sive finis bello venisset seu resumere arma mallent, unicum victis in consensu levamentum. Ceteris fractus animus: praetorianus miles non virtute se sed proditione victum fremebat; ne Vitellianis quidem incruentam fuisse victoriam, pulso equite, rapta legionis aquila; superesse cum ipso Othone militum quod trans Padum fuerit, venire Moesicas legiones, magnam exercitus partem Bedriaci remansisse: hos certe nondum victos, et *se*, si ita *fors* ferret, honestius in acie perituros. His cogitationibus truces aut pavidi extrema desperatione ad iram saepius quam in formidinem sti-
45 mulabantur. At Vitellianus exercitus ad quintum a Bedriaco lapidem consedit, non ausis ducibus eadem die obpugnationem castrorum; simul voluntaria deditio sperabatur: sed expeditis et tantum ad proelium egressis munimentum fuere arma et victoria. Postera die, haud ambigua Othoniani exercitus voluntate et, qui ferociores fuerant, ad poenitentiam inclinantibus, missa legatio; nec apud duces Vitellianos dubita-

3 bedriacum 7 legionis 9 cir circumstrepitur 11 uolgi 13 *congressisque : conpressisque (*citium assimilatione natum ex* dis—*positis* iam con—*pressisque*) 15 ipsi sedibus *pr* 17 ceteris 19 Incruenta 23 *se, si : si *fors ferret : ferret (fors ita f. *Acidalius; cf. ad* 3 15) 26 bedriaco 30 exercitu 31 penitentiam 32 legatio, nec apud *Pichena* : legatione capud

tum quo minus pacem concederent. Legati paulisper retenti; ea res haesitationem attulit ignaris adhuc an impetrassent. Mox remissa legatione patuit vallum. Tum victi victoresque in lacrimas effusi, sortem civilium armorum misera laetitia detestantes; isdem *in* tentoriis alii fratrum, alii propinquorum vulnera fovebant. Spes et praemia in ambiguo, certa funera et luctus, nec quisquam adeo mali expers, ut non aliquam mortem maereret. Requisitum Orfidii legati corpus honore solito crematur; paucos necessarii ipsorum sepelivere, ceterum vulgus super humum relictum.

Opperiebatur Otho nuntium pugnae nequaquam trepi- 46
dus et consilii certus. Maesta primum fama, dein profugi e proelio perditas res patefaciunt. Non expectavit militum ardor vocem imperatoris; bonum haberet animum iubebant: superesse adhuc novas vires, et ipsos extrema passuros ausurosque. Neque erat adulatio: ire in aciem, excitare partium fortunam furore quodam et instinctu flagrabant. Qui procul adstiterant, tendere manus, et proximi prensare genua, promptissimo Plotio Firmo. Is praetorii praefectus identidem orabat ne fidissimum exercitum, ne optime meritos milites desereret: maiore animo tolerari adversa quam relinqui; fortes et strenuos etiam contra fortunam insistere spei, timidos et ignavos ad desperationem formidine properare. Quas inter voces ut flexerat vultum aut induraverat Otho, clamor et gemitus. Nec praetoriani tantum, proprius Othonis miles, sed praemissi e Moesia eandem obstinationem adventantis exercitus, legiones Aquileiam ingressas nuntiabant; ut nemo dubitet potuisse renovari bellum atrox lugubre, incertum victis et victoribus. Ipse aversus a consiliis 47
belli 'hunc' inquit 'animum, hanc virtutem vestram ultra periculis obicere nimis grande vitae meae pretium puto. Quanto plus spei ostenditis, si vivere placeret, tanto pulchrior mors erit. Experti in vicem sumus, ego ac Fortuna. Nec tempus conputaveritis: difficilius est temperare felicitati, qua

5 *isdem in : isdem 6 uolnera 10 uolgus 12 mesta 17 flagrabant *G* : fraglabant 18 adstiterant *G* : astiterant 22 Insistre 24 uoltum 27 aqle Iā nuntiabat (n *vetere m.*) 34 temperare *G* : temparere

te non putes diu usurum. Civile bellum a Vitellio coepit et, ut de principatu certaremus armis, initium illinc fuit: ne plus quam semel certemus, penes me exemplum erit; hinc Othonem posteritas aestimet. Fruetur Vitellius fratre coniuge liberis: mihi non ultione neque solaciis opus est. Alii diutius imperium tenuerint: nemo tam fortiter reliquerit. An ego tantum Romanae pubis, tot egregios exercitus sterni rursus et rei publicae eripi patiar? Eat hic mecum animus, tamquam perituri pro me fueritis: set *ipsi* este superstites. Nec diu moremur, ego incolumitatem vestram, vos constantiam meam. Plura de extremis loqui pars ignaviae est. Praecipuum destinationis meae documentum habete quod de nemine queror: nam incusare deos vel homines eius est qui
48 vivere velit.' Talia locutus, ut cuique aetas aut dignitas, comiter appellatos, irent propere neu remanendo iram victoris asperarent, iuvenes auctoritate, senes precibus movebat, placidus ore, intrepidus verbis, intempestivas suorum lacrimas coercens. Dari naves ac vehicula abeuntibus iubet; libellos epistulasque studio erga se aut in Vitellium contumeliis insignes abolet; pecunias distribuit, parce nec ut periturus. Mox Salvium Cocceianum, fratris filium, prima iuventa, trepidum et maerentem ultro solatus est, laudando pietatem eius, castigando formidinem: an Vitellium tam inmitis animi fore, ut pro incolumi tota domo ne hanc quidem sibi gratiam redderet? Mereri se festinato exitu clementiam victoris: non enim ultima desperatione, sed poscente proelium exercitu, remisisse rei publicae novissimum casum. Satis sibi nominis, satis posteris suis nobilitatis quaesitum. Post Iulios Claudios Servios se primum in familiam novam imperium intulisse. Proinde erecto animo capesseret vitam, neu patruum sibi Othonem fuisse aut oblivisceretur umquam aut nimium meminisset. Post quae dimotis omnibus paulum requievit.
49 Atque illum supremas iam curas animo volutantem repens tumultus avertit, nuntiata consternatione ac licentia militum:

1 ciuile *G*: ciuili cępit 2 illinc *R*: illic 3 pęnes 7 streni 9 *set ipsi este: se teste (sed este *vulgo*) 12 nomine *pr* 14 uellit 20 nec ut *G*: ne cui 22 pietate 26 exercitū 31 umquā 33 uolutantem *corr G*: uoluntatē

namque abeuntibus exitium minitabantur, atrocissima in Verginium vi, quem clausa domo obsidebant. Increpitis seditionis auctoribus regressus vacavit abeuntium adloquiis, donec omnes inviolati digrederentur. Vesperascente die sitim haustu gelidae aquae sedavit. Tum adlatis *duobus* pugionibus, cum utrumque pertemptasset, alterum capiti subdidit. Et explorato iam profectos amicos, noctem quietam, utque adfirmatur, non insomnem egit. Luce prima in ferrum pectore incubuit. Ad gemitum morientis ingressi liberti servique et Plotius Firmus [praetorii praefectus] unum vulnus invenere. Funus maturatum: ambitiosis id precibus petierat, ne amputaretur caput ludibrio futurum. Tulere corpus praetoriae cohortes cum laudibus et lacrimis, vulnus manusque eius exosculantes. Quidam militum iuxta rogum interfecere se, non noxa neque ob metum, sed aemulatione decoris et caritate principis. Ac postea promisce Bedriaci Placentiae aliisque in castris celebratum id genus mortis. Othoni sepulcrum extructum est modicum et mansurum. Hunc vitae finem habuit septimo et tricensimo aetatis anno. Origo illi e municipio Ferentino, pater consularis, avus praetorius; maternum genus inpar, nec tamen indecorum. Pueritia ac iuventa, qualem monstravimus. Duobus facinoribus, altero flagitiosissimo, altero egregio, tantundem apud posteros meruit bonae famae quantum malae. Vt conquirere fabulosa et fictis oblectare legentium animos procul gravitate coepti operis crediderim, ita vulgatis traditisque demere fidem non ausim. Die quo Bedriaci certabatur, avem invisitata specie apud Regium Lepidum celebri luco consedisse incolae memorant, nec deinde coetu hominum aut circumvolitantium alitum territam pulsamve, donec Otho se ipse interficeret; tum ablatam ex oculis; et tempora reputantibus initium finemque miraculi cum Othonis exitu competisse.

5 gelida eaq; *duobus pugionibus : pugionibus (*librarii oculi a* du *transiliere ad* pu; pugionibus duobus *G*) 6 utrimq; 9 gemitu 10 [*praetorii praefectus] *cf. c.* 46 uolnū *pr*, uolnus *corr* 16 celebrarū 17 sepulchrū 19 ferentino *G in margine* : ferentio 25 grauitatē *pr* cepti uolgatis 27 inusitata ς 28 neque inde *Petersen* cetu 30 ablata *G* : ablata

51 In funere eius novata luctu ac dolore militum seditio, nec erat qui coerceret. Ad Verginium versi, modo ut reciperet imperium, nunc ut legatione apud Caecinam ac Valentem fungeretur, minitantes orabant: Verginius per aversam domus partem furtim degressus inrumpentes frustratus est. Earum quae Brixelli egerant cohortium preces Rubrius Gallus tulit et venia statim impetrata, concedentibus *quoque* ad victorem per Flavium Sabinum iis copiis quibus praefuerat.

52 Posito ubique bello magna pars senatus extremum discrimen adiit, profecta cum Othone ab urbe, dein Mutinae relicta. Illuc adverso de proelio adlatum: sed milites ut falsum rumorem aspernantes, quod infensum Othoni senatum arbitrabantur, custodire sermones, vultum habitumque trahere in deterius; conviciis postremo ac probris causam et initium caedis quaerebant, cum alius insuper metus senatoribus instaret, ne praevalidis iam Vitellii partibus cunctanter excepisse victoriam crederentur. Ita trepidi et utrimque anxii coeunt, nemo privatim expedito consilio, inter multos societate culpae tutior. Onerabat paventium curas ordo Mutinensis arma et pecuniam offerendo, appellabatque patres
53 conscriptos intempestivo honore. Notabile iurgium fuit, quo Licinius Caecina Marcellum Eprium ut ambigua disserentem tum invasit. Nec ceteri sententiam *suam* aperiebant: sed invisum memoria delationum expositumque ad invidiam Marcelli nomen inritaverat Caecinam, ut novus adhuc et in senatum nuper adscitus magnis inimicitiis claresceret. Moderatione meliorum dirempti. Et rediere omnes Bononiam, rursus consiliaturi; simul medio temporis plures nuntii sperabantur. Bononiae, divisis per itinera qui recentissimum quemque percunctarentur, interrogatus Othonis libertus causam digressus habere se suprema eius mandata respondit:

2 uergenium, *mox* uergenius 4 auersam ς : aduersam 5 digressus *G* Inrūpente (irrumpentes *G*) 7 uenia *quoque ad : ad 13 uoltum 16 Instraret 21 Intempesti (in tempestiuo *G*) iurgium ς : uirgeniū 23 *tum inuasit : Ianuasit (in uasit *G*, inuasit *vulgo*) ceteris *sententiam suam : sententia⁹, *correctus recenti m.* sententias 24 inuisu 26 adscitus ς : adscitu⁹ (*notam induxit rec. m.*) 30 quenquē othonis Imbertus

ipsum viventem quidem relictum, sed sola posteritatis cura et abruptis vitae blandimentis. Hinc admiratio et plura interrogandi pudor, atque omnium animi in Vitellium inclinavere. Intererat consiliis frater eius L. Vitellius seque iam 54
adulantibus offerebat, cum repente Coenus, libertus Neronis, atroci mendacio universos perculit, adfirmans superventu quartae decimae legionis, iunctis a Brixello viribus, caesos victores, versam partium fortunam. Causa fingendi fuit, ut diplomata Othonis, quae neglegebantur, laetiore nuntio revalescerent. Et Coenus quidem rapide in urbem vectus paucos post dies iussu Vitellii poenas luit: senatorum periculum auctum credentibus Othonianis militibus vera esse quae adferebantur. Intendebat formidinem quod publici consilii facie discessum Mutina desertaeque partes forent. Nec ultra in commune congressi sibi quisque consuluere, donec missae a Fabio Valente epistulae demerent metum. Et mors Othonis quo laudabilior, eo velocius audita.

At Romae nihil trepidationis; Ceriales ludi ex more 55
spectabantur. Vt concessisse Othonem et a Flavio Sabino, praefecto urbis, quod erat in urbe militum iam sacramento Vitellii adactum certi auctores in theatrum adtulerunt, Vitellio plausere; populus cum lauru ac floribus Galbae imagines circum templa tulit, congestis in modum tumuli coronis iuxta lacum Curtii, quem locum Galba moriens sanguine infecerat. In senatu cuncta longis aliorum principatibus composita statim decernuntur; additae erga Germanicum exercitum laudes gratesque, et missa legatio quae gaudio fungeretur. Recitatae Fabii Valentis epistulae ad consules scriptae haud immoderate: gratior Caecinae modestia fuit, quod non scripsisset. Ceterum Italia gravius atque atrocius quam bello 56
adflictabatur. Dispersi per municipia et colonias Vitelliani spoliare rapere, vi et stupris polluere; in omne fas nefasque

6 snperuentū 10 rapide in ς : rapidū 11 pęnas 14 de serteq; 15 cōmu|mune 18 Atro mę me nichil Cereales *G*, *cf.* 15 74 19 *concessisse : cessisse (cessisse uita *Puteolanus*, uita cess. *Weissenborn*, cecidisse *Petersen*) 20 *iam : in (in *omisit R*) 24 curti. 25 compositā 26 *exercitum : exercitus (Germanicos exercitus ς) 29 immoderate *G* : Immoderatę 31 uitellianis *pr* 32 omnelas nefasq; *corr m. vetere* : sefasq; *pr*

avidi aut venales non sacro, non profano abstinebant. Et fuere qui inimicos suos specie militum interficerent. Ipsique milites regionum gnari refertos agros, dites dominos in praedam aut, si repugnatum foret, ad excidium destinabant, obnoxiis ducibus aut prohibere non ausis. Minus avaritiae in Caecina, plus ambitionis: Valens ob lucra et quaestus infamis eoque alienae etiam culpae dissimulator. Iam pridem attritis Italiae rebus tanta peditum equitumque vis damnaque et iniuriae aegre tolerabantur.

57 Interim Vitellius, victoriae suae nescius, ut ad integrum bellum reliquas Germanici exercitus vires trahebat. Pauci veterum militum in hibernis relicti, festinatis per Gallias dilectibus, ut remanentium legionum nomina supplerentur. Cura ripae Hordeonio Flacco permissa; ipse e Britannico exercitu delecta octo milia sibi adiunxit. Et paucorum dierum iter progressus prosperas apud Bedriacum res ac morte Othonis concidisse bellum accepit. Vocata contione virtutem militum laudibus cumulat. Postulante exercitu, ut libertum suum Asiaticum equestri dignitate donaret, inhonestam adulationem conpescit: dein mobilitate ingenii, quod palam abnuerat, inter secreta convivii largitur, honoravitque Asiaticum anulis, foedum mancipium et malis artibus ambitiosum.

58 Isdem diebus accessisse partibus utramque Mauretaniam, interfecto procuratore Albino, nuntii venere. Lucceius Albinus, a Nerone Mauretaniae Caesariensi praepositus, addita per Galbam Tingitanae provinciae administratione, haud spernendis viribus agebat. Decem *et* novem cohortes, quinque alae, ingens Maurorum numerus aderat, per latrocinia et raptus apta bello manus. Caeso Galba in Othonem pronus, nec Africa contentus, Hispaniae angusto freto diremptae im-

2 militu 5 *aut : et (uel *Wurm*) 7 alienę|alienę 8 attritis *pr*, adtritis *corr* tanta *Acidalius* : tantum 14 curari pęordeonio (*fortasse* cura ripae Rheni Hord.) brittannico 15 exercitu *Heraeus* : *om* adIuncxit 19 inhonesta 21 secreta c̃uii honorauitque *Puteolanus* : onerauitque (ornauitque *G*) 22 fędum 25 aluino LucceIus 27 tangitanae (tingitane *G*) 28 *et : *om* (*cf. Priscianus de figuris numerorum c.* 4) 30 Othonem *R* : othone

minebat. Inde Cluvio Rufo metus, et decimam legionem propinquare litori ut transmissurus iussit: praemissi centuriones qui Maurorum animos Vitellio conciliarent. Neque arduum fuit, magna per provincias Germanici exercitus fama; spargebatur insuper, spreto procuratoris vocabulo Albinum insigne regis et Iubae nomen usurpare. Ita mutatis animis 59
Asinius Pollio, alae praefectus, e fidissimis Albino, et Festus ac Scipio, cohortium praefecti, opprimuntur: ipse Albinus, dum e Tingitana provincia Caesariensem Mauretaniam petit, in adpulsu litoris trucidatus; uxor eius cum se percussoribus obtulisset, simul interfecta est, nihil eorum quae fierent Vitellio anquirente: brevi auditu quamvis magna transibat, inpar curis gravioribus.

Exercitum itinere terrestri pergere iubet: ipse Arare flumine devehitur, nullo principali paratu, sed vetere egestate conspicuus, donec Iunius Blaesus, Lugudunensis Galliae rector, genere illustri, largus animo et par opibus, circumdaret principi ministeria, comitaretur liberaliter, eo ipso ingratus, quamvis odium Vitellius vernilibus blanditiis velaret. Praesto fuere Luguduni victricium victarumque partium duces. Valentem et Caecinam pro contione laudatos curuli suae circumposuit. Mox universum exercitum occurrere infanti filio iubet, perlatumque et paludamento opertum sinu retinens Germanicum appellavit, cinxitque cunctis fortunae principalis insignibus. Nimius honos inter secunda rebus adversis in solacium *non* cessit. Tum interfecti sunt centuriones prom- 60
ptissimi Othonianorum; unde praecipua in Vitellium alienatio

9 dum et Ingitana mauretianā petit, in *Halm*: petiti 10 trucidatur ς 12 breui *G*: breue quamuis ς: ui quamuis transibat ς: transibant 16 blesus Lugudunensis] (*pleniore forma* lugudunensis, *mox* luguduni, *c.* 65 ligunduno (*pro* luguduno), *H.* 4 85 luguduni *in Mediceo comparet, breviore H.* I 59 lugdonensis, *c.* 59 lugdunensis, *dein* lugduni, *c.* 64 lugduni, *c.* 65 lugdunenses *et* lugdunensium, *H.* 4 86 lugdunum, *quam inconstantiam toleravi, quamquam verisimile est longiorem formam in Historiis ubique Tacito placuisse: in Annalibus brevior tantum legitur* 3 41 Lugduni, 16 13 Lugdunensem *mox* Lugdunenses) 17 animi *Heinsius* 21 curulis 25 hon; secunda, nec rebus *Classen* 26 *non: *om* (*cf. H.* 4 80) *interfecti sunt: interfectis (interfecti *G*, *et ita vulgo*)

per Illyricos exercitus; simul ceterae legiones contactu, set et adversus Germanicos milites invidia, bellum meditabantur. Suetonium Paulinum ac Licinium Proculum tristi mora squalidos tenuit, donec auditi necessariis magis defensionibus quam honestis uterentur. Proditionem ultro inputabant, spatium longi ante proelium itineris, fatigationem Othonianorum, permixtum vehiculis agmen ac pleraque fortuita fraudi suae adsignantes. Et Vitellius credidit de perfidia et fidem absolvit. Salvius Titianus, Othonis frater, nullum discrimen adiit, pietate et ignavia excusatus. Mario Celso consulatus servatur: sed creditum fama obiectumque mox in senatu Caecilio Simplici, quod eum honorem pecunia mercari, nec sine exitio Celsi, voluisset: restitit Vitellius, deditque postea consulatum Simplici innoxium et inemptum. Trachalum adversus criminantes Galeria, uxor Vitellii, protexit.

61 Inter magnorum virorum discrimina, pudendum dictu, Mariccus quidam, e plebe Boiorum, inserere sese fortunae et provocare arma Romana simulatione numinum ausus est. Iamque adsertor Galliarum et deus (nam id sibi indiderat) concitis octo milibus hominum proximos Aeduorum pagos trahebat, cum gravissima *Augustoduni* civitas electa iuventute, adiectis a Vitellio cohortibus, fanaticam multitudinem disiecit. Captus in eo proelio Mariccus ac mox feris obiectus quia non laniabatur, stolidum vulgus inviolabilem credebat, donec spectante Vitellio interfectus est.

62 Nec ultra in defectores aut bona cuiusquam saevitum: rata fuere eorum qui acie Othoniana ceciderant testamenta aut lex intestatis: prorsus, si luxuriae temperaret, avaritiam non timeres. Epularum foeda et inexplebilis libido: ex urbe atque Italia inritamenta gulae gestabantur, strepentibus ab

1 illyricos *G* : illycos cętere *set et : et et (et ⸗ *ac vulgo*) 7 permixtu› (*debuit* permixtu‾) 11 famae *Freinsheim* 12 honore pęcunia 14 Ineptum 19 nam—indiderat] *haec suspecta* 20 haeduorum, *item H.* 4 57 haeduos, *sed prior et antiquior Mediceus* 3 40 *et* 44 *et* 46 aeduos, 45 eduis, *tum alter* 11 25 aedui, *H.* 1 51 aeduisque, 65 aeduos *atque* aedui, *H.* 4 17 aeduos. *Straboni sunt Αἰδοῦοι* 21 *Augustoduni : *om* (*cf.* 3 43 *et* 45) 22 multitudine 24 uolgus 29 ępularum 30 gulaę

utroque mari itineribus; exhausti conviviorum apparatibus principes civitatum; vastabantur ipsae civitates; degenerabat a labore ac virtute miles adsuetudine voluptatum et contemptu ducis. Praemisit in urbem edictum quo vocabulum Augusti differret, Caesaris non reciperet, cum de potestate nihil detraheret. Pulsi Italia mathematici; cautum severe ne equites Romani ludo et arena polluerentur. Priores id principes pecunia et saepius vi perpulerant; ac pleraque municipia et coloniae aemulabantur corruptissimum quemque adulescentium pretio inlicere.

Sed Vitellius adventu fratris et inrepentibus dominationis magistris superbior et atrocior occidi Dolabellam iussit, quem in coloniam Aquinatem sepositum ab Othone rettulimus. Dolabella audita morte Othonis urbem introierat; id ei Plancius Varus, praetura functus, ex intimis Dolabellae amicis, apud Flavium Sabinum, praefectum urbis, obiecit, tamquam rupta custodia ducem se victis partibus ostentasset; addidit temptatam cohortem quae Ostiae ageret; nec ullis tantorum criminum probationibus in poenitentiam versus seram veniam post scelus quaerebat. Cunctantem super tanta re Flavium Sabinum Triaria, L. Vitellii uxor, ultra feminam ferox, terruit, e periculo principis famam clementiae *ne* adfectaret. Sabinus suopte ingenio mitis, ubi formido incessisset, facilis mutatu et in alieno discrimine sibi pavens, ne adlevasse videretur, inpulit ruentem. Igitur Vitellius, metu et odio, quod Petroniam uxorem eius mox Dolabella in matrimonium accepisset, vocatum per epistulas, vitata Flaminiae viae celebritate devertere Interamnam atque ibi interfici iussit. Longum interfectori visum: in itinere ac taberna proiectum humi iugulavit, magna cum invidia novi principatus, cuius hoc primum specimen noscebatur. Et Triariae licentiam modestum e proximo exemplum onerabat, Galeria,

63 64

7 et] aut *potius* harena 8 perpulerat (n *m. vetere*) 9 quenquē 13 se positum othonē *pr* 15 dole belle *pr* 18 temptata hostiae 19 penitentiam 20 super tanta re *G* : suptēntare (*lineam rec. m. induxit*) 22 e] ne ς (ne e *Halm*) *ne adfectaret : adfectaret 23 sauin; 28 Interamnam *Puteolanus* : Int amniu 29 *fortasse* longum id (*cf. c.* 78.) 32 licentiā *corr* : licentię *pr* modestū me *pr*

imperatoris uxor, non inmixta tristibus; et pari probitate mater Vitelliorum Sextilia, antiqui moris: dixisse quin etiam ad primas filii sui epistulas ferebatur, non Germanicum a se sed Vitellium genitum. Nec ullis postea fortunae inlecebris aut ambitu civitatis in gaudium evicta domus suae tantum adversa sensit.

65 Digressum a Luguduno Vitellium Cluvius Rufus adsequitur, omissa Hispania laetitiam et gratulationem vultu ferens, animo anxius et petitum se criminationibus gnarus. Hilarius, Caesaris libertus, detulerat, tamquam audito Vitellii et Othonis principatu propriam ipse potentiam et possessionem Hispaniarum temptasset, eoque diplomatibus nullum principem praescripsisset; interpretabatur quaedam *etiam* ex orationibus eius contumeliosa in Vitellium et pro se ipso popularia. Auctoritas Cluvii praevaluit, ut puniri ultro libertum suum Vitellius iuberet. Cluvius comitatui principis adiectus, non adempta Hispania, quam rexit absens exemplo L. *Arruntii.* Arruntium Tiberius Caesar ob metum, Vitellius Cluvium nulla formidine retinebat. Non idem Trebellio Maximo honos: profugerat Britannia ob iracundiam militum; missus est in locum eius Vettius Bolanus e praesentibus.

66 Angebat Vitellium victarum legionum haudquaquam fractus animus. Sparsae per Italiam et victoribus permixtae hostilia loquebantur, praecipua quartadecimanorum ferocia qui se victos abnuebant: quippe Bedriacensi acie vexillariis tantum pulsis vires legionis non adfuisse. Remitti eos in Britanniam, unde a Nerone exciti erant, placuit atque interim Batavorum cohortes una tendere ob veterem adversus quartadecimanos discordiam. Nec diu in tantis armatorum odiis quies fuit: Augustae Taurinorum, dum opificem quendam Batavus ut fraudatorem insectatur, legionarius ut

1 immixta *Gronovius* : In mix (minax ς) probitatē *pr* 7 ligunduno *Cluuius* : ·M· cluuius 8 uoltu 12 diplomatjb; (*postremae litterae in rasura*) 13 *quaedam etiam : quedam ex orationibus *R* : exortationibus 14 ipso *G* : ipsū 16 Iuueret 17 *L. Arruntii. Arruntium Tiberius : L. arruntiu᷑ ti. 18 cluuiūs 19 nondidem 20 brittannia, *mox c.* 67 brittanniam 21 bettius bolanus. e praesentibus. (*sic*) 30 Augustae *G* : agusta (u *m. vetere*)

hospitem tuetur, sui cuique commilitones adgregati a conviciis ad caedem transiere. Et proelium atrox arsisset, ni duae praetoriae cohortes causam quartadecimanorum secutae his fiduciam et metum Batavis fecissent; quos Vitellius agmini suo iungi ut fidos, legionem Grais Alpibus traductam eo flexu itineris ire iubet, quo Viennam vitarent: namque et Viennenses timebantur. Nocte qua proficiscebatur legio, relictis passim ignibus pars Taurinae coloniae ambusta, quod damnum, ut pleraque belli mala, maioribus aliarum urbium cladibus obliteratum. Quartadecimani postquam Alpibus degressi sunt, seditiosissimus quisque signa Viennam ferebant: consensu meliorum conpressi et legio in Britanniam transvecta. Proximus Vitellio e praetoriis cohortibus metus erat. 67
Separati primum, deinde addito honestae missionis lenimento, arma ad tribunos suos deferebant, donec motum a Vespasiano bellum crebresceret: tum resumpta militia robur Flavianarum partium fuere. Prima classicorum legio in Hispaniam missa, ut pace et otio mitesceret, undecima ac septima suis hibernis redditae, tertiadecimani struere amphitheatra iussi: nam Caecina Cremonae, Valens Bononiae spectaculum gladiatorum edere parabant, numquam ita ad curas intento Vitellio, ut voluptatum oblivisceretur.

Et . . quidem partes modeste distraxerat: apud victores 68
orta seditio, ludicro initio, ni numerus caesorum invidiam Vitellio auxisset. Discubuerat Vitellius Ticini adhibito ad epulas Verginio. Legati tribunique ex moribus imperatorum severitatem aemulantur vel tempestivis conviviis gaudent; perinde miles intentus aut licenter agit. Apud Vitellium omnia indisposita temulenta, pervigiliis ac bacchanalibus quam disciplinae et castris propiora. Igitur duobus militibus, altero

5 Grais Alpibus *G* : grat salpib; 7 uiennenses proficiscebatur *G* : proficiscebantur 8 colonib; 10 degressi *Pichena* : digressi (*sic*) 12 consensū 16 crebesceret (r *retere manu, ut videtur*) 19 ttia decimani 20 iussi *R* : Iussit (t *exscriptum retere m.*) cecina ualen 23 *et . . quidem : et quidem (*explevérim* inquietas, *Haase* uictas) 24 ni *Agricola* : *om* (nisi *R*) Vitellio *Doederlein* : bello 26 seueritatē *G* : seueritate 27 conuiis (*sic*) perinde *G* : pInde 29 bachanalibus

legionis quintae, altero e Gallis auxiliariibus, per lasciviam ad certamen luctandi accensis, postquam legionarius procciderat, insultante Gallo et iis qui ad spectandum convenerant in studia diductis, erupere legionarii in perniciem auxiliorum ac duae cohortes interfectae. Remedium tumultus fuit alius tumultus. Pulvis procul et arma aspiciebantur: conclamatum repente quartam decimam legionem verso itinere ad proelium venire; sed erant agminis coactores: agniti dempsere sollicitudinem. Interim Verginii servus forte obvius ut percussor Vitellii insimulatur: et ruebat ad convivium miles, mortem Verginii exposcens. Ne Vitellius quidem, quamquam ad omnes suspitiones pavidus, de innocentia eius dubitavit: aegre tamen cohibiti qui exitium consularis et quondam ducis sui flagitabant. Nec quemquam saepius quam Verginium omnis seditio infestavit: manebat admiratio viri et
69 fama, set oderant ut fastiditi. Postero die Vitellius, senatus legatione quam ibi opperiri iusserat audita, transgressus in castra ultro pietatem militum conlaudavit, frementibus auxiliis tantum inpunitatis atque arrogantiae legionariis accessisse. Batavorum cohortes, ne quid truculentius auderent, in Germaniam remissae, principium interno simul externoque bello parantibus fatis. Reddita civitatibus Gallorum auxilia, ingens numerus et prima statim defectione inter inania belli adsumptus. Ceterum ut largitionibus adfectae iam imperii opes sufficerent, amputari legionum auxiliorumque numeros iubet vetitis supplementis; et promiscae missiones offerebantur. Exitiabile id rei publicae, ingratum militi, cui eadem munia inter paucos periculaque ac labor crebrius redibant; et vires luxu corrumpebantur, contra veterem disciplinam et instituta maiorum, apud quos virtute quam pecunia res Romana melius stetit.

70 Inde Vitellius Cremonam flexit, et spectato munere Caecinae insistere Bedriacensibus campis ac vestigia recentis

3 ad spectandu conuenerant *eadem m. corr* : ad spectaculum uenerant *pr* 4 diductis *ed. princeps* : deductis perniciē *G* : pnicie 12 omnes *G* : omne suspiciones 15 āmiratio 16 famas et 20 auderent *G* : audirent 22 pa parantibus *pr* 24 iam *G* : tā 26 promisca emissiones 30 uirtutē *pr*

victoriae lustrare oculis concupivit, foedum atque atrox spectaculum. Intra quadragensimum pugnae diem lacera corpora, trunci artus, putres virorum equorumque formae, infecta tabo humus, protritis arboribus ac frugibus dira vastitas. Nec minus inhumana pars viae, quam Cremonenses lauru rosisque constraverant, extructis altaribus caesisque victimis regium in morem; quae laeta in praesens mox pernutiem ipsis fecere. Aderant Valens et Caecina, monstrabantque pugnae locos: hinc inrupisse legionum agmen, hinc equites coortos, inde circumfusas auxiliorum manus. Iam tribuni praefectique, sua quisque facta extollentes, falsa vera aut maiora vero miscebant. Vulgus quoque militum clamore et gaudio deflectere via, spatia certaminum recognoscere, aggerem armorum, strues corporum intueri mirari; et erant quos varia sors rerum lacrimaeque et misericordia subiret. At non Vitellius flexit oculos, nec tot milia insepultorum civium exhorruit: laetus ultro et tam propinquae sortis ignarus instaurabat sacrum dis loci.

Exin Bononiae a Fabio Valente gladiatorum specta- 71
culum editur, advecto ex urbe cultu. Quantoque magis propinquabat, tanto corruptius iter immixtis histrionibus et spadonum gregibus et cetero Neronianae aulae ingenio: namque et Neronem ipsum Vitellius admiratione celebrarat, sectari cantantem solitus, non necessitate, qua honestissimus quisque, sed luxui et saginae mancipatus emptusque. Vt Valenti et Caecinae vacuos honoris menses aperiret, coartati aliorum consulatus, dissimulatus Marcii Macri tamquam Othonianarum partium ducis; et Valerium Marinum, destinatum a Galba consulem, distulit, nulla offensa, sed mitem et iniuriam segniter laturum. Pedanius Costa omittitur, ingratus principi ut adversus Neronem ausus *exsurgere* et Verginii extimulator, sed alias protulit causas; actaeque insuper Vitellio gratiae consuetudine servitii.

5 rosasque (rosisque *G*, rosaque *Doederlein*) 7 inpresens *pernutiem : pmitiel (*sic*) 8 aderat (adderāt *pr G*) 9 cohortos 12 uolgus 15 sors ꝯ : fors misericordia] mia 19 Ex In 23 admirationē *pr* *celebrarat : celebrabat 25 *luxui : luxu 27 Marcii Macri] ma marci matri (ma *in rasura*) 31 *exsurgere et : et *(cf. c.* 76, uim ausus *Vrlichs)*

72 Non ultra paucos dies, quamquam acribus initiis coeptum, mendacium valuit. Extiterat quidam Scribonianum se Camerinum ferens, Neronianorum temporum metu in Histria occultatum, quod illic clientelae et agri veterum Crassorum ac nominis favor manebant. Igitur deterrimo quoque in argumentum fabulae assumpto vulgus credulum et quidam militum, errore veri seu turbarum studio, certatim adgregabantur, cum pertractus ad Vitellium interrogatusque *est* quisnam mortalium esset. Postquam nulla dictis fides et a domino noscebatur conditione fugitivus, nomine Geta, sumptum de eo supplicium in servilem modum.

73 Vix credibile memoratu est quantum superbiae socordiaeque Vitellio adoleverit, postquam speculatores e Syria Iudaeaque adactum in verba eius Orientem nuntiavere. Nam etsi vagis adhuc et incertis auctoribus, erat tamen in ore famaque Vespasianus, ac plerumque ad nomen eius Vitellius excitabatur: tum ipse exercitusque, ut nullo aemulo, saevitia libidine raptu in externos mores proruperant.

74 At Vespasianus bellum armaque et procul vel iuxta sitas vires circumspectabat. Miles ipsi adeo paratus, ut praeeuntem sacramentum et fausta Vitellio omina precantem per silentium audierint; Muciani animus nec Vespasiano alienus et in Titum pronior; praefectus Aegypti Ti. Alexander consilia sociaverat; tertiam legionem, quod e Syria in Moesiam transisset, suam numerabat; ceterae Illyrici legiones secuturae sperabantur: namque omnis exercitus flammaverat adrogantia venientium a Vitellio militum, quod truces corpore, horridi sermone ceteros ut inpares inridebant. Sed in tanta mole belli plerumque cunctatio; et Vespasianus modo in spem erectus, aliquando adversa reputabat: quis ille dies foret, quo sexaginta aetatis annos et duos filios iuvenes bello

1 cęptum 5 *manebant : manebat 6 uolgus 8 *interrogatusque est : interrogatusque 9 esset. postquam] esset, postquam *vulgo*, esset et, postquam *Halm* 10 condicione 11 seruilem *G* : seruile 17 aemulos *pr* 21 omĩa, *h. e.* omina 23 Aegypti Ti. *Muretus* : egyp|ti 24 e Syria *L* : de siria 25 suã *G* : sua illjrici 26 omĩs 28 in tanta mole ς : Iniant amole 30 adūsare putabat

permitteret? Esse privatis cogitationibus progressum, esse regressum, et, prout velint, plus minusve sumi ex fortuna: imperium cupientibus nihil medium inter summa aut praecipitia. Versabatur ante oculos Germanici exercitus robur, 75
notum viro militari: suas legiones civili bello inexpertas, Vitellii victrices, et apud victos plus querimoniarum quam virium. Fluxam per discordias militum fidem et periculum ex singulis: quid enim profuturas cohortes alasque, si unus alterque praesenti facinore paratum ex diverso praemium petat? Sic Scribonianum sub Claudio interfectum; sic percussorem eius Volaginium e gregario ad summa militiae provectum: facilius universos inpelli quam singulos vitari. His pavoribus nutantem et alii legati amicique firmabant, et 76
Mucianus, post multos secretosque sermones iam et coram amicis ita locutus: 'omnes qui magnarum rerum consilia suscipiunt, aestimare debent an quod inchoaturi *sunt*, rei publicae utile, ipsis gloriosum, an promptum effectu aut certe non arduum sit; simul ipse qui suadet considerandus est, adiciatne consilio periculum suum, et, si fortuna coeptis adfuerit, cui summum decus adquiratur. Ego te, Vespasiane, ad imperium voco tam salutare rei publicae quam tibi magnificum. Iuxta deos in tua manu positum est. Nec speciem adulantis expaveris: a contumelia quam a laude propius fuerit post Vitellium eligi. Non adversus divi Augusti acerrimam mentem, nec adversus cautissimam Tiberii senectutem, ne contra Gai quidem aut Claudii vel Neronis fundatam longo imperio domum exsurgimus; cessisti etiam Galbae imaginibus: torpere ultra et polluendam perdendamque rem publicam relinquere sopor et ignavia videretur, etiam si tibi quam inhonesta, tam tuta servitus esset. Abiit iam et transvectum est tempus, quo posses videri concupisse: confugiendum est

1 esse regressum *Weissenborn*: *om* 3 suma 7 fidēs *pr* 8 alterue *Wurm* 9 facinore *liber Budensis*: facinora (facinori ς). 10 scribonianus (*nota recenti m.*) 14 *coram amicis: corona (coram ς, amicis coram *Freinsheim*) 15 oms 16 *inchoaturi sunt: inchoaturi (inchoatur ς) 17 an *Classen*: aut effectū certe non ς: n̄ certe n̄ 19 cęptis 21 tam *G in rasura*: tanquā 22 *fortasse* id in 25 tyberii 28 torpere *G*: torpore perdendanq; RP. 29 sopore et *pr*

ad imperium. An excidit trucidatus Corbulo? Splendidior is origine quam nos sumus, fateor, sed et Nero nobilitate natalium Vitellium anteibat. Satis clarus est apud timentem quisquis timetur. Et posse ab exercitu principem fieri sibi ipse Vitellius documento, nullis stipendiis, nulla militari fama, Galbae odio provectus. Ne Othonem quidem ducis arte aut exercitus vi, sed praepropera ipsius desperatione victum, iam desiderabilem et magnum principem fecit, cum interim spargit legiones, exarmat cohortes, nova cotidie bello semina ministrat. Si quid ardoris ac ferociae miles habuit, popinis et comissationibus et principis imitatione deteritur. Tibi e Iudaea et Syria et Aegypto novem legiones integrae, nulla acie exhaustae, non discordia corruptae, sed firmatus usu miles et belli domitor externi; classium alarum cohortium robora, et fidissimi reges, et tua ante omnis experientia.

77 Nobis nihil ultra adrogabo, quam ne post Valentem et Caecinam numeremur. Ne tamen Mucianum socium spreveris, quia aemulum non experiris, me Vitellio antepono, te mihi. Tuae domui triumphale nomen, duo iuvenes, capax iam imperii alter et primis militiae annis apud Germanicos quoque exercitus clarus. Absurdum fuerit non cedere imperio ei, cuius filium adoptaturus essem, si ipse imperarem. Ceterum inter nos non idem prosperarum adversarumque rerum ordo erit. Nam si vincimus, honorem quem dederis habebo: discrimen ac pericula ex aequo partiemur. Immo, ut melius est, tu hos exercitus rege, mihi bellum et proeliorum incerta trade. Acriore hodie disciplina victi quam victores agunt. Hos ira odium, ultionis cupiditas ad virtutem accendit: illi per fastidium et contumaciam hebescunt. Aperiet et recludet contecta et tumescentia victricium partium vulnera bellum ipsum; nec mihi maior in tua vigilantia, parsimonia, sapien-

1 splendidior is *Weissenborn* : splendiorj (splendidior *G*) 5 nulli 7 exercitus ui *P* : exercitu sui 11 cōmissationibus tibię Iudea 15 omīs (omnia *Ruperti*) 16 postulantem ualentem 17 cecinam 19 mihi *nunc, non* michi *pro more suo* 25 partiemur *B* : patiemur 26 tu hos *Puteolanus* : tuos 29 contumaciam ς : contumacia habescunt 30 contectā *pr* uolnera 31 parsimonia] *suspicor* parsimonia sanguinis; *cf. H.* 3 8 *et* 75

tia fiducia est quam in Vitellii torpore. inscitia. saevitia. Sed meliorem in bello causam quam in pace habemus: nam qui deliberant, desciverunt.' Post Muciani orationem ceteri au- 78
dentius circumsistere hortari, responsa vatum et siderum motus referre. Nec erat intactus tali superstitione. ut qui mox rerum dominus Seleucum quendam mathematicum rectorem et praescium palam habuerit. Recursabant animo vetera omina: cupressus arbor in agris eius conspicua altitudine repente prociderat ac postera die eodem vestigio resurgens procera et latior virebat. Grande id prosperumque consensu haruspicum, et summa claritudo iuveni admodum Vespasiano promissa, sed primo triumphalia et consulatus et Iudaicae victoriae decus inplesse fidem ominis videbantur: ut haec adeptus est, portendi sibi imperium credebat. Est Iudaeam inter Syriamque Carmelus: ita vocant montem deumque. Nec simulacrum deo aut templum; sic tradidere maiores, aram tantum et reverentiam. Illic sacrificanti Vespasiano, cum spes occultas versaret animo, Basilides sacerdos inspectis identidem extis 'quicquid est' inquit, 'Vespasiane, quod paras, seu domum extruere seu prolatare agros sive ampliare servitia, datur tibi magna sedes, ingentes termini, multum hominum.' Has ambages et statim exceperat fama et tunc aperiebat; nec quidquam magis in ore vulgi. Crebriores apud ipsum sermones, quanto sperantibus plura dicuntur. Haud dubia 79
destinatione discessere, Mucianus Antiochiam, Vespasianus Caesaream: illa Suriae, hoc Iudaeae caput est.

Initium ferendi ad Vespasianum imperii Alexandriae coeptum, festinante Tiberio Alexandro, qui kalendis Iuliis sacramento eius legiones adegit. Isque primus principatus dies in posterum celebratus, quamvis Iudaicus exercitus quintum nonas Iulii apud ipsum iurasset, eo ardore ut ne Titus quidem filius expectaretur, Syria remeans et consiliorum in-

3 desciuẽr audentius *G*: audientiu's (notam *induxit rec. m.*) 7 omia 12 Iudęicę (*v. ad H.* 1 10) 13 hominis uidebantur ꝫ: uidebatur 14 est *ante* Iud. *G*: et 19 ꝙqꝙt, *mox* ꝙdqua 23 uolgi 26 haec ꝫ capud 27 ad uesp. *G*: auespasianum 28 cꝙptum Tiberio] tiõ Kt. 30 *quintum: .u. 31 nõn Iulii

ter Mucianum ac patrem nuntius. Cuncta impetu militum
80 acta, non parata contione, non coniunctis legionibus. Dum quaeritur tempus locus, quodque in re tali difficillimum est, prima vox, dum animo spes timor, ratio casus obversantur, egressum cubiculo Vespasianum pauci milites, solito adsistentes ordine ut legatum salutaturi, imperatorem salutavere. Tum ceteri adcurrere, Caesarem et Augustum et omnia principatus vocabula cumulare. Mens a metu ad fortunam transierat: in ipso nihil tumidum, adrogans aut in rebus novis novum fuit. Vt primum tantae iam altitudinis obfusam oculis caliginem disiecit, militariter locutus laeta omnia et affluentia excepit: namque id ipsum opperiens Mucianus alacrem militem in verba Vespasiani adegit. Tum Antiochensium theatrum ingressus, ubi illis consultare mos est, concurrentes et in adulationem effusos adloquitur, satis decorus etiam Graeca facundia, omniumque quae diceret atque ageret arte quadam ostentator. Nihil aeque provinciam exercitumque accendit quam quod adseverabat Mucianus, statuisse Vitellium ut Germanicas legiones in Syriam ad militiam opulentam quietamque transferret, contra Syriacis [legionibus] Germanica hiberna, caelo ac laboribus dura, mutarentur: quippe et provinciales sueto militum contubernio gaudebant, plerique necessitudinibus et propinquitatibus mixti, et militibus vetustate stipendiorum nota et familiaria castra in modum
81 penatium diligebantur. Ante idus Iulii Syria omnis in eodem sacramento fuit. Accessere cum regno Sohaemus haud spernendis viribus, Antiochus vetustis opibus ingens et inservientium regum ditissimus. Mox per occultos suorum nuntios excitus ab urbe Agrippa, ignaro adhuc Vitellio, celeri navigatione properaverat. Nec minore animo regina Berenice partes iuvabat, florens aetate formaque et seni quoque Vespa-

2 contione *Agricola et Pichena*: cognitione 5 adsistentes *Pichena*: adsistent 7 cẹteri oĩa 10 *iam altitudinis: multitudinis (altitudinis *Triller*, mutationis *Gronovius*) 11 oĩa (*sic*) 14 illis *G*: illi 17 nihil, *non* nichil *pro more suo* 18 quan quod 20 *[legionibus] 21 hiberno (hyberna *R*) 25 Id Iutj 29 excitus *G*: exercitus celerina uagatione

siano magnificentiá munerum grata. Quidquid provinciarum adluitur mari Asia atque Achaia tenus, quantumque introrsus in Pontum et Armenios patescit, iuravere[, sed inermes legati regebant, nondum additis Cappadociae legionibus]. Consilium de summa rerum Beryti habitum. Illuc Mucianus cum legatis tribunisque et splendidissimo quoque centurionum ac militum venit, et e Iudaico exercitu lecta decora. Tantum simul peditum equitumque et aemulantium inter se regum paratus speciem fortunae principalis effecerant. Prima 82 belli cura agere dilectus, revocare veteranos. Destinantur validae civitates exercendis armorum officinis; apud Antiochenses aurum argentumque signatur, eaque cuncta per idoneos ministros, suis quodque locis, festinabantur. Ipse Vespasianus adire hortari, bonos laude, segnes exemplo incitare saepius quam coercere *verbis*, vitia magis amicorum quam virtutes dissimulans. Multos praefecturis et procurationibus, plerosque senatorii ordinis honore percoluit, egregios viros et mox summa adeptos; quibusdam fortuna pro virtutibus fuit. Donativum militi neque Mucianus prima contione nisi modice ostenderat, *ac* ne Vespasianus quidem plus civili bello obtulit quam alii in pace, egregie firmus adversus militarem largitionem eoque exercitu meliore. Missi ad Parthum Armeniumque legati, provisumque ne versis ad civile bellum legionibus terga nudarentur. Titum instare Iudaeae, Vespasianum obtinere claustra Aegypti placuit: sufficere videbantur adversus Vitellium pars copiarum et dux Mucianus et Vespasiani nomen ac nihil arduum fatis. Ad omnes exercitus legatosque scriptae epistulae, praeceptumque ut praetorianos Vitellio infensos reciperandae militiae praemio invitarent. Mucianus cum expedita manu, socium magis imperii 83 quam ministrum agens, non lento itinere, ne cunctari videretur, neque tamen properans, gliscere famam ipso spatio sinebat, gnarus modicas vires sibi et maiora credi de absenti-

1 qdqd 2 asya 3 *[sed—legionibus] 5 beriti 11 antyochenses 13 *quodque : qq; (quaeque *in margine; cf. ad H.* 3 56) 15 *uerbis, uitia : uitia 19 donatiuo militi 20 *ac ne : ne 21 ciuile *(fortasse* ciuili in) 23 ciuilē *pr* 33 assentibus *pr*

bus. Sed legio sexta et tredecim vexillariorum milia ingenti agmine sequebantur. Classem e Ponto Byzantium adigi iusserat, ambiguus consilii, num omissa Moesia Dyrrachium pedite atque equite *tenderet*, simul longis navibus versum in Italiam mare clauderet, tuta pone tergum Achaia Asiaque, quas inermes exponi Vitellio, ni praesidiis firmarentur; atque ipsum Vitellium in incerto fore quam partem Italiae protegeret, si sibi Brundisium Tarentumque et Calabriae Lucaniaeque litora
84 infestis classibus peterentur. Igitur navium militum armorum paratu strepere provinciae, sed nihil aeque fatigabat quam pecuniarum conquisitio: eos esse belli civilis nervos dictitans Mucianus non ius aut verum in cognitionibus, sed solam magnitudinem opum spectabat. Passim delationes, et locupletissimus quisque in praedam correpti. Quae gravia atque intoleranda, sed necessitate armorum excusata, etiam in pace mansere, ipso Vespasiano inter initia imperii ad optinendas iniquitates haud perinde obstinante, donec indulgentia fortunae et pravis magistris didicit aususque est. Propriis quoque opibus Mucianus bellum iuvit, largus privatim, quod avidius de re publica sumeret. Ceteri conferendarum pecuniarum exemplum secuti, rarissimus quisque eandem in reciperando licentiam habuerunt.

85 Adcelerata interim Vespasiani coepta Illyrici exercitus studio: transgressa in partes tertia legio exemplum ceteris Moesiae legionibus praebuit; octava erat ac septima Claudiana, inbutae favore Othonis, quamvis proelio non interfuissent. Aquileiam progressae, proturbatis qui de Othone nuntiabant laceratisque vexillis nomen Vitellii praeferentibus, rapta postremo pecunia et inter se divisa, hostiliter egerant. Vnde metus et ex metu consilium: posse inputari Vespasiano quae apud Vitellium excusanda erant. Ita tres Moesicae legiones per epistulas alliciebant Pannonicum exercitum aut abnuenti vim parabant. In eo motu Aponius Saturninus, Moesiae rector, pessimum facinus audet, misso centurione ad in-

2 eponto 3 dirrachium 4 *equite tenderet : equite (equite peteret ς) 5 asyaq; quasi Inermes 8 brudisiū Inlitora 17 haud pIn| 18 didicit *G* : dicit 20 RP. 21 pecuniarum *G* : pecuniā 23 cępta 24 transgressa *Agricola* : transgressi 32 allictebant

terficiendum Tettium Iulianum, septimae legionis legatum, ob simultates, quibus causam partium praetendebat. Iulianus comperto discrimine et gnaris locorum adscitis per avia Moesiae ultra montem Haemum profugit; nec deinde civili bello interfuit, per varias moras susceptum ad Vespasianum iter trahens et ex nuntiis cunctabundus aut properans. At 86
in Pannonia tertia decima legio ac septima Galbiana, dolorem iramque Bedriacensis pugnae retinentes, haud cunctanter Vespasiano accessere, vi praecipua Primi Antonii. Is legibus nocens et tempore Neronis falsi damnatus inter alia bellorum mala senatorium ordinem reciperaverat. Praepositus a Galba septimae legioni scriptitasse Othoni credebatur, ducem se partibus offerens; a quo neglectus in nullo Othoniani belli usu fuit. Labantibus Vitellii rebus Vespasianum secutus grande *ei* momentum addidit, strenuus manu, sermone promptus, serendae in alios invidiae artifex, discordiis et seditionibus potens, raptor largitor, pace pessimus, bello non spernendus. Iuncti inde Moesici ac Pannonici exercitus Delmaticum militem traxere, quamquam consularibus legatis nihil turbantibus. Tampius Flavianus Pannoniam, Pompeius Silvanus Dalmatiam tenebant, divites senes: sed procurator aderat Cornelius Fuscus, vigens aetate, claris natalibus. Prima iuventa quaestus cupidine senatorium ordinem exuerat; idem pro Galba dux coloniae suae ..., eaque opera procurationem adeptus, susceptis Vespasiani partibus, acerrimam bello facem praetulit: non tam praemiis periculorum quam ipsis periculis laetus pro certis et olim partis nova ambigua ancipitia malebat. igitur movere et quatere, quidquid usquam aegrum foret, adgrediuntur. Scriptae in Britanniam ad quartadecimanos, in Hispaniam ad primanos epistulae, quod utraque legio pro Othone, adversa Vitellio fuerat. Sparguntur per Gallias litterae; momentoque temporis flagrabat ingens bel-

2 causās *pr* 4 hemū 5 ad uesp. *G* : auespasianum 10 bellorum *Doederlein* : bellum (belli ς) 14 *grande ei : grande 18 delmaticum, *mox* dalmatiam 19 nihil *h. l.* 20 Tampius *Faernus ad H.* 3 10 : Titus aplius flauianus ς : fabianus *(cf. H.* 3 4 *et* 10*)* 21 *fortasse* procurator Tampio aderat (*cf. H.* 3 4) 22 quaestus *Grotius* : qetis 24 *suae ... : suae *(explecerim* enixe partes adiuuerat) 28 qdqd 29 brittaniam

lum, Illyricis exercitibus palam desciscentibus, ceteris fortunam secuturis.

87 Dum haec per provincias a Vespasiano ducibusque partium geruntur, Vitellius contemptior in dies segniorque, ad omnes municipiorum villarumque amoenitates resistens, gravi urbem agmine petebat. Sexaginta milia armatorum sequebantur, licentia corrupta; calonum numerus amplior, procacissimis etiam inter servos lixarum ingeniis; tot legatorum amicorumque comitatus inhabilis ad parendum, etiam si summa modestia regeretur. Onerabant multitudinem obvii ex urbe senatores equitesque, quidam metu, multi per adulationem, ceteri ac paulatim omnes, ne aliis proficiscentibus ipsi remanerent. Adgregabantur e plebe flagitiosa per obsequia Vitellio cogniti, scurrae histriones aurigae, quibus ille amicitiarum dehonestamentis mire gaudebat. Nec coloniae modo aut municipia congestu copiarum, sed ipsi cultores arvaque
88 maturis iam frugibus ut hostile solum vastabantur. Multae et atroces inter se militum caedes, post seditionem Ticini coeptam manente legionum auxiliorumque discordia *atque*, ubi adversus paganos certandum foret, consensu. Sed plurima strages ad septimum ab urbe lapidem. Singulis ibi militibus Vitellius paratos cibos ut gladiatoriam saginam dividebat; et effusa plebes totis se castris miscuerat. Incuriosos milites [vernacula utebantur urbanitate] quidam spoliavere, abscisis furtim balteis an accincti forent rogitantes. Non tulit ludibrium insolens contumeliarum animus: inermem populum gladiis invasere. Caesus inter alios pater militis, cum filium comitaretur, deinde agnitus, et vulgata caede temperatum ab innoxiis. In urbe tamen trepidatum praecurrentibus passim militibus; forum maxime petebant, cupidine visendi locum in quo Galba iacuisset. Nec minus saevum spectaculum erant ipsi, tergis ferarum et ingentibus telis horrentes, cum turbam populi per inscitiam parum vitarent, aut ubi lubrico viae vel

5 oñs. *item mox* 10 regeretur *G*: regetur 15 mirę 19 cęptam **atque*, ubi: ubi 20 certando *pr* foret *G*: fore 24 *[uernacula — urbanitate] 26 *contumeliarum: ĉtumelia⁊ *pr*, contumeliae *correctus al. m.* 28 uolgata 31 saeuum ę: scaeuum

occursu alicuius procidissent, ad iurgium, mox ad manus et ferrum transirent. Quin et tribuni praefectique cum terrore et armatorum catervis volitabant. Ipse Vitellius a ponte 89
Mulvio insigni equo, paludatus accinctusque, senatum et populum ante se agens, quo minus ut captam urbem ingrederetur, amicorum consilio deterritus, sumpta praetexta et composito agmine incessit. Quattuor legionum aquilae per frontem, totidemque circa e legionibus aliis vexilla, mox duodecim alarum signa et post peditum ordines eques; dein quattuor et triginta cohortes, ut nomina gentium aut species armorum forent, discretae. Ante aquilas praefecti castrorum tribunique et primi centurionum candida veste, ceteri iuxta suam quisque centuriam, armis donisque fulgentes; et militum phalerae torquesque splendebant: decora facies, et non Vitellio principe dignus exercitus. Sic Capitolium ingressus atque ibi matrem complexus Augustae nomine honoravit. Postera die, tam- 90
quam apud alterius civitatis senatum populumque, magnificam orationem de semet ipse prompsit, industriam temperantiamque suam laudibus adtollens, consciis flagitiorum ipsius qui aderant omnique Italia, per quam somno et luxu pudendus incesserat. Vulgus tamen vacuum curis et sine falsi verique discrimine solitas adulationes edoctum clamore et vocibus adstrepebat; abnuentique nomen Augusti expressere ut adsumeret, tam frustra quam recusaverat. Apud civitatem 91
cuncta interpretantem funesti ominis loco acceptum est, quod maximum pontificatum adeptus Vitellius de caerimoniis publicis quintumdecimum kalendas Augustas edixisset, antiquitus infausto die Cremerensi Alliensique cladibus. Adeo omnis humani divinique iuris expers, pari libertorum amicorum socordia, velut inter temulentos agebat. Sed comitia consulum cum candidatis civiliter celebrans omnem infimae plebis rumorem, in theatro ut spectator, in circo ut fautor, adfectavit:

4 mului (miluio *G*; *cf.* 13 47, *H.* 3 82) 11 aquilas *L* : aqla (aquilam *G*) 13 phalerae; *cf. ad* 12 36 18 *ipse : ipso 19 *ipsius : ipsis 20 italiã 21 uolgus 22 adulatione se doctum 23 astrepebat 25 omĩs loco 26 cerimoniis 27 *quintumdecimum : xu kł. agˉ

quae grata sane et popularia, si a virtutibus proficiscerentur, memoria vitae prioris indecora et vilia accipiebantur. Ventitabat in senatum, etiam cum parvis de rebus patres consulerentur. Ac forte Priscus Helvidius, praetor designatus, contra studium eius censuerat. Commotus primo Vitellius, non tamen ultra quam *quod* tribunos plebis in auxilium spretae potestatis advocavit; mox mitigantibus amicis, qui altiorem iracundiam eius verebantur, nihil novi accidisse respondit, quod duo senatores in re publica dissentirent; solitum se etiam Thraseae contradicere. Inrisere plerique inpudentiam aemulationis; aliis id ipsum placebat, quod neminem ex praepotentibus, sed Thraseam ad exemplar verae gloriae legisset.

92 Praeposuerat praetorianis Publilium Sabinum ab praefectura cohortis, Iulium Priscum tum centurionem: Priscus Valentis, Sabinus Caecinae gratia pollebant; inter discordes Vitellio nihil auctoritatis. Munia imperii Caecina ac Valens obibant, olim anxii odiis, quae bello et castris male dissimulata pravitas amicorum et fecunda gignendis inimicitiis civitas auxerat, dum ambitu comitatu et inmensis salutantium agminibus contendunt comparanturque, variis in hunc aut illum Vitellii inclinationibus; nec umquam satis fida potentia, ubi nimia est. simul ipsum Vitellium, subitis offensis aut intempestivis blanditiis mutabilem, contemnebant metuebantque. Nec eo segnius invaserant domos hortos opesque imperii, cum flebilis et egens nobilium turba, quos ipsos liberosque patriae Galba reddiderat, nulla principis misericordia iuvarentur. Gratum primoribus civitatis etiam plebs adprobavit, quod reversis ab exilio iura libertorum concessisset, quamquam id omni modo servilia ingenia corrumpebant, abditis pecuniis per occultos aut ambitiosos sinus, et quidam in domum Caesaris transgressi atque ipsis dominis potentiores.

Sed miles, plenis castris et redundante multitudine, in
93 porticibus aut delubris et urbe tota vagus, non principia

1 popularia si a *G* : populari asya 2 memorię (*corr. retere m.*) 3 consularentur 6 *quod : *om* 13 Publilium *ex suspitione Halmii* : publium (*cf. H.* 3 36) *ab : ad (a *Mercerus*) 14 tum centurionem *L* : dum centurio c̃ 15 cecinae 19 *fortasse* auxerant 26 misericordia] mĩa

noscere, non servare vigilias, neque labore firmari: per illecebras urbis et inhonesta dictu corpus otio, animum libidinibus imminuebant. Postremo, ne salutis quidem cura, infamibus Vaticani locis magna pars tetendit, unde crebrae in vulgus mortes; et adiacente Tiberi Germanorum Gallorumque obnoxia morbis corpora fluminis aviditas et aestus inpatientia labefecit. Insuper confusus pravitate vel ambitu ordo militiae: sedecim praetoriae, quattuor urbanae cohortes scribebantur, quis singula milia inessent. Plus in eo dilectu Valens audebat, tamquam ipsum Caecinam periculo exemisset. Sane adventu eius partes convaluerant, et sinistrum lenti itineris rumorem prospero proelio verterat. Omnisque inferioris Germaniae miles Valentem adsectabatur, unde primum creditur Caecinae fides fluitasse. Ceterum non ita ducibus in- 94
dulsit Vitellius, ut non plus militi liceret. Sibi quisque militiam sumpsere: quamvis indignus, si ita maluerat, urbanae militiae adscribebatur; rursus bonis remanere inter legionarios aut alares volentibus permissum. Nec deerant qui vellent, fessi morbis et intemperiem caeli incusantes: robora tamen legionibus alisque subtracta, convulsum castrorum decus, viginti milibus e toto exercitu permixtis magis quam electis.

Contionante Vitellio postulantur ad supplicium Asiaticus et Flavus et Rufinus, duces Galliarum, quod pro Vindice bellassent. Nec coercebat eiusmodi voces Vitellius: super insitam inerti animo ignaviam conscius sibi instare donativum et deesse pecuniam, omnia alia militi largiebatur. Liberti principum conferre pro numero mancipiorum ut tributum iussi: ipse sola perdendi cura stabula aurigis extruere, circum gladiatorum ferarumque spectaculis opplere, tamquam in summa abundantia pecuniae inludere. Quin et natalem Vitellii diem 95
Caecina ac Valens editis tota urbe vicatim gladiatoribus celebravere, ingenti paratu et ante illum diem insolito. Laetum

5 uolgus gauo rūq; obnoxia 6 auiditas *Puteolanus* : auiditate 16 maluerit (a *alia m.*) 18 alares *G* : alere^{s} 20 conuolsū 23 asyaticus 26 inerti *Pichena* : morte (inerti in *Iacob*, marcenti *Orelli*) 26 donatiuō 31 abundantia *G* : abundantię

foedissimo cuique apud bonos invidiae fuit, quod extructis in campo Martio aris inferias Neroni *Vitellius* fecisset. Caesae publice victimae crematae que; facem Augustales subdidere[, quod sacerdotium, ut Romulus Tatio regi, ita Caesar Tiberius Iuliae genti sacravit]. Nondum quartus a victoria mensis, et libertus Vitellii Asiaticus Polyclitos Patrobios et vetera odiorum nomina aequabat. Nemo in illa aula probitate aut industria certavit: unum ad potentiam iter, prodigis epulis et sumptu ganeaque satiare inexplebiles Vitellii libidines. Ipse abunde ratus, si praesentibus frueretur, nec in longius consultans, noviens miliens sestertium paucissimis mensibus intervertisse creditur. Magna et misera civitas, eodem anno Othonem Vitellium passa, inter Iunios Fabios, Icelos Asiaticos varia et pudenda sorte agebat, donec successere Mucianus et Marcellus et magis alii homines quam alii mores.

96 Prima Vitellio tertiae legionis defectio nuntiatur, missis ab Aponio Saturnino epistulis, antequam is quoque Vespasiani partibus adgregaretur. Sed neque Aponius cuncta, ut trepidans re subita, perscripserat, et amici adulantes mollius interpretabantur: unius legionis eam seditionem, ceteris exercitibus constare fidem. In hunc modum etiam Vitellius apud milites disseruit, praetorianos nuper exauctoratos insectatus, a quibus falsos rumores dispergi, nec ullum civilis belli metum adseverabat, suppresso Vespasiani nomine, et vagis per urbem militibus qui sermones populi coercerent. Id praecipuum alimentum famae erat.

97 Auxilia tamen e Germania Britanniaque et Hispaniis excivit, segniter et necessitatem dissimulans. Perinde legati provinciaeque cunctabantur, Hordeonius Flaccus suspectis iam Batavis anxius proprio bello, Vettius Bolanus numquam satis quieta Britannia, et uterque ambiguus. Neque ex Hispaniis

1 fedissimo 2 neronis *pr* *Vitellius : *om* fecisset *L* : Iecisset cesae publicę 3 subdidere *R* : sub dere *[quod — sacrauit] 4 statio (tacio *G*) 5 gentis *pr* 9 ganeaque *Palmerius* : galane aque 11 milliens 12 creditur *G* : crederetur Vitelliumque ς 13 Iunios ς : uinios 13 asyaticos 19 mollius *R* : mullius 22 exauctoratos *G* : exaucto rato 27 brittaniaque. *mox* brittannia 31 *ambiguus : ambigui *(pro* ambigu; = *a*

properabatur, nullo tum ibi consulari: trium legionum legati, pares iure et prosperis Vitellii rebus certaturi ad obsequium, adversam eius fortunam ex aequo detrectabant. In Africa legio cohortesque delectae a Clodio Macro, mox a Galba dimissae, rursus iussu Vitellii militiam cepere; simul cetera iuventus dabat inpigre nomina. Quippe integrum illic ac favorabilem proconsulatum Vitellius, famosum invisumque Vespasianus egerat: proinde socii de imperio utriusque coniectabant, sed experimentum contra fuit. Ac primo Valerius 98
Festus legatus studia provincialium cum fide iuvit; mox nutabat, palam epistulis edictisque Vitellium, occultis nuntiis Vespasianum fovens et haec illave defensurus, prout invaluissent. Deprehensi cum litteris edictisque Vespasiani per Raetiam et Gallias militum et centurionum quidam *atque* ad Vitellium missi necantur: plures fefellere, fide amicorum aut suomet astu occultati. Ita Vitellii paratus noscebantur, Vespasiani consiliorum pleraque ignota, primum socordia Vitellii, dein Pannonicae Alpes praesidiis insessae nuntios retinebant. Mare quoque etesiarum flatu in Orientem navigantibus secundum, inde adversum erat. Tandem inruptione hostium, 99
atrocibus undique nuntiis exterritus *Vitellius* Caecinam ac Valentem *exercitum* expediri ad bellum iubet. Praemissus Caecina: Valentem e gravi corporis morbo tum primum adsurgentem infirmitas tardabat. Longe alia proficiscentis ex urbe Germanici exercitus species: non vigor corporibus, non ardor animis; lentum et rarum agmen, fluxa arma, segnes equi; inpatiens solis pulveris tempestatum, quantumque hebes ad sustinendum laborem miles, tanto ad discordias promptior. Accedebat huc Caecinae ambitio vetus, torpor recens, nimia fortunae indulgentia soluti in luxum, seu perfidiam meditato infringere exercitus virtutem inter artes erat. Credidere plerique Flavii Sabini consiliis concussam Caecinae mentem,

6 faborabilē 14 rętiā *(sic)* *atque ad : ad 16 suomet astu *Agricola* : suo mestatu 19 etesiarum *R* : et esi flabra aqlonis . arū *(sic)* 20 Inruptionē 21 *Vitellius : *om* 22 *exercitum expediri : expediri (expedire *Acidalius*) 23 egraui 27 hębes 29 metus (v *m. vetere*) 30 meditato *Iac. Gronovius* : meditatio (meditanti *R*) 31 exercitūs *pr* 32 sauini

ministro sermonum Rubrio Gallo: rata apud Vespasianum fore pacta transitionis. Simul odiorum invidiaeque erga Fabium Valentem admonebatur, ut inpar apud Vitellium gratiam viresque apud novum principem pararet.

100 Caecina e complexu Vitellii multo cum honore digressus partem equitum ad occupandam Cremonam praemisit. Mox vexilla primae, quartae, quintaedecimae, sextaedecimae legionum, dein quinta et duoetvicensima secutae; postremo agmine unaetvicensima Rapax et prima Italica incessere cum vexillariis trium Britannicarum legionum et electis auxiliis. Profecto Caecina scripsit Fabius Valens exercitui, quem ipse ductaverat, ut in itinere opperiretur, sic sibi cum Caecina convenisse; qui praesens eoque validior immutatum id consilium finxit, ut ingruenti bello tota mole occurreretur. Ita adcelerare legiones Cremonam, pars Hostiliam petere iussae: ipse Ravennam devertit, praetexto classem adloquendi; mox Patavii secretum componendae proditioni quaesitum. Namque Lucilius Bassus post praefecturam alae Ravennati simul ac Misenensi classibus a Vitellio praepositus, quod non statim praefecturam praetorii adeptus foret, iniquam iracundiam flagitiosa perfidia ulciscebatur. Nec sciri potest traxeritne Caecinam, an, quod evenit inter malos [ut et similes sint],
101 eadem illos pravitas inpulerit. Scriptores temporum, qui potiente rerum Flavia domo monimenta belli huiusce composuerunt, *Caecinae* curam pacis et amorem rei publicae, corruptas in adulationem causas, tradidere: nobis, super insitam levitatem et prodito Galba vilem mox fidem, aemu-

5 Caecina e *Orelli*: Caecinę (Caecina ꝫ) 7 primae, quartae, quintaedecimae, sextaedecimae *Ferletus, nisi quod* et *addidit ante* sextaedecimae, *a Nipperdeio remotum*: In quattuor decu⁷ xm. *(cf. H.* 3 22; *ex* I *ortum est* in, IV *male explicata* quattuor, *ex* XV *vel potius* XU *natum* decum, *denique ex* XVI *frequentissimo errore* XIII.' *Nipperdey)* 8 duo et uincesima 9 una et uicensima uexillariis trium *R*: uexillari Istriū 10 brittannicarum 13 immutatum *G*: ramutatū 14 fincxit 15 cremonā *G*: cremona 17 patauii *G*: patui proditioni *Halm*: proditionis 18 Bassus *R*: blęssus *(cf. H.* 3 12 *et* 36 *et* 40) 20 p̃fectura 21 traxeritne Caecinam ꝫ: traxerat . nec ęcinā 22 [ut—sint] *Wurm* 24 composuer̃. 25 *Caecinae curam: curam 26 insitās *pr*

latione etiam invidiaque, ne ab aliis apud Vitellium anteiretur, pervertisse ipsum [Vitellium] videtur. Caecina legiones adsecutus centurionum militumque animos obstinatos pro Vitellio variis artibus subruebat: Basso eadem molienti minor difficultas erat, lubrica ad mutandam fidem classe ob memoriam recentis pro Othone militiae.

1 anteiretur ς: ante Irentur 2 ipsum ς: ipsum uitellium uidetur ς: uidentur Cornelj taciti. Liber octauus decim: explicit. Incipit nonus decimus. *haec littteris rubris et paulo maioribus.*

LIBER III.

BREVIARIVM. C. 1—35. Illyrici exercitus in Italiam irrumpunt, Vitellianos devincunt. Duces partium Flavianarum Poetovionem in Pannonia conveniunt, bellum decernunt, socios alliciunt, instinctore Antonio Primo (1—5). Cui vexillarios e cohortibus et partem equitum in Italiam rapienti comes Arrius Varus, strenuus bello. Laetis animis in Italia accipiuntur, tres cohortes Vitellianas opprimunt. Vulgata victoria legio septima Galbiana et tertiadecima Patavium alacres veniunt. Verona sedes belli destinata (6—8). Interim Caecina copiis validior per varias moras prima hostibus tempora prodit (9). Antonio adveniunt praeter septimam Claudianam tertia legio et octava. Seditio militum aegre coercita ab Antonio, cuius auctoritas increvit, pulsis Pannoniae et Moesiae legatis consularibus (10—11). In partibus Vitellianis discordia exitiosior. Classis deficit, Caecina suas copias traditurus vincitur, ipsae Vitellio fidae Hostiliam, inde Cremonam pergunt, ut legionibus primae Italicae et unaetvicesimae iungerentur (12—14). Iam Antonius discordes animis, discretos viribus aggredi statuit. Vniverso cum exercitu secundis a Verona castris Bedriacum venit. Ibi proelium avidius quam cautius coeptum, mox Flavianis iniquum fortitudine et constantia Antonii restituitur; Vitelliani Cremonam repulsi (15—18). Quo successu ferox exercitus Flavianus Cremonam, quamvis instante nocte, expugnare deposcit, sed nuntio cohibetur sex Vitellianas legiones omnemque exercitum qui Hostiliae egerat, advenisse, compertaque suorum clade ad pugnam accingi ac iam affore. Alterum proelium noctu commissum; Vitelliani in fugam coniecti Cremonam se recipiunt (19—25). Quo cum venit Flavianus exercitus, novum immensumque opus occurrit. Castra et vallum oppido circumdata Othoniano bello a Germanico exercitu invadit Antonius cum milite praedae avido; post cruentam pugnam castra capiuntur (26—29). Sed nova laborum facies, ardua urbis moenia, saxeae turres, ferrati portarum obices, ingens copia militum, Cremonensis populus partibus Vitellianis obstrictus. Oppugnatione coepta languescere incipiunt Vitellianorum animi, urbs deditur, ab irrumpente milite non sine infamia Antonii incensa et direpta (30—35).

C. 36—63. Vitellii res in dies deterior, Vespasiano fortuna ubique secunda. In urbe Vitellius curis luxum obtendit, ad saevitiam inclinat; Sabinum ob amicitiam cum Caecina vinciri iubet, Blaesum veneno tollit (36—39). Fabius Valens ad bellum profectus classem defecisse accepit, foeda cunctatione tempus terendo. Pervadere ad exercitum non ausus in Vmbriam flexit et Etruriam; hinc Narbonensem Galliam petiturus et delatus ad Stoechadas, Massiliensium insulas, capitur a Paulino, Vespasiani amico (40—43). Iam cuncta ad victoris opes conversa, Hispania Galliaque, etiam Britannia (44—45). Per eosdem dies in Germania prope afflicta Romana res; mota etiam Dacorum gens et repressa a Muciano cum viribus Orientis illuc lato. Subita per Pontum arma movit Anicetus, Polemonis libertus, mox victus et punitus a Virdio Gemino. Vespasianum cunctis super vota fluentibus laetum Cremonensis proelii nuntius in Aegypto assequitur. Alexandriam pergit (46—48). Primi Antonii post victoriam licentia; is cum parte exercitus venit ad Fanum Fortunae in Vmbria, Apennini iugo a Vitellianis discretus (49—50). Nefaria audacia militis gregarii, acrior apud maiores flagitiorum poenitentia. Inter duces obtrectatio; Antonius litteris ad Vespasianum missis de Muciano queritur (51—53). Vitellius fractis apud Cremonam rebus nuntios cladis stulte dissimulat. Notabilis

constantia et fides Iulii Agrestis (54). Tandem e somno excitus Vitellius magnis copiis Iulium Priscum et Alfenum Varum obsidere Apenninum iubet; ceterae cohortes ad tuendam urbem L. Vitellio fratri datae. Ipse flagitante exercitu Mevaniam proficiscitur, ignarus belli, trepidus consilii. Taedio castrorum et audita classis Misenensis defectione Romam revertitur (55—56). Classem ad fidem revocare studet, sed frustra (57). Igitur L. Vitellium ingruenti per Campaniam bello opposuit (58). Flaviani Apenninum transgressi sunt, et duces partium Carsulas venere; milites indomiti ab Antonio mitigati (59—60). E cohortibus Vitellianis (ipsae Narniam se receperant) crebra transfugia, ceterae nutantes (61). Fabius Valens Vrbini in custodia interficitur. Cuius caede visa in desperationem versi Vitelliani partibus Flavianis Narniae accesserunt (62—63).

C. 64—86. Vitellii postrema. Vitellius cum Flavio Sabino, fratre Vespasiani, de imperio deponendo paciscitur, tum palam de principatu decedens populi studio et furore militis praetoriani in Palatium redire cogitur. Sabinus trepida suorum re arcem Capitolii insedit. Postero die praetoriani Capitolium irrumpunt. Templum Iovis clausis foribus indefensum et indireptum conflagravit. Sabinus occiditur, corpus in Gemonias trahitur (64—75). Isdem diebus L. Vitellius rem prospere in Campania gessit (76—77). Dum haec aguntur, Antonium et militem, qui Narnia digressi festos Saturni dies Ocriculi celebrabant, tristis nuntius de incenso Capitolio, occiso Sabino excivit. Flaviani tribus itineribus urbem ingressi tribus proeliis Vitellianos vincunt, principem pudenda latebra protractum et contumeliis oneratum iugulant (78—85). Mores Vitellii. Domitianus ad duces partium progressus Caesar consalutatur (86).

Meliore fato fideque partium Flavianarum duces con- 1
silia belli tractabant. Poetovionem in hiberna tertiae decimae legionis convenerant. Illic agitavere placeretne obstrui Pannoniae Alpes, donec a tergo vires universae consurgerent, an ire comminus et certare pro Italia constantius foret. Quibus opperiri auxilia et trahere bellum videbatur, Germanicarum legionum vim famamque extollebant, et advenisse mox cum Vitellio Britannici exercitus robora: ipsis nec numerum parem pulsarum nuper legionum, et quamquam atrociter loquerentur, minorem esse apud victos animum. Sed insessis interim Alpibus venturum cum copiis Orientis Mucianum; superesse Vespasiano mare classes, studia provinciarum, per quas velut alterius belli molem cieret. Ita salubri mora novas vires adfore, ex praesentibus nihil periturum. Ad 2
ea Antonius primus [is acerrimus belli concitator] festinationem ipsis utilem, Vitellio exitiosam disseruit. Plus socordiae quam fiduciae accessisse victoribus. Neque enim in

5 cōmunus *pr*, cōminus *corr* Italiā *pr* 7 famanque 8 brittannici, *c.* 2 brittanniam 13 uelud 14 ex *Vrlichs*: et (et ex *Phaggers*) 15 *[is—concitator]: is—conciator (is—concitator

procinctu et castris habitos: per omnia Italiae municipia desides, tantum hospitibus metuendos, quanto ferocius ante [se] egerint, tanto cupidius insolitas voluptates hausisse. Circo quoque ac theatris et amoenitate urbis emollitos aut valetudinibus fessos: sed addito spatio rediturum et his robur meditatione belli; nec procul Germaniam, unde vires; Britanniam freto dirimi, iuxta Gallias Hispaniasque, utrimque viros equos tributa, ipsamque Italiam et opes urbis; ac si inferre arma ultro velint, duas classes vacuumque Illyricum mare. Quid tum claustra montium profutura? quid tractum in aestatem aliam bellum? unde interim pecuniam et commeatus? Quin potius eo ipso uterentur, quod Pannonicae legiones deceptae magis quam victae resurgere in ultionem properent, Moesici exercitus integras vires attulerint. Si numerus militum potius quam legionum putetur, plus hinc roboris, nihil libidinum; et profuisse disciplinae ipsum pudorem: equites vero ne tum quidem victos, sed quamquam rebus adversis disiectam Vitellii aciem. 'Duae tunc Pannonicae ac Moesicae alae perrupere hostem: nunc sedecim alarum coniuncta signa pulsu sonituque et nube ipsa operient ac superfundent oblitos proeliorum equites equosque. Nisi quis retinet, idem suasor actorque consilii ero. Vos, quibus fortuna in integro est, legiones continete: mihi expeditae cohortes sufficient. Iam reseratam militi viam, inpulsas Vitellii res audietis. Iuvabit sequi et vestigiis vincentis insistere.'

3 Haec ac talia flagrans oculis, truci voce, quo latius audiretur (etenim se centuriones et quidam militum consilio miscuerant), ita effudit, ut cautos quoque ac providos permoveret, vulgus et ceteri unum virum ducemque, spreta aliorum segnitia, laudibus ferrent. Hanc sui famam ea statim contione commoverat, qua recitatis Vespasiani epistulis non ut plerique incerta disseruit, huc illuc tracturus interpretatione, prout conduxisset: aperte descendisse in causam videbatur, eoque

3 *[se] 9 illyricūnare (*manus rec. notam induxit*) 11 interim] int̄ In 12 pannonice legionis 22 suasor *G* : suāosor (*notam induxit rec. m.*) actorque *Iacob* : auctorque 24 *reseratam militi uiam : reserata militiā (reseratam Italiam *Pichena*) 28 uolgus 29 ceterū 32 interpretatione *Acidalius* : Int̄patione

gravior militibus erat culpae vel gloriae socius. Proxima 4
Cornelii Fusci procuratoris auctoritas. Is quoque inclementer
in Vitellium invehi solitus nihil spei sibi inter adversa reli-
querat. Tampius Flavianus, natura ac senecta cunctantior,
suspitiones militum inritabat, tamquam adfinitatis cum Vi-
tellio meminisset; idemque quod coeptante legionum motu
profugus, dein sponte remeaverat, perfidiae locum quaesisse
credebatur. Nam Flavianum, omissa Pannonia ingressum
Italiam et discrimini exemptum, rerum novarum cupido
legati nomen resumere et misceri civilibus armis impulerat,
suadente Cornelio Fusco, non quia industria Flaviani egebat,
sed ut consulare nomen surgentibus cum maxime partibus
honesta specie praetenderetur. Ceterum ut transmittere 5
militem in Italiam inpune et usui foret, scriptum Aponio
Saturnino, cum exercitu Moesico celeraret. Ac ne inermes
provinciae barbaris nationibus exponerentur, principes Sar-
matarum Iazugum, penes quos civitatis regimen, in commili-
tium adsciti. Plebem quoque et vim equitum, qua sola
valent, offerebant: remissum id munus, ne inter discordias
externa molirentur aut maiore ex diverso mercede ius fas-
que exuerent. Trahuntur in partes Sido atque Italicus, reges
Sueborum, quis vetus obsequium erga Romanos et gens fidei
commissa eorum patientior. Posita in latus auxilia, infesta
Raetia, cui Porcius Septiminus procurator erat, incorruptae
erga Vitellium fidei. Igitur Sextilius Felix cum ala Auriana
et octo cohortibus ac Noricorum iuventute ad occupan-
dam ripam Eni fluminis, quod Raetos Noricosque interfluit,

1 gratior ꝛ 2 procuratoris] *hoc suspectum; cf. H.* 2 86 quoque Inclnt̄ 3 nihil *h. l.* 4 ta⁊pius cuncta tior (*cf. ad H.* 3 50. cunctator *L*) 5 suspiciones 6 idq; (isdenque *G*) cęptante 12 cūmaxime 13 honestas *transmittere militem : trans mittere (*sic*; transm. bellum *Acidalius*) 14 Inpunē Aponio Saturnino] aponio satiu⁊ *transiliens in medio versu ad c.* 7 reuirescere *usque ad c.* 9 ut inimici, *tum regressus ad haec ac pergens* ninocu⁊ exercitu⁊ (*hanc notam induxit rec. m.*) moesico celeraret (*rerum ordinem restituit Pichena*) 16 principes ꝛ : principis 17 Iazugū pęnes 21 trauntur *pr* parte (partis *G*) 22 sueporū *pr*, sueborū *corr* 23 *commissa eorum : cōmissior (commissae ꝛ) opposita *R* 26 occupandās *pr* 27 *Eni : rheni (Aeni *R*)

missus; nec his aut illis proelium temptantibus, fortuna partium alibi transacta.

6 Antonio vexillarios e cohortibus et partem equitum ad invadendam Italiam rapienti comes fuit Arrius Varus, strenuus bello, quam gloriam ei dux Corbulo et prosperae in Armenia res addiderant. Idem secretis apud Neronem sermonibus ferebatur Corbulonis virtutes criminatus; unde infami gratia primum pilum adepto laeta ad praesens, male parta mox in perniciem vertere. Sed Primus ac Varus occupata Aquileia proxima quaeque *cepere*, et Opitergii et Altini laetis animis accipiuntur. Relictum Altini praesidium adversus *vim* classis Ravennatis, nondum defectione eius audita. Inde Patavium et Ateste partibus adiunxere. Illic cognitum tris Vitellianas cohortes alamque, cui Sebosianae nomen, ad Forum Alieni ponte iuncto consedisse. Placuit occasio invadendi incuriosos: nam id quoque nuntiabatur. Luce prima inermos plerosque oppressere. Praedictum ut paucis interfectis ceteros pavore ad mutandam fidem cogerent. Et fuere qui se statim dederent: plures abrupto ponte instanti hosti viam abstulerunt.

7 Vulgata victoria [principia belli secundum Flavianos] duae legiones, septima Galbiana, tertia decima [Gemina] cum Vedio Aquila legato Patavium alacres veniunt. Ibi pauci dies ad requiem sumpti, et Minucius Iustus, praefectus castrorum legionis septimae, quia adductius quam civili bello imperitabat, subtractus militum irae ad Vespasianum missus est. Desiderata diu requies interpretatione gloriaeque *affectatione* in maius accipitur, postquam Galbae imagines discordia temporum subversas in omnibus municipiis recoli iussit Antonius,

1 missus. Nec his *G*: missū nec is 5 ei *L*: et 8 parta *G*: parata 9 uarius 10 per proxima *Baiter* *quaeque cepere: quęq; opitergii *G*: opitergi altjni, *statim* alpini 11 *aduersus uim: aduersus 13 Ateste: aceste adiuncxere 14 *alamque: alā (*sic*; et alam *vulgo*) Sebosianae *Nipperdey*: sebonianę 17 oppresse 19 abstuler 20 Volgata *[principia—Flauianos]: principia—flauianos 20 duae *Puteolanus*: datę 21 *[Gemina] Vedio *R*: uideo 23 Minucius *L*: municius 26 *requies: res (res *ortum est ex* reqes) *gloriaeque affectatione: gloriaeque (gloriaque *Iac. Gronovius*) 27 in *G*: *om* 28 municipiis *G*: municipis

decorum pro causa ratus, si placere Galbae principatus et partes revirescere crederentur. Quaesitum inde quae sedes 8
bello legeretur. Verona potior visa, patentibus circum campis ad pugnam equestrem, qua praevalebant: simul coloniam copiis validam auferre Vitellio in rem famamque *utile* videbatur. Possessa ipso transitu Vicetia; quod per se parvum (etenim modicae municipio vires) magni momenti locum obtinuit reputantibus illic Caecinam genitum et patriam hostium duci ereptam. In Veronensibus pretium fuit: exemplo opibusque partes iuvere; et interiectus exercitus Raetiam Iuliasque Alpes, ac ne pervium illa Germanicis exercitibus foret, obsepserat. Quae ignara Vespasiano aut vetita: quippe Aquileiae sisti bellum expectarique Mucianum iubebat, adiciebatque imperio consilium, quando [Aegyptus,] claustra annonae, vectigalia opulentissimarum provinciarum obtinerentur, posse Vitellii exercitum egestate stipendii frumentique ad deditionem subigi. Eadem Mucianus crebris epistulis monebat, incruentam et sine luctu victoriam et alia huiuscemodi praetexendo, sed gloriae avidus atque omne belli decus sibi retinens. Ceterum ex distantibus terrarum spatiis consilia post res adferebantur. Igitur repentino incursu Antonius 9
stationes hostium inrupit, temptatisque levi proelio animis ex aequo discessum. Mox Caecina inter Hostiliam, vicum Veronensium, et paludes Tartari fluminis castra permunivit, tutus loco, cum terga flumine, latera obiectu paludis tegerentur. Quod si adfuisset fides, aut opprimi universis Vitellianorum viribus duae legiones, nondum coniuncto Moesico exercitu, potuere, aut retro actae deserta Italia turpem fugam concivissent. Sed Caecina per varias moras prima hostibus prodidit tempora belli, dum quos armis pellere promptum erat, epistulis increpat, donec per nuntios pacta perfidiae firmaret. Interim Aponius Saturninus cum legione septima Claudiana

1 decorūs 5 *utile uidebatur : uidebatur 6 paruum *Halm* : parum 9 ueronensibus pretium (*sic*) 10 interiectus ς : Inter tectus Raetiam] ptiam 13 aqleie 14 *[Aegyptus] 16 egestate 21 post res *G* : ptres 23 Hostiliam ς : hostia 24 tartari *G* : cartari *permuniuit : permuniit (*cf.* 4 24 permuniuit, 11 19 immuniuit, *tum* 1 51, 15 17 *cet.*) 28 *concivissent : consciuissent 29 cecina

advenit. Legioni tribunus Vipstanus Messalla praeerat, claris maioribus, egregius ipse et qui solus ad id bellum artes bonas attulisset. Has ad copias nequaquam Vitellianis pares [quippe tres adhuc legiones erant] misit epistulas Caecina, temeritatem victa arma tractantium incusans. Simul virtus Germanici exercitus laudibus attollebatur, Vitellii modica et vulgari mentione, nulla in Vespasianum contumelia: nihil prorsus quod aut corrumperet hostem aut terreret. Flavianarum partium duces omissa prioris fortunae defensione pro Vespasiano magnifice, pro causa fidenter, de exercitu securi, in Vitellium ut inimici praesumpsere, facta tribunis centurionibusque retinendi quae Vitellius indulsisset spe; atque ipsum Caecinam non obscure ad transitionem hortabantur. Recitatae pro contione epistulae addidere fiduciam, quod submisse Caecina, velut offendere Vespasianum timens, ipsorum duces contemptim tamquam insultantes Vitellio scripsissent.

10 Adventu deinde duarum legionum, e quibus tertiam Dillius Aponianus, octavam Numisius Lupus ducebant, ostentare vires et militari vallo Veronam circumdare placuit. Forte Galbianae legioni in adversa fronte valli opus cesserat, et visi non procul sociorum equites vanam formidinem ut hostes fecere. Rapiuntur arma metu proditionis. Ira militum in Tampium Flavianum incubuit, nullo criminis argumento, sed iam pridem invisus turbine quodam ad exitium poscebatur: propinquum Vitellii, proditorem Othonis, interceptorem donativi clamitabant. Nec defensioni locus, quamquam supplices manus tenderet, humi plerumque stratus, lacera veste, pectus atque ora singultu quatiens. Id ipsum apud infensos

1 Vipstanus *Chr. Ad. Rupertus* (*cf. ad* 11 23): uipsanius mesalla (*scribitur* messalla *etiam H.* 3 18 et 25 et 28, 4 42 *priore loco;* messala *est H.* 3 11, 4 42 *secundo loco; v. ad* 1 8) 4 [quippe—erant] *Weissenborn* 5 simul] *ante duae litterae erasae sunt* 7 uolgari nihil *h. l.* 10 exercitu] exitu *L* 14 submisse *G*: sūmisisse 15 uelud 16 contemptim *Puteolanus*: contēpti 18 Aponianus *R*: apontan; (*cf. c.* 11) octaua 21 *non procul: In procul (inde procul *Weissenborn;* procul ς) 22 arma metu *A. Augustinus et Faernus*: armaⁿ et ut 23 Tampium] ·T· ampium (*cf. ad H.* 2 86, 3 4) 26 clamitabat (n *vetere m.*)

incitamentum erat, tamquam nimius pavor conscientiam argueret. Obturbabatur militum vocibus Aponius, cum loqui coeptaret. Fremitu et clamore ceteros aspernantur. Vni Antonio apertae militum aures: namque et facundia aderat mulcendique vulgus artes et auctoritas. Vbi crudescere seditio et a conviciis ac probris ad tela et manus transibant, inici catenas Flaviano iubet. Sensit ludibrium miles, disiectisque qui tribunal tuebantur, extrema vis parabatur. Opposuit sinum Antonius stricto ferro, aut militum se manibus aut suis moriturum obtestans; ut quemque notum et aliquo militari decore insignem aspexerat, ad ferendam opem nomine ciens. Mox conversus ad signa et bellorum deos, hostium potius exercitibus illum furorem, illam discordiam inicerent orabat, donec fatisceret seditio et extremo iam die sua quisque in tentoria dilaberentur. Profectus eadem nocte Flavianus obviis Vespasiani litteris discrimini exemptus est. Legiones velut tabe infectae Aponium Saturninum, Moesici exercitus legatum, eo atrocius adgrediuntur, quod non, ut prius, labore et opere fessae, sed medio diei exarserant, vulgatis epistulis quas Saturninus ad Vitellium scripsisse credebatur. Vt olim virtutis modestiaeque, tunc procacitatis et petulantiae certamen erat, ne minus violenter Aponium quam Flavianum ad supplicium deposcerent. Quippe Moesicae legiones adiutam a se Pannonicorum ultionem referentes, et Pannonici, velut absolverentur aliorum seditione, iterare culpam gaudebant. In hortos, in quibus devertebatur Saturninus, pergunt. Nec tam Primus et Aponianus et Messala, quamquam omni modo nisi, eripuere Saturninum, quam obscuritas latebrarum quibus occulebatur, vacantium forte balinearum fornacibus abditus. Mox omissis lictoribus Patavium concessit. Digressu consularium uni Antonio vis ac potestas in utrumque exercitum fuit, cedentibus collegis et obversis

11

2 obturbatur *Orelli operae*; 3 cęptaret 5 *uulgus : uulgū 11 ad ferendam *G* : auferendā 14 fatisceret ς : fatiscere 16 discrimini *G* : discriminis 17 uelud 19 uolgatis 21 uirtutes *pr* 22 petulęntiae (a *vetere m.*) uiolenter ς : uolent̃ 23 legionis *pr* 25 uelud 26 hortus 29 *balinearum : balnearum

militum studiis. Nec deerant qui crederent utramque seditionem fraude Antonii coeptam, ut solus bello frueretur.

12 Ne in Vitellii quidem partibus quietae mentes exitiosiore discordia non suspitionibus vulgi, sed perfidia ducum turbabantur. Lucilius Bassus, classis Ravennatis praefectus, ambiguos militum animos, quod magna pars Dalmatae Pannoniique erant, quae provinciae Vespasiano tenebantur, partibus eius adgregaverat. Nox proditioni electa, ut ceteris ignaris soli in principia defectores coirent. Bassus pudore seu metu quisnam exitus foret, intra domum opperiebatur. Trierarchi magno tumultu Vitellii imagines invadunt; et paucis resistentium obtruncatis ceterum vulgus rerum novarum studio in Vespasianum inclinabat. Tum progressus Lucilius auctorem se palam praebet: classis Cornelium Fuscum praefectum sibi destinat, qui propere adcucurrit. Bassus honorata custodia Liburnicis navibus Atriam pervectus a praefecto alae Vivennio Rufino, praesidium illic agitante, vincitur; sed exoluta statim vincula interventu Hormi, Caesaris liberti: is
13 quoque inter duces habebatur. At Caecina, defectione classis vulgata, primores centurionum et paucos militum, ceteris per militiae munia dispersis, secreta castrorum adfectans in principia vocat. Ibi Vespasiani virtutem viresque partium extollit: transfugisse classem, in arto commeatum, adversas Gallias Hispaniasque, nihil in urbe fidum; atque omnia de Vitellio in deterius. Mox incipientibus qui conscii aderant, ceteros re nova attonitos in verba Vespasiani adigit. Simul Vitellii imagines dereptae et missi qui Antonio nuntiarent. Sed ubi totis castris in fama proditio, recurrens in principia miles praescriptum Vespasiani nomen, proiectas Vitellii effigies aspexit, vastum primo silentium, mox cuncta simul erumpunt. Huc cecidisse Germanici exercitus gloriam, ut

1 militum ς : militibus 2 cęptam 4 suspicionibus uolgi 10 trierarchi *G* : trierarchus (s *inducta recenti m.*) 12 obtruncatis *G* : obūbratis uolgus 14 *fortasse* praebet : set Fuscum *ed. princeps* : tuscu 17 uiuennio Rufino *pr*, uiuennio rufino *corr* 20 uolgata 21 *munia : munera secreta ς : secretorū (secretum *Agricola*) 23 transfugisse *G* : trans fugisset Inarte (in arcto ς) 27 dereptae] direptae ς (*cf. ad H.* 1 55)

sine proelio, sine vulnere vinctas manus et capta traderent arma? Quas enim ex diverso legiones? Nempe victas; et abesse unicum Othoniani exercitus robur, primanos quartadecumanosque, quos tamen isdem illis campis fuderint straverintque. Vt *tot* armatorum milia, velut grex venalium, exuli Antonio donum darentur (octo nimirum legiones unius classis accessionem fore), id Basso, id Caecinae visum. Postquam domos hortos opes principi suo abstulerint, etiam militibus principem, *principi* auferre militem. Integros incruentosque, Flavianis quoque partibus viles, quid dicturos reposcentibus aut prospera aut adversa? Haec singuli, haec universi, ut 14 quemque dolor *ira* inpulerant, vociferantes, initio a quinta legione orto, repositis Vitellii imaginibus vincla Caecinae iniciunt; Fabium Fabullum, quintae legionis legatum, et Cassium Longum, praefectum castrorum, duces deligunt; forte oblatos trium Liburnicarum milites, ignaros et insontes, trucidant; relictis castris, abrupto ponte Hostiliam rursus, inde Cremonam pergunt, ut legionibus primae Italicae et unaetvicensimae Rapaci iungerentur, quas Caecina ad obtinendam Cremonam cum parte equitum praemiserat. Vbi haec com- 15 perta Antonio, discordes animis, discretos viribus hostium exercitus adgredi statuit, antequam ducibus auctoritas, militi obsequium et iunctis legionibus fiducia rediret. Namque Fabium Valentem profectum ab urbe adceleraturumque cognita Caecinae proditione coniectabat; et fidus Vitellio Fabius nec militiae ignarus. Simul ingens Germanorum vis per Raetiam timebatur; et Britannia Galliaque et Hispania auxilia Vitellius acciverat, inmensam belli luem, ni Antonius id ipsum metuens festinato proelio victoriam praecepisset. Vniverso cum exercitu secundis a Verona castris Bedriacum venit. Postero die legionibus ad muniendum retentis, auxiliares cohortes in

1 uolnere 3 quarta decumanosq: 5 *ut tot : ut *cf.* 14 35, *H.* 1 6 *et* 37, 2 70, 3 55, 4 13) 8 *principi suo : principis (principi ς) 9 *principem. principi auferre militem : principem auferre litem (militem, militibus principem auferre *Nipperdey*) 10 re poscentibus 12 *ira inpulerant : Inpulerant (inpulerat ς: *cf.* 1 41, 2 19 *et* 82, *H.* 4 44) 13 repositis] *fortasse* repositisque 18 *unaetuicensimae : uni etuicensime 27 brittannia (ex Britannia *Wurm*) 28 luem] molem *Faernus* 30 secundis *G* : secundi

Cremonensem agrum missae, ut specie parandarum copiarum civili praeda miles inbueretur: ipse cum quattuor milibus equitum ad octavum a Bedriaco *lapidem* progressus, quo licentius popularentur. Exploratores, ut mos est, longius
16 cursabant. Quinta ferme hora diei erat, cum citus eques adventare hostes, praegredi paucos, motum fremitumque late audiri nuntiavit. Dum Antonius quidnam agendum consultat, aviditate navandae operae Arrius Varus cum promptissimis equitum prorupit inpulitque Vitellianos modica caede: nam plurium adcursu versa fortuna, et acerrimus quisque sequentium fugae ultimus erat. Nec sponte Antonii properatum, et fore quae acciderant rebatur. Hortatus suos ut magno animo capesserent pugnam, diductis in latera turmis vacuum medio relinquit iter, quo Varum equitesque eius reciperet; iussae armari legiones; datum per agros signum ut, qua cuique proximum, omissa praeda proelio occurrerent. Pavidus interim Varus turbae suorum miscetur intulitque formidinem. Pulsi cum sauciis integri suomet ipsi metu et angu-
17 stiis viarum conflictabantur. Nullum in illa trepidatione Antonius constantis ducis aut fortissimi militis officium omisit Occursare paventibus, retinere cedentes, ubi plurimus labor, unde aliqua spes, consilio manu voce insignis hosti, conspicuus suis. Eo postremo ardoris provectus est, ut vexillarium fugientem hasta transverberaret; mox raptum vexillum in hostem vertit. Quo pudore haud plures quam centum equites restitere: iuvit locus, artiore illic via et fracto interfluentis rivi ponte, qui incerto alveo et praecipitibus ripis fugam impediebat. Ea necessitas seu fortuna lapsas iam partes restituit. Firmati inter se densis ordinibus excipiunt Vitellianos temere effusos, atque illi consternantur. Antonius instare perculsis, sternere obvios, simul ceteri, ut cuique ingenium, spoliare capere, arma equosque abripere. Et exciti

2 milites *Halm* Inbuerentur (imbueretur *G*) 3 *lapidem : *om* (*cf. ad H.* 2 24) 5 cursabant *Haase* : curabant 16 amissa (o *retere m.*) occurrerent ς : occurreret 18 integri suo met *G* : integrū (ū *corr.* i) suū et 21 occursa 22 aliqua *G* : aliquo 26 restitere *G* : resistere 30 illi *R* : illic 31 perculsis *R* : periculsis 32 arme.quosq:

prospero clamore, qui modo per agros fuga palabantur, victoriae se miscebant. Ad quartum a Cremona lapidem fulsere 18
legionum signa Rapacis atque Italicae, laeto inter initia equitum suorum proelio illuc usque provectarum. Set ubi fortuna contra fuit, non laxare ordines, non recipere turbatos, non obviam ire ultroque adgredi hostem tantum per spatium cursu et pugnando fessum. Forte victi, haud perinde rebus prosperis ducem desideraverant atque in adversis deesse intellegebant. Nutantem aciem victor equitatus incursat; et Vipstanus Messalla [tribunus] cum Moesicis auxiliaribus adsequitur, quos militia e legionariis quamquam raptim ductos aequabant: ita mixtus pedes equesque rupere legionum agmen. Et propinqua Cremonensium moenia quanto plus spei ad effugium, minorem ad resistendum animum dabant. Nec An- 19
tonius ultra institit, memor laboris ac vulnerum, quibus tam anceps proelii fortuna, quamvis prospero fine, equites equosque adflictaverat. Inumbrante vespera universum Flaviani exercitus robur advenit. Vtque *corporum* cumulos super et recentia caede vestigia incessere, quasi debellatum foret, pergere Cremonam et victos in deditionem accipere aut expugnare deposcunt. Haec in medio, pulchra dictu: illa sibi quisque, posse coloniam in plano sitam impetu capi. Idem audaciae per tenebras inrumpentibus, set maiorem rapiendi licentiam. Quod si lucem opperiantur, iam pacem, iam preces, et pro labore ac vulneribus clementiam et gloriam, inania, laturos, sed opes Cremonensium in sinu praefectorum legatorumque fore. Expugnatae urbis praedam ad militem, deditae ad duces pertinere. Spernuntur centuriones tribunique, ac ne vox cuiusquam audiatur, quatiunt arma, rupturi imperium, ni ducantur. Tum Antonius, inserens se manipulis, 20
ubi aspectu et auctoritate silentium fecerat, non se decus

4 *prouectarum. set : prouectas. et (*debuit* prouecta ą. set; *G* prouecta. sed, *ac sic vulgo*) 9 eq tatatus 10 uipsanus messalla (*cf. ad c.* 9) *[tribunus] 11 *militia e : militię rapti^{m} 15 uolnerū 18 *corporum cumulos : cumulos (*cf.* 14 37) 19 accessere (ī *vetere m.*) 22 in *Muretus* : *om* (*cf. H.* 5 23, *A.* 35) 23 sed *Danesius* : et 25 uolneribus Inani nia 29 quatiunt *G* : quatiunt$^{\backprime}$

neque pretium eripere tam bene meritis adfirmabat, sed divisa inter exercitum ducesque munia: militibus cupidinem pugnandi convenire, duces providendo consultando cunctatione saepius quam temeritate prodesse. Vt pro virili portione armis ac manu victoriam iuverit, ita ratione et consilio, propriis ducis artibus, profuturum: neque enim ambigua esse quae occurrant, noctem et ignotae situm urbis, intus hostes et cuncta insidiis opportuna. Non si pateant portae, nisi explorato, nisi die intrandum. An obpugnationem inchoaturos adempto omni prospectu, quis aequus locus, quanta altitudo moenium, tormentisne et telis an operibus et vineis adgredienda urbs foret? Mox conversus ad singulos, num secures dolabrasque et cetera expugnandis urbibus secum attulissent, rogitabat. Et cum abnuerent, 'gladiisne' inquit 'et pilis perfringere ac subruere muros ullae manus possunt? Si aggerem struere, si pluteis cratibusve protegi necesse fuerit, ut vulgus inprovidum inriti stabimus, altitudinem turrium et aliena munimenta mirantes? Quin potius mora noctis unius, advectis tormentis machinisque, vim victoriamque nobiscum ferimus?' Simul lixas calonesque cum recentissimis equitum
21 Bedriacum mittit, copias ceteraque usui adlaturos. Id vero aegre tolerante milite prope seditionem ventum, cum progressi equites sub ipsa moenia vagos ex Cremonensibus corripiunt, quorum indicio noscitur sex Vitellianas legiones omnemque exercitum, qui Hostiliae egerat, eo ipso die triginta milia passuum emensum, comperta suorum clade in proelium accingi ac iam adfore. Is terror obstructas mentes consiliis ducis aperuit. Sistere tertiam decimam legionem in ipso viae Postumiae aggere iubet, cui iuncta a laevo septima Galbiana patenti campo stetit, dein septima Claudiana, agresti

1 eripere tam *G* : eriperet an 5 ita *Acidalius* : *om* 7 occurunt (a *vetere m.*) noctem *G* : nocte 8 cuncta *G* : cunctas opportuna *Puteolanus* : oportuna 11 uineis (machinamenti gen; ad expugnandos muros In modum turriū factū.is) adgredienda (*unci et* Va-cat *recenti m.*) 16 uolgus 20 lixa|scalonesq; 23 exremonensibus *pr*, ecremonensibus *corr* 29 In alaeuo (inde a laeuo *Wurm*)

fossa (ita locus erat) praemunita; dextro *cornu* octava per apertum limitem, mox tertia densis arbustis intersepta. Hic aquilarum signorumque ordo: milites mixti per tenebras, ut fors tulerat; praetorianorum vexillum proximum tertianis, cohortes auxiliorum in cornibus, latera ac terga equite circumdata, Sido atque Italicus [Suebi] cum delectis popularium primore in acie versabantur.

At Vitellianus exercitus, cui adquiescere Cremonae et 22
reciperatis cibo somnoque viribus confectum algore atque inedia hostem postera die profligare ac proruere ratio fuit, indigus rectoris, inops consilii, tertia ferme noctis hora paratis iam dispositisque Flavianis inpingitur. Ordinem agminis disiecti per iram ac tenebras adseverare non ausim, quamquam alii tradiderint quartam [Macedonicam] dextro suorum cornu *constitisse*, quintam et quintam decumam cum vexillis nonae secundaeque et vicensimae Britannicarum legionum mediam aciem, sextadecumanos duoetvicensimanosque et primanos laevum cornu complesse. Rapaces atque Italici omnibus se manipulis miscuerant; eques auxiliaque sibi ipsi locum legere. Proelium tota nocte varium anceps atrox; his, rursus illis exitiabile. Nihil animus aut manus, ne oculi quidem provisu iuvabant. Eadem utraque acie arma, crebris interrogationibus notum pugnae signum, permixta vexilla, ut quisque globus capta ex hostibus huc vel illuc raptabat. Vrguebatur maxime septima legio, nuper a Galba conscripta. Occisi sex primorum ordinum centuriones, abrepta quaedam signa: ipsam aquilam Atilius Verus, primi pili centurio, multa cum hostium strage et ad extremum moriens, servaverat. Sustinuit labentem aciem Antonius accitis praetorianis. Qui 23
ubi excepere pugnam, pellunt hostem, dein pelluntur. Namque

1 *dextro cornu : dextro (*cf. H.* 4 77) 2 tertia *Pichena* : ttia decima 4 *praetorianorum : praetorianum 6 *[Suebi] : sue bi (*cf. c.* 5) 7 *primore : primori 11 noctis hara. 13 quānquā *pr*, quanquam *corr* 14 *[Macedonicam] dextro] dextrum *Fuerus* 15 *cornu constitisse : cornu (ma) 16 brittannicarum 17 sexta decunos (ma *retere m.*) duo et uicensimanosq; 18 cornū 21 exitiabiles *pr* nihil *h. l.* 25 a galba *G* : ad gaba 29 labantem ς 30 excepere *G* : excipere

Vitelliani tormenta in aggerem viae contulerant, ut tela vacuo atque aperto excuterentur, dispersa primo et arbustis sine hostium noxa inlisa. Magnitudine eximia quintae decimae legionis ballista ingentibus saxis hostilem aciem proruebat. Lateque cladem intulisset, ni duo milites praeclarum facinus ausi, arreptis e strage scutis ignorati, vincla ac libramenta tormento abscidissent. Statim confossi sunt eoque intercidere nomina: de facto haud ambigitur. Neutro inclinaverat fortuna, donec adulta nocte luna surgens ostenderet acies falleretque. Sed Flavianis aequior a tergo; hinc maiores equorum virorumque umbrae, et falso, ut in corpora, ictu tela hostium citra cadebant: Vitelliani adverso lumine conlucentes velut
24 ex occulto iaculantibus incauti offerebantur. Igitur Antonius ubi noscere suos noscique poterat, alios pudore et probris, multos laude et hortatu, omnes spe promissisque accendens, cur rursum sumpsissent arma, Pannonicas legiones interrogabat: illos esse campos, in quibus abolere labem prioris ignominiae, ubi reciperare gloriam possent. Tum ad Moesicos conversus principes auctoresque belli ciebat: frustra minis et verbis provocatos Vitellianos, si manus eorum oculosque non tolerent. Haec, ut quosque accesserat; plura ad tertianos, veterum recentiumque admonens, ut sub M. Antonio Parthos, sub Corbulone Armenios, nuper Sarmatas pepulissent. Mox infensus praetorianis 'vos' inquit, 'nisi vincitis, pagani, quis alius imperator, quae castra alia excipient? Illic signa armaque vestra sunt, et mors victis: nam ignominiam consumpsistis.' Vndique clamor, et orientem solem (ita in
25 Syria mos est) tertiani salutavere. Vagus inde, an consilio ducis subditus rumor, advenisse Mucianum, exercitus in vicem salutasse. Gradum inferunt, quasi recentibus auxiliis aucti, rariore iam Vitellianorum acie, ut quos nullo rectore suus

2 dispersa primo *G*: dispersoprimo 3 quintae *L*: quartae 4 ballista 6 strages *pr* 7 *tormento: tormento2 12 c̃lucentes 15 laudes *pr* 16 cur rursum *Ferrettus*: currari (*debuit* cur rurs.=*cur rursum*; curnam resumpsissent *Weissenborn*) 19 frustra minis et *G*: frustrā Inisset 21 tolerent *G*: tollerent 24 infensius *Gronovius* 26 ignominiā *G*: Ignominia 27 Vndeq; 29 exercitus *pr* Inuicem *praeter morem suum* 30 infer̃

quemque impetus vel pavor contraheret diduceretve. Postquam perculsos sensit Antonius, denso agmine obturbabat. Laxati ordines abrumpuntur, nec restitui quivere inpedientibus vehiculis tormentisque. Per limitem viae sparguntur festinatione consectandi victores. Eo notabilior caedes fuit, quia filius patrem interfecit. Rem nominaque auctore Vipstano Messalla tradam. Iulius Mansuetus ex Hispania, Rapaci legioni additus, inpubem filium domi liquerat. Is mox adultus, inter septimanos a Galba conscriptus, oblatum forte patrem et vulnere stratum dum semianimem scrutatur, agnitus agnoscensque et exanguem amplexus, voce flebili precabatur placatos patris manes, neve se ut parricidam aversarentur: publicum id facinus; et unum militem quotam civilium armorum partem? Simul attollere corpus, aperire humum, supremo erga parentem officio fungi. Advertere proximi, deinde plures: hinc per omnem aciem miraculum et questus et saevissimi belli execratio. Nec eo segnius propinquos adfinis fratres trucidant spoliant; factum esse scelus loquuntur faciuntque. Vt Cremonam venere, novum immensumque opus occurrit. 26
Othoniano bello Germanicus miles moenibus Cremonensium castra sua, castris vallum circumiecerat eaque munimenta rursus auxerat. Quorum aspectu haesere victores, incertis ducibus quid iuberent. Incipere obpugnationem fesso per diem noctemque exercitu arduum et nullo iuxta subsidio anceps: sin Bedriacum redirent, intolerandus tam longi itineris labor, et victoria ad inritum revolvebatur. Munire castra, id quoque propinquis hostibus formidolosum, ne dispersos et opus molientes subita eruptione turbarent. Quae super cuncta terrebat ipsorum miles periculi quam morae patientior: quippe ingrata quae tuta, ex temeritate spes; omnisque caedes et vulnera et sanguis aviditate praedae pensabantur. Huc in- 27

1 diduceretue *L* : duceret ue 2 perculsos *Acidalius* : pulsos (*pro* pculsos; impulsos *Bipontini*) 6 Vipstano *Rupertus* : uipsano 10 uolnere 11 plca̅tos (*sic; fortasse* placatos sibi; *Muretus* precabatur patris manes, ne) 14 attolere 18 trucidant *Iac. Gronovius* : trucidatj (trucidatos ꝯ) 20 germa cus 23 fesso *G* : fessos 25 bedriacō̄ 27 formidolosūs *pr* 28 subite ruptione 29 qpe 31 uolnera

clinavit Antonius cingique vallum corona iussit. Primo sagittis saxisque eminus certabant, maiore Flavianorum pernicie, in quos tela desuper librabantur; mox vallum portasque legionibus attribuit, ut discretus labor fortes ignavosque distingueret, atque ipsi contentione decoris accenderentur. Proxima Bedriacensi viae tertiani septimanique sumpsere, dexteriora valli octava ac septima Claudiana; tertiadecumanos ad Brixianam portam impetus tulit. Paulum inde morae, dum ex proximis agris ligones dolabras, et alii falces scalasque convectant. Tum elatis super capita scutis densa testudine succedunt. Romanae utrimque artes: pondera saxorum Vitelliani provolvunt, disiectam fluitantemque testudinem lanceis contisque scrutantur, donec soluta compage scutorum exangues aut laceros prosternerent multa cum strage. Incesserat cunctatio, ni duces fesso militi et velut inritas exhortationes
28 abnuenti Cremonam *praedam* monstrassent. Hormine id ingenium, ut Messalla tradit, an potior auctor sit C. Plinius, qui Antonium incusat, haud facile discreverim, nisi quod neque Antonius neque Hormus a fama vitaque sua quamvis pessimo flagitio degeneravere. Non iam sanguis neque vulnera morabantur quin subruerent vallum quaterentque portas, innixi umeris et super iteratam testudinem scandentes prensarent hostium tela brachiaque. Integri cum sauciis, semineces cum expirantibus volvuntur, varia pereuntium forma et omni
29 imagine mortium. Acerrimum tertiae septimaeque legionum certamen; et dux Antonius cum delectis auxiliaribus eodem incubuerat. Obstinatos inter se cum sustinere Vitelliani nequirent et superiacta tela testudine laberentur, ipsam postremo ballistam in subeuntes propulere, quae ut ad praesens disiecit

3 ballum *pr* 5 *ipsi : ipsa 7 tertia decumanos 9 ex] & (*sic;* e ꝛ) ligones *R* : legiones 11 romane utrimq; 12 fluuitantemq; 13 contisque ꝛ : concitisque 14 compaIe *pr* 14 cūcustrage 16 *Cremonam praedam : cremonam 16 hormi ne 17 tradit *G* : traditā potior *G* : potiora ·ꝛ· plunius (C. plinius *G*) 18 discreueri³t (*nota recenti m.*) 20 uolnera 21 Inixi 23 integri *G* : Integris 25 *fortasse* septimaeque Galbianae 28 *malim* delaberentur, *aut* de testudine *cum Halmio* 29 ballistam disIecto bruitque (disiecit obruit que *G*)

obruitque quos inciderat, ita pinnas ac summa valli ruina sua traxit; simul iuncta turris ictibus saxorum cessit, qua septimani dum nituntur cuneis, tertianus securibus gladiisque portam perfregit. Primum inrupisse C. Volusium, tertiae legionis militem, inter omnes auctores constat. Is in vallum egressus, deturbatis qui restiterant, conspicuus manu ac voce capta castra conclamavit; ceteri trepidis iam Vitellianis seque e vallo praecipitantibus perrupere. Completur caede quantum inter castra murosque vacui fuit. Ac rursus 30 nova laborum facies: ardua urbis moenia, saxeae turres, ferrati portarum obices, vibrans tela miles, frequens obstrictusque Vitellianis partibus Cremonensis populus, magna pars Italiae stato in eosdem dies mercatu congregata, quod defensoribus auxilium ob multitudinem, obpugnantibus incitamentum ob praedam erat. Rapi ignes Antonius inferrique amoenissimis extra urbem aedificiis iubet, si damno rerum suarum Cremonenses ad mutandam fidem traherentur. Propinqua muris tecta et altitudinem moenium egressa fortissimo quoque militum complet; illi trabibus tegulisque et facibus propugnatores deturbant. Iam legiones in testudinem glomerabantur, 31 et alii tela saxaque incutiebant, cum languescere paulatim Vitellianorum animi. Vt quis ordine anteibat, cedere fortunae, ne Cremona quoque excisa nulla ultra venia omnisque ira victoris non in vulgus inops sed in tribunos centuriones-que, ubi pretium caedis erat, reverteretur. Gregarius miles futuri socors et ignobilitate tutior perstabat: vagi per vias, in domibus abditi, pacem ne tum quidem orabant, cum bellum posuissent. Primores castrorum nomen atque imagines Vitellii amoliuntur; catenas Caecinae (nam etiam tum vinctus erat) exsolvunt, orantque ut causae suae deprecator adsistat. Aspernantem tumentemque lacrimis fatigant, extremum malorum, tot fortissimi viri proditoris opem invocantes; mox velamenta et infulas pro muris ostentant. Cum Antonius

1 quos] quis *Ernesti* 3 gladiisque] dolabrisque *Heinsius* 6 restiterant ς : resisterant 13 mercatu ς : mercatus 14 ob pugnantibus (*sic*) 22 anteibat *G* : ante ibant 24 uolgus Inobs 26 tutior *pr* 28 potuissent *pr* 30 erat *G* : erant 31 tumentemque] tū mtēq;

inhiberi tela iussisset, signa aquilasque extulere; maestum inermium agmen, deiectis in terram oculis, sequebatur. Circumstiterant victores et primo ingerebant probra, intentabant ictus: mox, ut praeberi ora contumeliis, et posita omni ferocia cuncta victi patiebantur, subit recordatio illos esse qui nuper Bedriaci victoriae temperassent. Sed ubi Caecina praetexta lictoribusque insignis, dimota turba, consul incessit, exarsere victores: superbiam saevitiamque *atque* (adeo invisa scelera sunt) etiam perfidiam obiectabant. Obstitit Antonius datisque defensoribus ad Vespasianum *eum* dimisit.

32 Plebs interim Cremonensium inter armatos conflictabatur; nec procul caede aberant, cum precibus ducum mitigatus est miles. Et vocatos ad contionem Antonius adloquitur, magnifice victores, victos clementer, de Cremona in neutrum. exercitus praeter insitam praedandi cupidinem vetere odio ad excidium Cremonensium incubuit. Iuvisse partes Vitellianas Othonis quoque bello credebantur; mox tertiadecimanos ad extruendum amphitheatrum relictos, ut sunt procacia urbanae plebis ingenia, petulantibus iurgiis inluserant. Auxit invidiam editum illic a Caecina gladiatorum spectaculum, eademque rursus belli sedes, et praebiti in acie Vitellianis cibi, caesae quaedam feminae studio partium ad proelium progressae; tempus quoque mercatus ditem alioqui coloniam maiore opum specie complebat. Ceteri duces in obscuro: Antonium fortuna famaque omnium oculis exposuerat. Is balineas abluendo cruori propere petit. Excepta vox est, cum teporem incusaret, statim futurum ut *ipsi* incalescerent: vernile dictum omnem invidiam in eum vertit, tamquam signum
33 incendendae Cremonae dedisset, quae iam flagrabat. Quadraginta armatorum milia inrupere, calonum lixarumque amplior numerus, et in libidinem ac saevitiam corruptior. Non dignitas, non aetas protegebat, quo minus stupra caedibus, caedes stupris miscerentur. Grandaevos senes, exacta aetate

8 *atque (adeo : adeo 10 a^{d} *eum : *om* 17 tertia decimanos 18 procacię *pr*, procacia *corr vetere m.* 20 gladiato♃'rum 23 alioq 24 maiore ꝯ : maiorē (maiorum ꝯ) 27 *ipsi incalescerent : Inalesceret^{n} (n *vetere m.*; incalescerent *ed. princeps*, inardescerent ꝯ) 32 q^{o}minus

feminas, viles ad praedam, in ludibrium trahebant: ubi adulta virgo, aut quis forma conspicuus incidisset, vi manibusque rapientium divulsus ipsos postremo direptores in mutuam perniciem agebat. Dum pecuniam vel gravia auro templorum dona sibi quisque trahunt, maiore aliorum vi truncabantur. Quidam obvia aspernati, verberibus tormentisque dominorum abdita scrutari, defossa eruere: faces in manibus, quas, ubi praedam egesserant, in vacuas domos et inania templa per lasciviam iaculabantur; utque *in* exercitu, vario linguis moribus, cui cives socii externi interessent, diversae cupidines et aliud cuique fas nec quidquam inlicitum. Per quadriduum Cremona suffecit. Cum omnia sacra profanaque in ignem considerent, solum Mefitis templum stetit ante moenia, loco seu numine defensum. Hic exitus Cremonam *mansit* anno 34 ducentesimo octogesimo sexto a primordio sui. Condita erat Sempronio et Cornelio consulibus, ingruente in Italiam Annibale, propugnaculum adversus Gallos trans Padum agentes et siqua alia vis per Alpes rueret. Igitur numero colonorum, opportunitate fluminum, ubere agri, adnexu conubiisque gentium adolevit floruitque, bellis externis intacta, civilibus infelix. Antonius pudore flagitii, crebrescente invidia, edixit ne quis Cremonensem captivum detineret. Inritamque praedam militibus effecerat consensus Italiae, emptionem talium mancipiorum aspernantis: occidi coepere; quod ubi enotuit, a propinquis adfinibusque occulte redemptabantur. Mox rediit Cremonam reliquus populus; reposita fora templaque munificentia municipum; et Vespasianus hortabatur. Ceterum 35 adsidere sepultae urbis ruinis noxia tabo humus haud diu permisit. Ad tertium lapidem progressi vagos paventesque

3 diuolsus, *cf. ad* 12 58 6 obuiā 8 uacuos (a *vetere m.*) p lasciuia 9 *utque in ꝫ ut que 11 qdquā 12 cremonā *pr* ignem *Heinsius* ꝫ igne 14 *cremonam mansit ꝫ cremonā (cremonae ς) 15 suo (i *vetere m.*) 16 *Sempronio ꝫ ·T· sēpnio (Ti. Sempr. *L*) Cornelio] P. Cornelio *R*, P. Cornelio *omisso* et *Halm* coñs. 19 opportunitate *G* ꝫ oportunitate *malim* ubertate agri 21 crebrescente (*sic*) inuidia edixit *G* ꝫ Inuidię dixit 22 captiuō 24 aspernantis *G* ꝫ aspernantes cępere 27 munificentia ς ꝫ magnifi centia 28 adsideres epulię (assidere sepultae *G*)

Vitellianos, sua quemque apud signa, componunt; et victae legiones, ne manente adhuc civili bello ambigue agerent, per Illyricum dispersae. In Britanniam inde et Hispanias nuntios famamque, in Galliam Iulium Calenum tribunum, in Germaniam Alpinium Montanum, praefectum cohortis, quod hic Trevir, Calenus Aeduus, uterque Vitelliani fuerant, ostentui misere. Simul transitus Alpium praesidiis occupati, suspecta Germania, tamquam in auxilium Vitellii accingeretur.

36 At Vitellius profecto Caecina, cum Fabium Valentem paucis post diebus ad bellum inpulisset, curis luxum obtendebat: non parare arma, non adloquio exercitioque militem firmare, non in ore vulgi agere, sed umbraculis hortorum abditus, ut ignava animalia, quibus si cibum suggeras, iacent torpentque, praeterita instantia [futura] pari oblivione dimiserat. Atque illum in nemore Aricino desidem et marcentem proditio Lucilii Bassi ac defectio classis Ravennatis perculit; nec multo post de Caecina adfertur mixtus gaudio dolor, et descivisse et ab exercitu vinctum. Plus apud socordem animum laetitia quam cura valuit. Multa cum exultatione in urbem revectus frequenti contione pietatem militum laudibus cumulat; Publilium Sabinum, praetorii praefectum, ob amicitiam Caecinae vinciri iubet, substituto in locum eius
37 Alfeno Varo. Mox senatum composita in magnificentiam oratione adlocutus, exquisitis patrum adulationibus attollitur. Initium atrocis in Caecinam sententiae a L. Vitellio factum; dein ceteri composita indignatione, quod consul rem publicam, dux imperatorem, tantis opibus, tot honoribus cumulatus amicum prodidisset, velut pro Vitellio conquerentes, suum dolorem proferebant. Nulla in oratione cuiusquam erga Flavianos duces obtrectatio: errorem inprudentiamque exercituum culpantes, Vespasiani nomen suspensi et vitabundi circumibant; nec defuit qui unum consulatus diem (is enim in locum Caecinae supererat) magno cum inrisu tribuentis accipientis-

2 ambigue *G*: ambiguę 3 illiricum brittaniã 5 Alpinum *Puteolanus* 12 firmare *G*: firmaret uolgi 13 suggerant *pr* 14 *[fu- 16 portulit (c *vetere m.*) 21 Publilium *ex suspitione Halm ad H.* 2 92) 26 cetera *pr*, ceteri *corr* coñs

que eblandiretur. Pridie kalendas Novembres Rosius Regulus iniit eiuravitque. Adnotabant periti numquam antea non abrogato magistratu neque lege lata alium subfectum: nam consul uno die et ante fuerat Caninius Rebilus C. Caesare dictatore, cum belli civilis praemia festinarentur.

Nota per eos dies Iunii Blaesi mors et famosa fuit; de 38
qua sic accepimus. Gravi corporis morbo aeger Vitellius Servilianis hortis turrim vicino sitam conlucere per noctem crebris luminibus animadvertit. Sciscitanti causam apud Caecinam Tuscum epulari multos, praecipuum honore Iunium Blaesum nuntiatur; cetera in maius, de apparatu et solutis in lasciviam animis. Nec defuere qui ipsum Tuscum et alios, sed criminosius Blaesum incusarent, quod aegro principe laetos dies ageret. Vbi asperatum Vitellium et posse Blaesum perverti satis patuit iis, qui principum offensas acriter speculantur, datae L. Vitellio delationis partes. Ille infensus Blaeso aemulatione prava, quod eum omni dedecore maculosum egregia fama anteibat, cubiculum imperatoris reserat, filium eius sinu complexus et genibus accidens. Causam confusionis quaerenti, non se proprio metu nec sui anxium, sed pro fratre, pro liberis fratris preces lacrimasque attulisse; frustra Vespasianum timeri, quem tot Germanicae legiones, tot provinciae virtute ac fide, tantum denique terrarum ac maris inmensis spatiis arceat: in urbe ac sinu cavendum hostem, Iunios Antoniosque avos iactantem, qui se stirpe imperatoria, comem ac magnificum militibus ostentet. Versas illuc omnium mentes, dum Vitellius amicorum inimicorumque neglegens fovet aemulum principis labores e convivio prospectantem. Reddendam pro intempestiva laetitia maestam et funebrem noctem, qua sciat et sentiat vivere Vitellium et imperare, et siquid fato accidat, filium habere. Trepidanti 39
inter scelus metumque, ne dilata Blaesi mors maturam perniciem, palam iussa atrocem invidiam ferret, placuit veneno

1 eblandiretur *R*: blandiretur PR K*k*. nouēb 2 nunquam 4 Rebilus *R*: rebitus caesarē *pr.* 8 in uicino *Muretus* c̃lucere (*corrigas* colle lucere) 9 cecinam 13 criminosius ς: criminosiū 18 ante ibat 29 reddendā *G*: reddenda 31 imperare *G*: Imperaret siqt

grassari; addidit facinori fidem notabili gaudio, Blaesum visendo. Quin et audita est saevissima *L.* Vitellii vox, qua se (ipsa enim verba referam) pavisse oculos spectata inimici morte iactavit. Blaeso super claritatem natalium et elegantiam morum fidei obstinatio fuit. Integris quoque rebus a Caecina et primoribus partium iam Vitellium aspernantibus ambitus abnuere perseveravit. Sanctus inturbidus, nullius repentini honoris, adeo non principatus appetens, parum effugerat ne dignus crederetur.

40 Fabius interim Valens, multo ac molli concubinarum spadonumque agmine segnius quam ad bellum incedens, proditam a Lucilio Basso Ravennatem classem pernicibus nuntiis *Narniae* accepit. Et si coeptum iter properasset, nutantem Caecinam praevenire aut ante discrimen pugnae adsequi legiones potuisset; nec deerant qui monerent, ut cum fidissimis per occultos tramites vitata Ravenna Hostiliam Cremonamve pergeret. Aliis placebat accitis ex urbe praetoriis cohortibus valida manu perrumpere. Ipse inutili cunctatione agendi tempora consultando consumpsit; mox utrumque consilium aspernatus, [quod inter ancipitia deterrimum est,] dum
41 media sequitur, nec ausus est satis nec providit. Missis ad Vitellium litteris auxilium postulat. Venere tres cohortes cum ala Britannica, neque ad fallendum aptus numerus neque ad penetrandum. Sed Valens ne in tanto quidem discrimine infamia caruit, quo minus rapere inlicitas voluptates adulteriisque ac stupris polluere hospitum domus crederetur: aderant vis et pecunia et ruentis fortunae novissima libido. Adventu demum peditum equitumque pravitas consilii patuit, quia nec vadere per hostes tam parva manu poterat, etiam si fidissima foret, nec integram fidem attulerant; pudor tamen et praesentis ducis reverentia morabatur, haud diuturna vincla apud avidos periculorum et dedecoris securos. Eo *in* metu,

1 grassari *G* : crassari notabili *Faernus* : nobili blesum. *mox* bleso 2 *L. Vitellii : uitellii 5 fidei obstinatio] *in margine*: aꝰ fides obstinata *retere m.* 6 uitelliūs 12 *nuntiis Narniae accepit : nuntiis accepit 13 cęptum 20 *[quod—est] 23 brittannica 24 pęnetrandum 31 reuerentiā *pr* 32 pauidos *Faernus* *eo in : eo

et paucis quos adversa non mutaverant comitantibus, cohortes Ariminum praemittit, alam tueri terga iubet: ipse flexit in Vmbriam atque inde Etruriam, ubi cognito pugnae Cremonensis eventu non ignavum et, si provenisset, atrox consilium iniit, ut arreptis navibus in quamcumque partem Narbonensis provinciae egressus Gallias et exercitus et Germaniae gentes novumque bellum cieret. Digresso Valente trepidos, qui Ari- 42
minum tendebant, Cornelius Fuscus, admoto exercitu et missis per proxima litorum Liburnicis, terra marique circumvenit: occupantur plana Vmbriae et qua Picenus ager Hadria alluitur. Omnisque Italia inter Vespasianum ac Vitellium Appennini iugis dividebatur. Fabius Valens e sinu Pisano segnitia maris aut adversante vento portum Herculis Monoeci depellitur. Haud procul inde agebat Marius Maturus, Alpium maritimarum procurator, fidus Vitellio, cuius sacramentum cunctis circa hostilibus nondum exuerat. Is Valentem comiter exceptum, ne Galliam Narbonensem temere ingrederetur, monendo terruit; simul ceterorum fides metu infracta. Namque circumiectas civitates procurator Valerius Paulinus, strenuus militiae et Vespasiano ante fortunam amicus, in verba eius adegerat; concitisque omnibus, qui exauctorati a Vitellio bel- 43
lum sponte sumebant, Foroiuliensem coloniam, claustra maris, praesidio tuebatur, eo gravior auctor, quod Paulino patria Forum Iulii et honos apud praetorianos, quorum quondam tribunus fuerat; ipsique pagani favore municipali et futurae potentiae spe iuvare partes adnitebantur. Quae ut paratu firma et aucta rumore apud varios Vitellianorum animos increbruere, Fabius Valens cum quattuor speculatoribus et tribus amicis, totidem centurionibus, ad naves regreditur; Maturo ceterisque remanere et in verba Vespasiani adigi volentibus fuit. Ceterum ut mare tutius Valenti quam litora

4 euentū 5 quācūq; nerbonensis 8 *tendebant : tenebant 9 proximas *pr* 10 occupantur *G* : occupatur hadria (*cf.* 2 53, 15 34) 11 appenninis (*hoc prava assimilatione* : appenninus *est c.* 50 *et* 52 *et* 55 *et* 56 *et* 59; apoenini *Puteolanus*) 18 infracta ς : Inracta 19 ualerios 21 exauctor rati *pr* 22 claustrā iam maris (iam *recenti m.*) 24 Iulj. (*sic*) 26 ut *Iacob* : ui (ubi ς) 27 Increbruere 30 Maturo *Agricola* : maturę

aut urbes, ita futuri ambiguus et magis quid vitaret quam cui fideret certus, adversa tempestate Stoechadas, Massiliensium insulas, adfertur. Ibi eum missae a Paulino Liburnicae oppressere.

44 Capto Valente cuncta ad victoris opes conversa, initio per Hispaniam a prima Adiutrice legione orto, quae memoria Othonis infensa Vitellio decimam quoque ac sextam traxit. Nec Galliae cunctabantur. Et Britanniam *pridem* inditus erga Vespasianum favor, quod illic secundae *legatus* legionis, a Claudio praepositus, et bello clarus egerat, non sine motu adiunxit ceterarum, in quibus plerique centuriones ac milites a Vitellio provecti expertum iam principem anxii mutabant.

45 Ea discordia et crebris belli civilis rumoribus Britanni sustulere animos auctore Venusio, qui super insitam ferociam et Romani nominis odium propriis in Cartimanduam reginam stimulis accendebatur. Cartimandua Brigantibus imperitabat, pollens nobilitate; et auxerat potentiam, postquam capto per dolum rege Carataco instruxisse triumphum Claudii Caesaris videbatur. Inde opes et rerum secundarum luxus. Spreto Venusio [is fuit maritus] armigerum eius Vellocatum in matrimonium regnumque accepit. Concussa statim flagitio domus: pro marito studia civitatis, pro adultero libido reginae et saevitia. Igitur Venusius accitis auxiliis, simul ipsorum Brigantum defectione in extremum discrimen Cartimanduam adduxit. Tum petita a Romanis praesidia. Et cohortes alaeque nostrae, variis proeliis, exemere tamen periculo reginam. Regnum Venusio, bellum nobis relictum.

46 Turbata per eosdem dies Germania, et socordia ducum, seditione legionum, externa vi, perfidia sociali prope adflicta Romana res. Id bellum cum causis et eventibus (etenim longius provectum est) mox memorabimus. Mota et Dacorum

3 defertur *Ernesti* 6 hispaniã a prima *G* : hispania adprima 8 *Britanniam pridem : brittanniam 9 fabor *legatus legionis : legionis *pr*, legioni *corr recenti m.* 13 brittanni 14 Venusio] *in Annalibus* 12 40 *idem* Venutius *appellatur, ut ibidem est* Cartimandus, *non ut hic* Cartimandua 15 In cartis manduã (*sic*), *mox* cartimandua, *dein* cartimanduam (*cf. ad* 12 36) 20 *[is fuit maritus] uel locatum (*duae litterae erasae post* uel) 28 torbata *pr* 30 Romana *G* : romanas

gens numquam fida, tunc sine metu, abducto e Moesia exercitu. Sed prima rerum quieti speculabantur: ubi flagrare Italiam bello, cuncta in vicem hostilia accepere, expugnatis cohortium alarumque hibernis utraque Danuvii ripa potiebantur. Iamque castra legionum excindere parabant, ni Mucianus sextam legionem opposuisset, Cremonensis victoriae gnarus, ac ne externa moles utrimque ingrueret, si Dacus Germanusque diversi inrupissent. Adfuit, ut saepe alias, fortuna populi Romani, quae Mucianum tum viresque Orientis illuc tulit, et quod Cremonae interim transegimus. Fonteius Agrippa ex Asia (pro consule eam provinciam annuo imperio tenuerat) Moesiae praepositus est, additis copiis e Vitelliano exercitu, quem spargi per provincias et externo bello inligari pars consilii pacisque erat.

Nec ceterae nationes silebant. Subita per Pontum arma 47
barbarum mancipium, regiae quondam classis praefectus, moverat. Is fuit Anicetus, Polemonis libertus, praepotens olim et, postquam regnum in formam provinciae verterat, mutationis inpatiens. Igitur Vitellii nomine adscitis gentibus quae Pontum adcolunt, corrupto in spem rapinarum egentissimo quoque, haud temnendae manus ductor, Trapezuntem, vetusta fama civitatem, a Graecis in extremo Ponticae orae conditam, subitus inrupit. Caesa ibi cohors, regium auxilium olim; mox donati civitate Romana signa armaque in nostrum modum, desidiam licentiamque Graecorum retinebant. Classi quoque faces intulit, vacuo mari *ultionem* eludens, quia lectissimas Liburnicarum omnemque militem Mucianus Byzantium adegerat. Quin et barbari contemptim vagabantur, fabricatis repente navibus. Camaras vocant, artis lateribus, latam alvum sine vinculo aeris aut ferri conexam; et tumido mari, prout fluctus attollitur, summa navium tabulis augent donec in modum tecti claudantur. Sic inter undas volvuntur,

1 nunquā 3 hostiliā 8 sępelias *pr* 9 *Mucianum tum : mucianunū (Mucianum ꝫ) 12 copis 16 quodam *pr* 17 libertus. prepotens libertus 22 fama *L* : mama (*cf. H.* 4 83: templum. uetere inter accolas fama) 25 classi *R* : classis 26 *ultionem eludens : eludens 27 lectissimas *G* : lectissima mucianūs bizantium 28 contemptī *G* : contempti 29 febricatis 30 latā aluom

pari utrimque prora et mutabili remigio, quando hinc vel
48 illinc appellere indiscretum et innoxium est. Advertit ea
res Vespasiani animum, ut vexillarios e legionibus ducemque
Virdium Geminum, spectatae militiae, deligeret. Ille incon-
positum et praedae cupidine vagum hostem adortus coegit
in naves; effectisque raptim Liburnicis adsequitur Anicetum
in ostio fluminis Chobi, tutum sub Sedochezorum regis
auxilio, quem pecunia donisque ad societatem perpulerat.
Ac primo rex minis armisque supplicem tueri: postquam
merces proditionis aut bellum ostendebatur, fluxa, ut est
barbaris, fide pactus Aniceti exitium perfugas tradidit, bello-
que servili finis inpositus.

Laetum ea victoria Vespasianum, cunctis super vota
fluentibus, Cremonensis proelii nuntius in Aegypto adsequi-
tur. Eo properantius Alexandriam pergit, ut fracto Vitellii
exercitu urbem quoque, externae opis indigam, fame urgeret:
namque et Africam, eodem latere sitam, terra marique inva-
dere parabat, clausis annonae subsidiis inopiam ac discor-
diam hosti facturus.

49 Dum hac totius orbis nutatione fortuna imperii transit,
Primus Antonius nequaquam pari innocentia post Cremonam
agebat, satis factum bello ratus et cetera ex facili, seu feli-
citas in tali ingenio avaritiam superbiam ceteraque occulta
mala patefecit. Vt captam Italiam persultare, ut suas legi-
ones colere: omnibus dictis factisque viam sibi ad poten-
tiam struere. Vtque licentia militem inbueret, interfectorum
centurionum ordines legionibus offerebat. Eo suffragio turbi-
dissimus quisque delecti; nec miles in arbitrio ducum, sed
duces militari violentia trahebantur. Quae seditiosa et cor-
rumpendae disciplinae mox in praedam vertebat, nihil ad-
ventantem Mucianum veritus, quod exitiosius erat quam Ve-
50 spasianum sprevisse. Ceterum propinqua hieme et umentibus
Pado campis expeditum agmen incedere. Signa aquilaeque
victricium legionum, milites vulneribus aut aetate graves,

2 appellere *G* : appella re 4 Inc̃positum 7 Chobi *Colerus* : cohibi subse dochezorū 16 exercitu ς : exercitus. urbem quoque *G* : urbemq; (*fortasse* Italiam urbemque) 20 hac *G* : ac 25 uiam *L* : uim 34 uolneribus

plerique etiam integri Veronae relicti: sufficere cohortes alaeque et e legionibus lecti profligato iam bello videbantur. Vndecima legio sese adiunxerat, initio cunctata, sed prosperis rebus anxia quod defuisset; sex milia Dalmatarum, recens dilectus, comitabantur; ducebat Pompeius Silvanus consularis; vis consiliorum penes Annium Bassum, legionis legatum. Is Silvanum, socordem bello et dies rerum verbis terentem, specie obsequii regebat, *adque* omnia quae agenda forent quieta cum industria aderat. Ad has copias e classicis Ravennatibus, legionariam militiam poscentibus, optimus quisque adsciti: classem Dalmatae supplevere. Exercitus ducesque ad Fanum Fortunae iter sistunt, de summa rerum cunctantes, quod motas ex urbe praetorias cohortes audierant et teneri praesidiis Appenninum rebantur; et ipsos in regione bello attrita inopia et seditiosae militum voces terrebant, clavarium [donativi nomen est] flagitantium. Nec pecuniam aut frumentum providerant, et festinatio atque aviditas praepediebant, dum quae accipi poterant rapiuntur. Celeberrimos auctores habeo, tantam victoribus adversus fas 51
nefasque inreverentiam fuisse, ut gregarius eques occisum a se proxima acie fratrem professus praemium a ducibus petierit. Nec illis aut honorare eam caedem ius hominum aut ulcisci ratio belli permittebat. Distulerant tamquam maiora meritum quam quae statim exolverentur; nec quidquam ultra traditur. Ceterum et prioribus civium bellis par scelus inciderat. Nam proelio, quo aput Ianiculum adversus Cinnam pugnatum est, Pompeianus miles fratrem suum, dein cognito facinore se ipse interfecit, ut Sisenna memorat: tanto acrior aput maiores, sicut virtutibus gloria, ita flagitiis poenitentia fuit. Sed haec aliaque ex vetere memoria petita, quotiens res locusque exempla recti aut solacia mali poscet, haud absurde memo-

3 adIunxerat 8 *adque omnia : omniaque (ad omniaque *Puteolanus*, atque ad omnia *Halm; cf.* 2 67 inque liberos, 12 46: inque omnem libidinem, *adde* 11 13, 13 36, 15 45) 9 copia|se 12 cunctates 14 regione *Faernus* : legione 16 [donatiui n. est] *Castalio* : donatiui nomen est. 20 gregarios *pr* 23 distulerunt *Faernus* 24 quam quae *Puteolanus* : quanquā qdquā 28 ipse *Ruperti* : ipsum 29 poenitentia *B* : pęnitentia

52 rabimus. Antonio ducibusque partium praemitti equites omnemque Vmbriam explorari placuit, si qua Appennini iuga clementius adirentur; acciri aquilas signaque et quidquid Veronae militum foret, Padumque et mare commeatibus compleri. Erant inter duces qui necterent moras: quippe nimius iam Antonius, et certiora ex Muciano sperabantur. Namque Mucianus tam celeri victoria anxius et, ni praesens urbe poteretur, expertem se belli gloriaeque ratus, ad Primum et Varum media scriptitabat, instandum coeptis aut rursus cunctandi utilitates edisserens, atque ita compositus, ut ex eventu rerum adversa abnueret vel prospera agnosceret. Plotium Griphum, nuper a Vespasiano in senatorium ordinem adscitum ac legioni praepositum, ceterosque sibi fidos apertius monuit, hique omnes de festinatione Primi ac Vari sinistre et Muciano volentia rescripsere. Quibus epistulis Vespasiano missis effecerat, ut non pro spe Antonii consilia
53 factaque eius aestimarentur. Aegre id pati Antonius et culpam in Mucianum conferre, cuius criminationibus eviluissent pericula sua; nec sermonibus temperabat, inmodicus linguae et obsequii insolens. Litteras ad Vespasianum composuit iactantius quam ad principem, nec sine occulta in Mucianum insectatione: se Pannonicas legiones in arma egisse; suis stimulis excitos Moesiae duces, sua constantia perruptas Alpes, occupatam Italiam, intersepta Germanorum Raetorumque auxilia. Quod discordes dispersasque Vitellii legiones equestri procella, mox peditum vi per diem noctemque fudisset, id pulcherrimum et sui operis. Casum Cremonae bello inputandum: maiore damno, plurium urbium excidiis veteres civium discordias rei publicae stetisse. Non se nuntiis neque epistulis, sed manu et armis imperatori suo militare; neque officere gloriae eorum qui alia interim com-

2 cimbriam (*syllaba* ci *in rasura*) 8 *poteretur : potiretur 9 cęptis 11 euentu *G* : uentu 13 *adscitum : additū 14 defestinatione 18 eui|luisent *pr* 20 linguae *L.* : lingua (*cf. ad H.* 1 69) litteras *G* : littera| 24 Intsepta sermanorum *pr*, germanorum *corr vetere m.* 26 procellā *pr* 28 bellū *pr* 31 *alia : asiā composuerit (n *vetere m.*)

posuerint: illis Moesiae pacem, sibi salutem securitatemque Italiae cordi fuisse; suis exhortationibus Gallias Hispaniasque, validissimam terrarum partem, ad Vespasianum conversas. Sed cecidisse in inritum labores *sibi*, si praemia periculorum soli adsequantur qui periculis non adfuerint. Nec fefellere ea Mucianum; inde graves simultates, quas Antonius simplicius, Mucianus callide eoque inplacabilius nutriebat.

At Vitellius, fractis apud Cremonam rebus nuntios cladis 54
occultans, stulta dissimulatione remedia potius malorum quam mala differebat. Quippe confitenti consultantique supererant spes viresque: cum e contrario laeta omnia fingeret, falsis ingravescebat. Mirum aput ipsum de bello silentium; prohibiti per civitatem sermones, eoque plures ac, si liceret, vere narraturi, quia vetabantur, atrociora vulgaverant. Nec duces hostium augendae famae deerant, captos Vitellii exploratores circumductosque, ut robora victoris exercitus noscerent, remittendo; quos omnis Vitellius secreto percunctatus interfici iussit. Notabili constantia centurio Iulius Agrestis, post multos sermones quibus Vitellium ad virtutem frustra accendebat, perpulit ut ad vires hostium spectandas, quaeque aput Cremonam acta forent, ipse mitteretur. Nec exploratione occulta fallere Antonium temptavit, sed mandata imperatoris suumque animum professus, ut cuncta viseret postulat. Missi qui locum proelii, Cremonae vestigia, captas legiones ostenderent. Agrestis ad Vitellium remeavit, abnuentique vera esse quae adferret, atque ultro corruptum arguenti, quando quidem' inquit 'magno documento opus est, nec alius iam tibi aut vitae aut mortis meae usus, dabo cui credas.' Atque ita digressus voluntaria morte dicta firmavit. Quidam iussu Vitellii interfectum, de fide constantiaque eadem tradidere. Vitellius, ut e somno excitus, Iulium Priscum et Al- 55
fenum Varum cum quattuordecim praetoriis cohortibus et omnibus equitum alis obsidere Appenninum iubet; secuta e classicis legio. Tot milia armatorum, lecta equis virisque,

4 *sibi, si : si 6 graues *G* : graue 18 oīs 20 adgrestis 31 constantiāque *pr* 34 secuta e ꝫ : secutae 35 lecta equis *G* : lectae qs

si dux alius foret, inferendo quoque bello satis pollebant. Ceterae cohortes ad tuendam urbem L. Vitellio fratri datae: ipse, nihil e solito luxu remittens et diffidentia properus, festinare comitia, quibus consules in multos annos destinabat; foedera sociis, Latium externis dilargiri; his tributa dimittere, alios immunitatibus iuvare; denique nulla in posterum cura lacerare imperium. Sed vulgus ad magnitudinem beneficiorum aderat, stultissimus quisque pecuniis mercabatur; apud sapientes cassa habebantur, quae neque dari neque accipi salva re publica poterant. Tandem flagitante exercitu, qui Mevaniam insederat, magno senatorum agmine, quorum multos ambitione, plures formidine trahebat, in castra venit, incertus
56 animi et infidis consiliis obnoxius. Contionanti [prodigiosum dictu] tantum foedarum volucrum supervolitavit, ut nube atra diem obtenderent. Accessit dirum omen, profugus altaribus taurus disiecto sacrificii apparatu, longe, nec ut feriri hostias mos est, confossus. Sed praecipuum ipse Vitellius ostentum erat, ignarus militiae, inprovidus consilii, quis ordo agminis, quae cura explorandi, quantus urguendo trahendove bello modus, alios rogitans, et ad omnis nuntios vultu quoque et incessu trepidus, dein temulentus. Postremo taedio castrorum, et audita defectione Misenensis classis, Romam revertit recentissimum quodque vulnus pavens, summi discriminis incuriosus. Nam cum transgredi Appenninum integro exercitus sui robore et fessos hieme atque inopia hostes adgredi in aperto foret, dum dispergit vires, acerrimum militem et usque in extrema obstinatum trucidandum capiendumque tradidit, peritissimis centurionum dissentientibus et, si consulerentur, vera dicturis. Arcuere eos intimi amicorum Vitellii, ita formatis principis auribus, ut aspere quae utilia, nec quidquam
57 nisi iucundum et laesurum acciperet. Sed classem Misenen-

5 fe̜dera externis *G*: ternis 7 uolgus 8 aderat ꝯ: haberat (hiabat *Gronovius*) 9 saluare publica 13 *[prodigiosum dictu]: prodigiosum dictu. 14 fe̜deram 16 ut *Fr. Schneider*: ui (ubi *L*) 18 consilii *G*: c̄siliis 20 om̄is uoltu 23 recentissim^{u} quodque *G*: quoque uolnus summi *G*: sūmis 29 arcuere *L*: arguere 30 aspere *Bipontini*: aspera 31 acciperent *Faernus*

sem (tantum civilibus discordiis etiam singulorum audacia valet) Claudius Faventinus, centurio per ignominiam a Galba dimissus, ad defectionem traxit, fictis Vespasiani epistulis pretium proditionis ostentans. Praeerat classi Claudius Apollinaris, neque fidei constans neque strenuus in perfidia; et Apinius Tiro, praetura functus ac tum forte Minturnis agens, ducem se defectoribus obtulit. A quibus municipia coloniaeque inpulsae, praecipuo Puteolanorum in Vespasianum studio, contra Capua Vitellio fida, municipalem aemulationem bellis civilibus miscebant. Vitellius Claudium Iulianum (is nuper classem Misenensem molli imperio rexerat) permulcendis militum animis delegit; data in auxilium urbana cohors et gladiatores, quibus Iulianus praeerat. Vt conlata utrimque castra, haud magna cunctatione Iuliano in partes Vespasiani transgresso, Tarracinam occupavere, moenibus situque magis quam ipsorum ingenio tutam. Quae ubi Vitellio cognita, 58
parte copiarum Narniae cum praefectis praetorii relicta, L. Vitellium fratrem cum sex cohortibus et quingentis equitibus ingruenti per Campaniam bello opposuit. Ipse aeger animi studiis militum et clamoribus populi arma poscentis refovebatur, dum vulgus ignavum et nihil ultra verba ausurum falsa specie exercitum et legiones appellat. Hortantibus libertis (nam amicorum eius quanto quis clarior, minus fidus) vocari tribus iubet, dantes nomina sacramento adigit. Superfluente multitudine curam dilectus inter consules partitur; servorum numerum et pondus argenti senatoribus indicit. Equites Romani obtulere operam pecuniasque, etiam libertinis idem munus ultro flagitantibus. Ea simulatio officii a metu profecta verterat in favorem; ac plerique haud perinde Vitellium quam casum locumque principatus miserabantur. Nec deerat ipse vultu voce lacrimis misericordiam elicere, largus promissis et, quae natura trepidantium est, inmodicus. Quin et Caesarem se dici voluit, aspernatus antea, sed tunc

3 uespani (sia *superscr. vetere m.*) 6 fortē inturnis 10 claudiūs *pr* 11 misensē (nen *superpos. vetere m.*) rex erat 13 utrinq; 17 praetoriis *pr* 20 refobebatur *pr* 21 uolgus 24 dantes ꝯ : dante 25 *inter : in 28 officii a *Heinsius et liber Bodleianus* : officia 29 pinde *G* : ꝥInde 31 misericordiam] mia᷑, *et sic saepius*

superstitione nominis, et quia in metu consilia prudentium et vulgi rumor iuxta audiuntur. Ceterum ut omnia inconsulti impetus coepta initiis valida spatio languescunt, dilabi paulatim senatores equitesque, primo cunctanter et ubi ipse non aderat, mox contemptim et sine discrimine, donec Vitellius pudore inriti conatus quae non dabantur remisit.

59 Vt terrorem Italiae possessa Mevania ac velut renatum ex integro bellum intulerat, ita haud dubium erga Flavianas partes studium tam pavidus Vitellii discessus addidit. Erectus Samnis; Paelignusque et Marsi aemulatione, quod Campania praevenisset, ut in novo obsequio, ad cuncta belli munia acres erant. Sed foeda hieme per transitum Appennini conflictatus *Flavianus* exercitus; et vix quieto agmine nives eluctantibus patuit, quantum discriminis adeundum foret, ni Vitellium retro fortuna vertisset, quae Flavianis ducibus non minus saepe quam ratio adfuit. Obvium illic Petilium Cerialem habuere, agresti cultu et notitia locorum custodias Vitellii elapsum. Propinqua adfinitas Ceriali cum Vespasiano, nec ipse inglorius militiae, eoque inter duces adsumptus est. Flavio quoque Sabino ac Domitiano patuisse effugium multi tradidere; et missi ab Antonio nuntii per varias fallendi artes penetrabant, locum ac praesidium monstrantes. Sabinus inhabilem labori et audaciae valetudinem causabatur: Domitiano aderat animus, sed custodes a Vitellio additi, quamquam se socios fugae promitterent, tamquam insidiantes timebantur. Atque ipse Vitellius respectu suarum necessitu-

60 dinum nihil in Domitianum atrox parabat. Duces partium ut Carsulas venere, paucos ad requiem dies sumunt, donec aquilae signaque legionum adsequerentur. Et locus ipse castrorum placebat, late prospectans, tuto copiarum adgestu, florentissimis pone tergum municipiis; simul colloquia cum Vitellianis decem milium spatio distantibus et proditio spera-

2 uolgi 3 cępta 4 senatores *G* : se senectores 5 contemptim et sine *Pichena* : contempti mesti ne 7 meuania *G* : męuania 10 Paelignusque *Halm* : ꝑelignusque (Pelignusque ς) 12 fęda 13 Flauianus : *om* (*cf. c.* 62 *et* 63 *cet.*) niues eluctantibus *R* : niue|se luctantib; 18 ꝑpinquas *pr* 20 Flauio *G* : flauiano 22 inabilem (h *vetere m. superp.*) 26 respectus uarūs (s *induxit recens m.*) 29 aquilas *pr* 30 latę

batur. Aegre id pati miles, et victoriam malle quam pacem; ne suas quidem legiones opperiebantur, ut praedae quam periculorum socias. Vocatos ad contionem Antonius docuit esse adhuc Vitellio vires, ambiguas, si deliberarent, acres, si desperassent. Initia bellorum civilium fortunae permittenda: victoriam consiliis et ratione perfici. Iam Misenensem classem et pulcherrimam Campaniae oram descivisse, nec plus e toto terrarum orbe reliquum Vitellio quam quod inter Tarracinam Narniamque iaceat. Satis gloriae proelio Cremonensi partum, et exitio Cremonae nimium invidiae: ne concupiscerent Romam capere potius quam servare. Maiora illis praemia, et multo maximum decus, si incolumitatem senatui populoque Romano sine sanguine quaesissent. His ac talibus mitigati animi. Nec multo post legiones venere. Et terrore famaque 61
aucti exercitus Vitellianae cohortes nutabant, nullo in bellum adhortante, multis ad transitionem, qui suas centurias turmasque tradere, donum victori et sibi in posterum gratiam, certabant. Per eos cognitum est Interamnam proximis campis praesidio quadringentorum equitum teneri. Missus extemplo Varus cum expedita manu paucos repugnantium interfecit; plures abiectis armis veniam petivere. Quidam in castra refugi cuncta formidine implebant, augendo rumoribus virtutem copiasque hostium, quo amissi praesidii dedecus lenirent. Nec ulla apud Vitellianos flagitii poena, et praemiis defectorum versa fides, ac reliquum perfidiae certamen. Crebra transfugia tribunorum centurionumque: nam gregarius miles induruerat pro Vitellio, donec Priscus et Alfenus desertis castris ad Vitellium regressi pudore proditionis cunctos exolverent.

Isdem diebus Fabius Valens Vrbini in custodia inter- 62
ficitur. Caput eius Vitellianis cohortibus ostentatum, nequam ultra spem foverent: nam pervasisse in Germanias Valentem et veteres illic novosque exercitus ciere credebant. Visa caede in desperationem versi. Et Flavianus exercitus immane

3 ctionē (*sic*) antoniūs *pr* 6 perfici *L*: ꝑfici 6 misen|sē 7 cāpaniae *G*: capiniae 10 ne *G*: nec 11 maiora *G*: maIor 15 nutabant *G*: nuntiabant 22 augendo|4 oribus 24 pęna 25 uersa *Freinsheim*: uba 26 transfugi atribunorum 31 nequā

quantum aucto animo exitium Valentis ut finem belli accepit. Natus erat Valens Anagniae equestri familia. Procax moribus neque absurdus ingenio famam urbanitatis per lasciviam petere; et ludicro Iuvenalium sub Nerone velut ex necessitate, mox sponte mimos actitavit, scite magis quam probe. Legatus legionis et fovit Verginium et infamavit. Fonteium Capitonem corruptum, seu quia corrumpere nequiverat, interfecit. Galbae proditor, Vitellio fidus et aliorum perfidia inlustratus.

63 Abrupta undique spe Vitellianus miles transiturus in partes, id quoque non sine decore, sed sub signis vexillisque, in subiectos Narniae campos descendere. Flavianus exercitus, ut ad proelium intentus ornatusque, densis circa viam ordinibus adstiterat. Accepti in medium Vitelliani, et circumdatos Primus Antonius clementer adloquitur: pars Narniae, pars Interamnae subsistere iussi. Relictae simul e victricibus legiones, neque quiescentibus graves et adversus contumaciam validae. Non omisere per eos dies Primus ac Varus crebris nuntiis salutem et pecuniam et secreta Campaniae offerre Vitellio, si positis armis seque ac liberos suos Vespasiano permisisset. In eundem modum et Mucianus composuit epistulas; quibus plerumque fidere Vitellius, ac de numero servorum, electione litorum loqui. Tanta torpedo invaserat animum, ut, si principem eum fuisse ceteri non meminissent, ipse oblivisceretur.

64 At primores civitatis Flavium Sabinum, praefectum urbis, secretis sermonibus incitabant, victoriae famaeque partem capesseret: esse illi proprium militem cohortium urbanarum, nec defuturas vigilum cohortes, servitia ipsorum, fortunam partium, et omnia prona victoribus: ne Antonio Varoque de gloria concederet. Paucas Vitellio cohortes et maestis undique nuntiis trepidas; populi mobilem animum et, si ducem se praebuisset, easdem illas adulationes pro Vespasiano fore; ipsum Vitellium ne prosperis quidem parem, adeo ruentibus

1 aucto animo *Haase*: animo (animo auctus *Acidalius*) 4 *petere; et: peteret (petere *s*) Iuuenalium *L*: Iuuenū 14 adstiterat *G*: adsisterat 16 subsistere *G*: substitere 31 mestis

debilitatum. Gratiam patrati belli penes eum qui urbem occupasset: id Sabino convenire, ut imperium fratri reservaret, id Vespasiano, ut ceteri post Sabinum haberentur. Haudqua- 65
quam erecto animo eas voces accipiebat, invalidus senecta. Erantque qui occultis suspitionibus incesserent, tamquam invidia et aemulatione fortunam fratris moraretur. Namque Flavius Sabinus, aetate prior, privatis utriusque rebus auctoritate pecuniaque Vespasianum anteibat, et credebatur adfectam eius fidem praeiuvisse domo agrisque pignori acceptis; unde, quamquam manente in speciem concordia, offensarum operta metuebantur. Melior interpretatio, mitem virum abhorrere a sanguine et caedibus, eoque crebris cum Vitellio sermonibus de pace ponendisque per conditionem armis agitare. Saepe domi congressi, postremo in aede Apollinis, ut fama fuit, pepigere. Verba vocesque duos testes habebant, Cluvium Rufum et Silium Italicum: vultus procul visentibus notabantur, Vitellii proiectus et degener, Sabinus non insultans et miseranti propior. Quod si tam facile suorum mentes 66
flexisset Vitellius quam ipse cesserat, incruentam urbem Vespasiani exercitus intrasset. Ceterum ut quisque Vitellio fidus, ita pacem et conditiones abnuebant, discrimen ac dedecus ostentantes, et fidem in libidine victoris. Nec tantam Vespasiano superbiam, ut privatum Vitellium pateretur; ne victos quidem laturos: ita periculum ex misericordia. Ipsum sane senem et prosperis adversisque satiatum: sed quod nomen, quem statum filio eius Germanico fore? Nunc pecuniam et familiam et beatos Campaniae sinus promitti: set ubi imperium Vespasianus invaserit, non ipsi, non amicis eius, non denique exercitibus securitatem nisi extincto aemulatu redi-

2 reseraret *Iacob* 3 Haud quaquam 4 senecta] *Mediceus ab hoc nomine in medio versu et columna transilit ad* seu ferebatur lecti|cula paruulus filius (*c.* 67) — in Capitolium acciuit (*c.* 69), *unde redit ad haec* erant qui: *luxata reposuit Puteolanus* 5 *erantque qui : erant qui (sed erant qui *Haase*) suspicionibus inuidia *G* : inuidię 6 Nam quę (*sic*) 13 ponensisq; condicionē, *mox* c̄diciones 16 uoltus 18 propior *G* : ꝓ prior 24 laturos *G* : lauros 25 sanē senem 27 promittis.et 29 exticto (n *vetere m. superscriptum*) aemulatu redituram *L* : aemulatore dituram (aemulatore redituram *G*)

turam. Fabium illis Valentem, captivum et casibus dubiis reservatum, praegravem fuisse: nedum Primus ac Fuscus et specimen partium Mucianus ullam in Vitellium nisi occidendi licentiam habeant. Non a Caesare Pompeium, non ab Augusto Antonium incolumes relictos, nisi forte Vespasianus altiores spiritus gerat, Vitellii cliens, cum Vitellius collega Claudio foret. Quin, ut censuram patris et tres consulatus, ut tot egregiae domus honores deceret, desperatione saltem in audaciam accingeretur. Perstare militem, superesse studia populi; denique nihil atrocius eventurum quam in quod sponte ruant. Moriendum victis, moriendum deditis: id solum referre, novissimum spiritum per ludibrium et contumelias ef-
67 fundant an per virtutem. Surdae ad fortia consilia Vitellio aures: obruebatur animus miseratione curaque, ne pertinacibus armis minus placabilem victorem relinqueret coniugi ac liberis. Erat illi et fessa aetate parens; quae tamen paucis ante diebus opportuna morte excidium domus praevenit, nihil principatu filii adsecuta nisi luctum et bonam famam. Quintumdecimum kalendas Ianuarias audita defectione legionis cohortiumque, quae se Narniae dediderant, pullo amictu Palatio degreditur, maesta circum familia; simul ferebatur lecticula parvulus filius, velut in funebrem pompam: voces
68 populi blandae et intempestivae, miles minaci silentio. Nec quisquam adeo rerum humanarum inmemor, quem non commoveret illa facies, Romanum principem et generis humani paulo ante dominum, relicta fortunae suae sede, per populum, per urbem exire de imperio. Nihil tale viderant, nihil audierant. Repentina vis dictatorem Caesarem oppresserat, occultae Gaium insidiae; nox et ignotum rus fugam Neronis

1 captiuum et casibus dubiis *G* : captiū et captis dieb; 2 ne dū 5 altiores *G* : altiore 6 uitelli 7 et tres *Acidalius* : ut res (ut tres ꝯ) totę gregię 8 deceret *G* : degeret Inaudacia (in audatiā *G*) 14 obruebatur *G* : obrueban|tur (*iungit* aures obruebantur) 15 coniugi *G* : čiugis 18 filia *quintumdecimum : xu 19 Kl. Ian̄ legionis *G* : legiones (*fortasse* legionis classicae; *cf. c.* 55) 20 cohortiumque, quae ꝯ : cohortiū quęq; 21 familia *G* : famia (*pro* famꝛa) simul *Puteolanus* : seu (*ortum hoc ex* sīul) 25 Romanum] romū (ma *ascripsit recens m.*)

absconderant; Piso et Galba tamquam in acie cecidere. In sua contione Vitellius, inter suos milites, prospectantibus etiam feminis, *pro Rostris* pauca et praesenti maestitiae congruentia locutus — cedere se pacis et rei publicae causa, retinerent tantum memoriam sui, fratremque et coniugem et innoxiam liberorum aetatem miserarentur —, simul filium protendens, modo singulis modo universis commendans, postremo fletu praepediente adsistenti consuli (Caecilius Simplex erat) exsolutum a latere pugionem, velut ius necis vitaeque civium, reddebat. Aspernante consule, reclamantibus qui in contione adstiterant, ut in aede Concordiae posituras insignia imperii domumque fratris petiturus discessit. Maior hic clamor obsistentium penatibus privatis, in Palatium vocantium. Interclusum aliud iter, idque solum quo in sacram viam pergeret patebat: tum consilii inops in Palatium redit. Praevenerat rumor eiurari ab eo imperium, scripseratque Flavius Sabinus cohortium tribunis ut militem cohiberent. Igitur 69
tamquam omnis res publica in Vespasiani sinum concessisset, primores senatus et plerique equestris ordinis omnisque miles urbanus et vigiles domum Flavii Sabini complevere. Illuc de studiis vulgi et minis Germanicarum cohortium adfertur. Longius iam progressus erat, quam ut regredi posset; et suo quisque metu, ne disiectos eoque minus validos Vitelliani consectarentur, cunctantem in arma inpellebant. Sed quod in eiusmodi rebus accidit, consilium ab omnibus datum est, periculum pauci sumpsere. Circa lacum Fundanii descendentibus qui Sabinum comitabantur, armatis occurrunt promptissimi Vitellianorum. Modicum ibi proelium inproviso tumultu, sed prosperum Vitellianis fuit. Sabinus re trepida, quodque tutissimum e praesentibus, arcem Capitolii insedit mixto milite et quibusdam senatorum equitumque, quorum nomina tradere

2 milites. milites 3 *pro Rostris pauca : pauca mestitiae 5 suâ (i *retere m.*) 12 hinc *Haase* 14 Int̄ clausum (inter clusum *G*) quo ς : quod sacram uiam *ed. princeps* : sacra uiā 15 redit (*sic*) : *vulgo* rediit 16 eiurari *G* : Iurari 18 uespasianis *concessisset : cecississet (*hoc pro* cōcessisset; cessisset *G*, cecidisset ς) 21 uolgi 26 paucis *pr* *Fundanii : fundani 29 *quodque : quoq; *pr*, quod *corr* 31 nomina *G* : nomina aut

haud promptum est, quoniam victore Vespasiano multi id meritum erga partes simulavere. Subierunt obsidium etiam feminae, inter quas maxime insignis Verulana Gratilla, neque liberos neque propinquos sed bellum secuta. Vitellianus miles socordi custodia clausos circumdedit; eoque concubia nocte suos liberos Sabinus et Domitianum, fratris filium, in Capitolium accivit, misso per neglecta ad Flavianos duces nuntio, qui circumsideri ipsos et, ni subveniretur, artas res nuntiaret. Noctem adeo quietam egit, ut digredi sine noxa potuerit: quippe miles Vitellii adversus pericula ferox, laboribus et vigiliis parum intentus erat, et hibernus imber repente
70 fusus oculos auresque impediebat. Luce prima Sabinus, antequam in vicem hostilia coeptarent, Cornelium Martialem, e primipilaribus, ad Vitellium misit cum mandatis et questu quod pacta turbarentur: simulationem prorsus et imaginem deponendi imperii fuisse ad decipiendos tot illustres viros. Cur enim e Rostris fratris domum, inminentem foro et inritandis hominum oculis, quam Aventinum et penates uxoris petisset? Ita privato et omnem principatus speciem vitanti convenisse. Contra Vitellium in Palatium, in ipsam imperii arcem regressum; inde armatum agmen emissum, stratam innocentium caedibus celeberrimam urbis partem, ne Capitolio quidem abstineri. Togatum nempe se et unum e senatoribus, dum inter Vespasianum ac Vitellium proeliis legionum, captivitatibus urbium, deditionibus cohortium iudicatur; iam Hispaniis Galliisque et Britannia desciscentibus, fratrem Vespasiani mansisse in fide, donec ultro ad conditiones vocaretur. Pacem et concordiam victis utilia, victoribus tantum pulchra esse. Si conventionis poeniteat, non se, quem perfidia deceperit, ferro peteret, non filium Vespasiani vix puberem (quantum occisis uno sene et uno iuvene profici?): iret obviam legionibus et de summa rerum illic certaret: cetera

2 subier̃ 3 maximę Gratilla *Ernesti* : gra|tilia (*cf. proxime c.* 71 puluilius *pro* Puluillus) 8 ipsos et, ni *Pichena* : ipso se Ini 11 In ber 13 cęptarent 14 quęstu 15 simulationē *G* : simulatione 20 conuenisse *G* : contēnisse 25 captiuitatibus *G* : captiuitab: 26 *Galliisque : germanisque (germaniis que *G; cf. c.* 44) 27 condiciones 29 poeniteat : paeniteat se quē *G* : seque 32 cętera

secundum eventum proelii cessura. Trepidus ad haec Vitellius pauca purgandi sui causa respondit, culpam in militem conferens, cuius nimio ardori inparem esse modestiam suam; et monuit Martialem, ut per secretam aedium partem occulte abiret, ne a militibus internuntius invisae pacis interficeretur: ipse neque iubendi neque vetandi potens, non iam imperator sed tantum belli causa erat. Vixdum regresso in Capitolium 71
Martiale furens miles aderat, nullo duce, sibi quisque auctor. Cito agmine forum et inminentia foro templa praetervecti erigunt aciem per adversum collem usque ad primas Capitolinae arcis fores. Erant antiquitus porticus in latere clivi dextrae subeuntibus, in quarum tectum egressi *obsessi* saxis tegulisque Vitellianos obruebant. Neque illis manus nisi gladiis armatae; et arcessere tormenta aut missilia tela longum videbatur: faces in prominentem porticum iecere. Et sequebantur ignem ambustasque Capitolii fores penetrassent, ni Sabinus revulsas undique statuas, decora maiorum, in ipso aditu vice muri obiecisset. Tum diversos Capitolii aditus invadunt iuxta lucum asyli et qua Tarpeia rupes centum gradibus aditur. Inprovisa utraque vis; propior atque acrior per asylum ingruebat. Nec sisti poterant scandentes per coniuncta aedificia, quae, ut in multa pace, in altum edita solum Capitolii aequabant. Hinc ambigitur, ignem tectis obpugnatores iniecerint, an obsessi, quae crebrior fama, inde nitentes ac progressos depulerint. Inde lapsus ignis in porticus adpositas aedibus; mox sustinentes fastigium aquilae vetere ligno traxerunt flammam alueruntque. Sic Capitolium clausis foribus indefensum et indireptum conflagravit. Id facinus post con- 72
ditam urbem luctuosissimum foedissimumque rei publicae populi Romani accidit, nullo externo hoste, propitiis, si per mores nostros liceret, deis, sedem Iovis Optimi Maximi au-

3 nimio ardori *Puteolanus* : nimius ardor. (nimius ardor: ei *Doederlein*) 4 secretā mędium *pr* 5 ne militibus (ne amilitibus *G*) 6 Iuuendi 10 collem *G* : colle 12 *egressi obsessi : egressi (*cf. *v.* 24 *et c.* 73) 17 reuolsas 19 tarpei a 22 solum *G* : sonū 23 *hinc : hic 24 *fama, inde : fama⁷ (fama est, quo ς, fama, ita *Ruperti*, fama *Doederlein*) 25 de pulerint adposita sędib; 26 uetere *G* : ūtere (= *vertere*) 26 traxer̃ — aluerq̃; 29 fędissimumque 31 OPTIMI *G* : optimū

spicato a maioribus, pignus imperii, conditam, quam non Porsenna dedita urbe neque Galli capta temerare potuissent, furore principum excindi. Arserat et ante Capitolium civili bello, sed fraude privata: nunc palam obsessum, palam incensum, quibus armorum causis, quo tantae cladis pretio? Stetit *prospere, dum* pro patria bellavimus. Voverat Tarquinius Priscus rex bello Sabino, ieceratque fundamenta spe magis futurae magnitudinis quam quo modicae adhuc populi Romani res sufficerent. Mox Servius Tullius sociorum studio, dein Tarquinius Superbus capta Suessa Pometia hostium spoliis extruxere. Sed gloria *patrati* operis libertati reservata: pulsis regibus Horatius Pulvillus iterum consul dedicavit, ea magnificentia quam inmensae postea populi Romani opes ornarent potius quam augerent. Isdem rursus vestigiis situm est, postquam interiecto quadringentorum quindecim annorum spatio L. Scipione C. Norbano consulibus flagraverat. Curam victor Sulla suscepit, neque tamen dedicavit: hoc solum felicitati eius negatum. Lutatii Catuli nomen inter tanta Caesarum opera usque ad Vitellium mansit. Ea tunc aedes cre-
73 mabatur. Sed plus pavoris obsessis quam obsessoribus intulit. Quippe Vitellianus miles neque astu neque constantia inter dubia indigebat: ex diverso trepidi milites, dux segnis et velut captus animi non lingua, non auribus competere; neque alienis consiliis regi, neque sua expedire; huc illuc clamoribus hostium circumagi; quae iusserat, vetare, quae vetuerat, iubere; mox, quod in perditis rebus accidit, omnes praecipere, nemo exequi: postremo abiectis armis fugam et fallendi artes circumspectabant. Inrumpunt Vitelliani et cuncta sanguine ferro flammisque miscent. Pauci militarium virorum, inter quos maxime insignes Cornelius Martialis, Aemilius Pacensis, Casperius Niger, Didius Scaeva, pugnam ausi obtruncantur. Flavium Sabinum, inermem neque fugam coeptantem, circumsistunt, et Quintium Atticum consulem, umbra

5 *pretio? Stetit prospere, dum pro patria : p̄tio. Stetit ꝑ|patria 8 quan 10 de In 11 *patrati : *om* (*cf. c.* 64: gratiam patrati belli, *etiam* 2 66, 14 7, *H.* 4 81) 12 puluillus *G* : pululius consul *G* : c̄sule 15 quindecim] XXV. *L* 16 norbana cōs 18 tanta ꝯ : ta (tot *Pichena*) 26 Iuuere 30 insignes *G* : Insignis 32 cęptantem

honoris et suamet vanitate monstratum, quod edicta in populum pro Vespasiano magnifica, probrosa adversus Vitellium iecerat. Ceteri per varios casus elapsi, quidam servili habitu, alii fide clientium contecti et inter sarcinas abditi. Fuere qui excepto Vitellianorum signo, quo inter se noscebantur, ultro rogitantes respondentesve audaciam pro latebra haberent.

74 Domitianus prima inruptione apud aedituum occultatus, sollertia liberti lineo amictu turbae sacricolarum inmixtus ignoratusque, apud Cornelium Primum, paternum clientem, iuxta Velabrum delituit. Ac potiente rerum patre disiecto aeditui contubernio, modicum sacellum Iovi Conservatori aramque posuit casus in suos marmore expressam; mox imperium adeptus Iovi Custodi templum ingens seque in sinu dei sacravit. Sabinus et Atticus onerati catenis et ad Vitellium ducti nequaquam infesto sermone vultuque excipiuntur, frementibus qui ius caedis et praemia navatae operae petebant. Clamore e proximis orto sordida pars plebis supplicium Sabini exposcit, minas adulationesque miscet. Stantem pro gradibus Palatii Vitellium et preces parantem pervicere ut absisteret: tum confossum conlaceratumque et absciso capite truncum corpus Sabini in Gemonias trahunt.

75 Hic exitus viri haud sane spernendi. Quinque et triginta *annis* stipendia in re publica fecerat, domi militiaeque clarus. Innocentiam iustitiamque eius non argueres; sermonis nimius erat: id unum septem annis quibus Moesiam, duodecim quibus praefecturam urbis obtinuit, calumniatus est rumor. In fine vitae alii segnem, multi moderatum et civium sanguinis parcum credidere. Quod inter omnis constiterit, ante principatum Vespasiani decus domus penes Sabinum erat. Caedem eius laetam fuisse Muciano accepimus. Ferebant plerique etiam paci consultum dirempta aemulatione inter duos, quorum alter se fratrem imperatoris, alter consortem imperii

4 fidē *pr* 13 *in suos : suos in 16 uoltuque 17 enouatae (enauatae ς, nauate *G*) 18 e *Baiter : om* (a *G*) 20 parentē *pr* 21 laceratumque *Nipperdey*) 24 *annis : *om* 26 duodecim] *immo* octo *vel* nouem; *cf.* 14 42, *H.* 1 46 *et* 90 30 pęnes 32 dirempta *G* : direpta

cogitaret. Sed Vitellius consulis supplicium poscenti populo restitit, placatus ac velut vicem reddens, quod interrogantibus quis Capitolium incendisset se reum Atticus obtulerat, eaque confessione, sive aptum tempori mendacium fuit, invidiam crimenque agnovisse et a partibus Vitellii amolitus videbatur.

76 Isdem diebus L. Vitellius positis apud Feroniam castris excidio Tarracinae imminebat, clausis illic gladiatoribus remigibusque, qui non egredi moenia neque periculum in aperto audebant. Praeerat, ut supra memoravimus, Iulianus gladiatoribus, Apollinaris remigibus, lascivia socordiaque gladiatorum magis quam ducum similes. Non vigilias agere, non intuta moenium firmare: noctu diuque fluxi et amoena litorum personantes, in ministerium luxus dispersis militibus, de bello tantum inter convivia loquebantur. Paucos ante dies discesserat Apinius Tiro, donisque ac pecuniis acerbe per municipia conquirendis plus invidiae quam virium partibus addebat.

77 Interim ad L. Vitellium servus Verginii Capitonis perfugit pollicitusque *se*, si praesidium acciperet, vacuam arcem traditurum, multa nocte cohortes expeditas summis montium iugis super caput hostium sistit. Inde miles ad caedem magis quam ad pugnam decurrit. Sternunt inermos aut arma capientes, et quosdam somno excitos, cum tenebris pavore, sonitu tubarum, clamore hostili turbarentur. Pauci gladiatorum resistentes neque inulti cecidere: ceteri ad naves ruebant, ubi cuncta pari formidine inplicabantur, permixtis paganis, quos nullo discrimine Vitelliani trucidabant. Sex Liburnicae inter primum tumultum evasere, in quis praefectus classis Apollinaris; reliquae in litore captae, aut nimio ruentium onere pressas mare hausit. Iulianus ad L. Vitellium perductus et verberibus foedatus in ore eius iugulatur. Fuere qui uxorem L. Vitellii, Triariam, incesserent, tamquam

4 sibe *pr* tempori *G* : temporis 8 terracinae *hoc loco* 11 apollinaris *G* : pollinaris 13 diuque *Wurm* : dieque (*cf.* 15 12, *H.* 2 5) 18 Verginii *Puteolanus* : ūgilii 19 *se, si : si traditurum *Bekker* : tradi futurū (furtim traditurum ꝫ) 29 reliquas (relique *G*) aut *G* : ut 31 fędatus 32 Triariam *fortasse glossa est; cf. H.* 2 63 *et* 64 incesserent *Ernesti* : Incesserant

gladio militari cincta inter luctum cladesque expugnatae Tarracinae superbe saeveque egisset. Ipse lauream gestae prospere rei ad fratrem misit, percunctatus statim regredi se an perdomandae Campaniae insistere iuberet. Quod salutare non modo partibus Vespasiani sed rei publicae fuit. Nam si recens victoria miles et super insitam pervicaciam secundis ferox Romam contendisset, haud parva mole certatum nec sine exitio urbis foret. Quippe L. Vitellio quamvis infami inerat industria; nec virtutibus, ut boni, sed quomodo pessimus quisque, vitiis valebat.

Dum haec in partibus Vitellii geruntur, digressus Narnia 78
Vespasiani exercitus festos Saturni dies Ocriculi per otium agitabat. Causa tam pravae morae, ut Mucianum opperirentur. Nec defuere qui Antonium suspitionibus arguerent tamquam dolo cunctantem post secretas Vitellii epistulas, quibus consulatum et nubilem filiam et dotales opes pretium proditionis offerebat. Alii ficta haec et in gratiam Muciani composita; quidam omnium id ducum consilium fuisse, ostentare potius urbi bellum quam inferre, quando validissimae cohortes a Vitellio descivissent, et abscisis omnibus praesidiis cessurus imperio videbatur: sed cuncta festinatione, deinde ignavia Sabini corrupta, qui sumptis temere armis munitissimam Capitolii arcem et ne magnis quidem exercitibus expugnabilem adversus tris cohortes tueri nequivisset. Haud facile quis uni adsignaverit culpam, quae omnium fuit. Nam et Mucianus ambiguis epistulis victores morabatur, et Antonius praepostero obsequio, vel dum regereret invidiam, crimen meruit; ceterique duces dum peractum bellum putant, finem eius insignivere. Ne Petilius quidem Cerialis, cum mille equitibus praemissus, ut transversis itineribus per agrum Sabinum Salaria via urbem introiret, satis maturaverat, donec obsessi Capitolii fama cunctos simul exciret. Antonius per Flaminiam 79
viam ad Saxa rubra multo iam noctis serum auxilium venit. Illic interfectum Sabinum, conflagrasse Capitolium, tremere

1 cinctā tracinae (a *vetere m.*) 7 paruā 9 boni *G*: bonis 12 festos *G*: festo 14 suspicionibus 17 gratia 27 *regereret: regeret (regerit *Pichena*) 32 *Flaminiam uiam: flaminiam

urbem, maesta omnia accepit; plebem quoque et servitia pro Vitellio armari nuntiabatur. Et Petilio Ceriali equestre proelium adversum fuerat: namque incautum et tamquam ad victos ruentem Vitelliani, interiectus equiti pedes, excepere. Pugnatum haud procul urbe inter aedificia hortosque et anfractus viarum, quae gnara Vitellianis, inconperta hostibus metum fecerant. Neque omnis eques concors, adiunctis quibusdam qui nuper aput Narniam dediti fortunam partium speculabantur. Capitur praefectus alae Iulius Flavianus; ceteri foeda fuga consternantur, non ultra Fidenas secutis victori-
80 bus. Eo successu studia populi aucta; vulgus urbanum arma cepit. Paucis scuta militaria, plures raptis quod cuique obvium telis signum pugnae exposcunt. Agit grates Vitellius et ad tuendam urbem prorumpere iubet. Mox vocato senatu deliguntur legati ad exercitus, ut praetexto rei publicae concordiam pacemque suaderent. Varia legatorum sors fuit. Qui Petilio Ceriali occurrerant, extremum discrimen adiere, aspernante milite conditiones pacis. Vulneratur praetor Arulenus Rusticus: auxit invidiam super violatum legati praetorisque nomen propria dignatio viri. Pulsantur comites, occiditur proximus lictor, dimovere turbam ausus: et ni dato a duce praesidio defensi forent, sacrum etiam inter exteras gentes legatorum ius ante ipsa patriae moenia civilis rabies usque in exitium temerasset. Aequioribus animis accepti sunt qui ad Antonium venerant, non quia modestior miles,
81 sed duci plus auctoritatis. Miscuerat se legatis Musonius Rufus, equestris ordinis, studium philosophiae et placita Stoicorum aemulatus; coeptabatque permixtus manipulis, bona pacis ac belli discrimina disserens, armatos monere. Id plerisque ludibrio, pluribus taedio: nec deerant qui propellerent proculcarentque, ni admonitu modestissimi cuiusque et aliis minitantibus omisisset intempestivam sapientiam. Obviae

2 ꝗreliū (*sic; debuit* ꝗelium; *itaque nunc veteris scripturae vestigia sub vitii tutela permanserunt*) 9 Iulius ꝯ : tulius (Tullius *vulgo*) 10 fęda 11 uolgus 12 raptis *G* : rapti 13 uitelliū 14 uocatis (o *vetere m.*) 18 c̃diones uolneratur arulenius 20 pulsantur *Kiessling* : palantur 22 inter ꝯ : In 28 cęptabatq;

fuere et virgines Vestales cum epistulis Vitellii ad Antonium scriptis: eximi supremo certamini unum diem postulabat: si moram interiecissent, facilius omnia conventura. Virgines cum honore dimissae; Vitellio rescriptum Sabini caede et incendio Capitolii dirempta belli commercia. Temptavit tamen An- 82
tonius vocatas ad contionem legiones mitigare, ut castris iuxta pontem Mulvium positis postera die urbem ingrederentur. Ratio cunctandi, ne asperatus proelio miles non populo, non senatui, ne templis quidem ac delubris deorum consuleret; sed omnem prolationem ut inimicam victoriae suspectabant; simul fulgentia per colles vexilla, quamquam inbellis populus sequeretur, speciem hostilis exercitus fecerant. Tripertito agmine, pars, ut adstiterat, Flaminia via, pars iuxta ripam Tiberis incessit, tertium agmen per Salariam Collinae portae propinquabat. Plebs invectis equitibus fusa; miles Vitellianus trinis et ipse praesidiis occurrit. Proelia ante urbem multa et varia, sed Flavianis consilio ducum praestantibus saepius prospera. Ii tantum conflictati sunt, qui in partem sinistram urbis ad Sallustianos hortos per angusta et lubrica viarum flexerant. Superstantes maceriis hortorum Vitelliani ad serum usque diem saxis pilisque subeuntes arcebant, donec ab equitibus, qui porta Collina inruperant, circumvenirentur. Concurrere et in campo Martio infestae acies. Pro Flavianis fortuna et parta totiens victoria: Vitelliani desperatione sola ruebant; et quamquam pulsi, rursus in urbe congregabantur. Aderat pugnantibus spectator populus, utque 83
in ludicro certamine, hos, rursus illos clamore et plausu fovebat. Quotiens pars altera inclinasset, abditos in tabernis aut si quam in domum perfugerant, erui iugularique expostulantes parte maiore praedae potiebantur: nam milite ad sanguinem et caedes obverso spolia in vulgus cedebant. Saeva ac deformis urbe tota facies: alibi proelia et vulnera, alibi

2 certamini *G* : certamine 3*Intlecissecissent (interiecissent ς; *fortasse* interiecisset) 5 dirempta *G* : direpta (*cf. ad c.* 75) 7 mului (miluiū *G; cf. ad H.* 2 89) postera diē (*sic; notam induxit recens m.*) 13 asisterat (adstiterat *Puteolanus*) 16 occurit 27 hos] *in margine recenti m.* hos modo, *ut* ς 31 uolgus 32 facies *G* : Iacies alibi ς : alii (*sic*) uolnera

balineae popinaeque; simul cruor et strues corporum, iuxta scorta et scortis similes; quantum in luxurioso otio libidinum, quidquid in acerbissima captivitate scelerum, prorsus ut eandem civitatem et furere crederes et lascivire. Conflixerant *et* ante armati exercitus in urbe, bis Lucio Sulla, semel *L.* Cinna victoribus, nec tunc minus crudelitatis: nunc inhumana securitas et ne minimo quidem temporis voluptates intermissae: velut festis diebus id quoque gaudium accederet, exultabant fruebantur, nulla partium cura, malis publicis laeti.

84 Plurimum molis in obpugnatione castrorum fuit, quae acerrimus quisque ut novissimam spem retinebant. Eo intentius victores, praecipuo veterum cohortium studio, cuncta validissimarum urbium excidiis reperta simul admovent, testudinem tormenta, aggerem facesque, quidquid tot proeliis laboris ac periculi hausissent, opere illo consummari clamitantes. Vrbem senatui ac populo Romano, templa dis reddita: proprium esse militis decus in castris: illam patriam, illos penates. Ni statim recipiantur, noctem in armis agendam. Contra Vitelliani, quamquam numero fatoque dispares, inquietare victoriam, morari pacem, domos arasque cruore foedare [suprema victis solacia amplectebantur]. Multi semianimes super turres et propugnacula moenium expiravere: convulsis portis reliquus globus obtulit se victoribus; et cecidere omnes contrariis vulneribus, versi in hostem: ea cura etiam morientibus decori exitus fuit.

Vitellius capta urbe per aversam Palatii partem [Aventinum] in domum uxoris sellula defertur, ut, si diem latebris vitavisset, Tarracinam ad cohortes fratremque perfugeret. Dein mobilitate ingenii et, quae natura pavoris est, cum omnia metuenti praesentia maxime displicerent, in Palatium

1 cruoret et 5 *et ante : ante lucio silla 6 *L. Cinna : cinna 7 *potius* quidem omto (= *quidem momento*) temporis 15 *aggerem : aggeres 16 periculis *pr* consumari 18 penates 21 fedare *[suprema—amplectebantur] 23 conuolsis 25 uolnerib; 27 *[Aventinum] 28 *latebris : latebras (latebra ς: *cf. H.* 3 11 obscuritas latebrarum quibus occulebatur; *adde* 1 23 et 38, 2 45, 11 32, *H.* 1 68, 4 67, *A.* 16; *recte paulo post* pudenda latebra)

regreditur, vastum desertumque, dilapsis etiam infimis servitiorum aut occursum eius declinantibus. Terret solitudo et tacentes loci; temptat clausa, inhorrescit vacuis; fessusque misero errore et pudenda latebra semet occultans ab Iulio Placido, tribuno cohortis *praetoriae*, protrahitur. Vinctae pone tergum manus; laniata veste, foedum spectaculum, ducebatur, multis increpantibus, nullo inlacrimante: deformitas exitus misericordiam abstulerat. Obvius e Germanicis militibus Vitellium infesto ictu per iram, vel quo maturius ludibrio eximeret, an tribunum adpetierit, in incerto fuit: aurem tribuni amputavit ac statim confossus est. Vitellium infestis 85 mucronibus coactum modo erigere os et offerre contumeliis, nunc cadentes statuas suas, plerumque Rostra aut Galbae occisi locum contueri, postremo ad Gemonias, ubi corpus Flavii Sabini iacuerat, propulere. Vna vox non degeneris animi excepta, cum tribuno insultanti se tamen imperatorem eius fuisse respondit; ac deinde ingestis vulneribus concidit. Et vulgus eadem pravitate insectabatur interfectum, qua foverat viventem. [Patrem illi Nuceria.] Septimum et quin- 86 quagesimum aetatis annum explebat. Consulatum sacerdotia, nomen locumque inter primores nulla sua industria, sed cuncta patris claritudine adeptus. Principatum ei detulere qui ipsum non noverant: studia exercitus raro cuiquam bonis artibus quaesita perinde adfuere quam huic per ignaviam. Inerat tamen simplicitas ac liberalitas, quae, ni adsit modus, in exitium vertuntur. Amicitias dum magnitudine munerum, non constantia morum continere *posse se* putat, meruit magis quam habuit. Rei publicae haud dubie intererat Vitellium vinci, sed imputare perfidiam non possunt qui Vitellium Vespasiano prodidere, cum a Galba descivissent.

4 latebras *pr* 5 *praetoriae, protrahitur : protraitur 6 poene tergum fedum 8 abstulerant *pr* 17 uolneribus — uolugs 18 prauitatē *pr* 19 *[patrem illi Nuceria] : patrē illi luceriā (patria illi Luceria *prava interpolatione Oberlin; cf. Sueton. Vit.* 1) 22 ei detulere *R* : ejdē tulere 26 magnitudinē *pr* 27 contineri *Acidalius* *posse se putat : putat 29 uinci *G* : uicinis

Praecipiti in occasum die ob pavorem magistratuum senatorumque, qui dilapsi ex urbe aut per domos clientium semet occultabant, vocari senatus non potuit. Domitianum, postquam nihil hostile metuebatur, ad duces partium progressum et Caesarem consalutatum miles frequens, utque erat in armis, in paternos penates deduxit.

1 Precipit (precipiti *G*) 5 Corneli taciti Liber XVIIII explicit Incipit uicesimus. (*rubris litteris ac paulo maioribus* Corneli)

LIBER IIII.

BREVIARIVM. C. 1—11. Initia novi principatus et status urbis. Interfecto Vitellio victores implacabili odio victos Vitellianos consectantur (1). Nomen sedemque Caesaris Domitianus accepit, sed ex paterna fortuna tantum licentiam usurpavit: summa potentiae in Antonio Primo. L. Vitellius se cum suis cohortibus arbitrio victoris permisit, dein interfectus est (2). Capuae domus illustres afflictae legione tertia, hiemandi causa ibi locata. Romae senatus Vespasiano cuncta principibus solita decrevit, tandem laetus et spei certus (3). Duces partium praemiis donati; Capitolium restitui placuit. Per eam occasionem Helvidius Priscus sententiam aliquoties prompsit, idque magnae gloriae et magnae offensae principium; vita eius et studia, et quali fortuna sit usus (4—6). Inter ipsum et Marcellum de mittendis ad principem legatis acre iurgium (7—8). Secutum aliud certamen: nam aerarii curam consul designatus cum principi reservaret, Helvidius arbitrio senatus agendum censuit; alia Helvidii sententia nimis libera (9). Celer accusatus (10). Mucianus urbem ingressus cuncta simul in se traxit. Calpurnius Galerianus occisus, Iulius Priscus, praetoriarum sub Vitellio cohortium praefectus, se ipse interfecit (11).

C. 12—37. Belli Germanici initia et progressus. Eius causae penes Batavos et Iulium Civilem (12—13). Cum iussu Vitellii Batavorum iuventus ad dilectum vocatur, compositae seditionis auctores nomina dare popularibus dissuadent, Civilis primores gentis ad defectionem et arma hortatur (14). Canninefates, partem insulae Batavorum colentes, consilia sociarunt; horum dux Brinno accitis trans Rhenum Frisiis duarum cohortium hiberna irrumpit et excindit, ceterae cohortes in superiorem insulae partem congregantur (15). Iam Civilis Canninefates, Batavos, Frisios adversus Romanos ducit, prospero proelio vincit (16). Germani legatos misere auxilia offerentes Civili; ipse Galliarum societatem arte donisque affectavit (17). Flaccus Hordeonius, superioris Germaniae legatus, primo Civilis conatus per dissimulationem aluit, tum adversus hostem legatum legionis Munium Lupercum cum duabus legionibus misit. Fugati sunt Romani et legiones in castra quibus Veterum nomen se receperunt (18). Isdem diebus Batavorum cohortes iussu Vitellii in urbem pergentes nuntius a Civile Mogontiaci assequitur; spreto Flacco inferiorem Germaniam petivere ut Civili iungerentur, in eoque itinere castris Bonnensibus propinquantes Gallum, primae legionis legatum, fundunt (19—20). Cohortium adventu iusti exercitus ductor Civilis suos in verba Vespasiani adigit, mox hostem palam induit et Vetera expugnare conatur (21—23). Flaccus cognito castrorum obsidio Voculam cum vexillis legionum auxilio mittit, ipse navi secutus Bonnam venit, inde in coloniam Agrippinensium. Odiis militum impar Dillio Voculae permisit summam rerum, cui additus Herennius Gallus. Sed duces seditione militum varie impediti (24—27). Interea Civilem immensis auctibus universa Germania extollit, iamque vastari Vbios Trevirosque, et aliam manum Mosam transire iubet, obsidium legionum Veteribus se defensantium urget (28—30). Haec ante Cremonense proelium in Germania gesta, cuius eventum litterae Antonii Primi docuere. Civilis aperte descivisse a Romanis ausus Alpinium Montanum Trevirum in eadem traxit. Milites eius improviso impetu Voculam aggressi primo vincunt, mox pelluntur. Romanus nova pugna legiones et Vetera obsidione liberavit, sed

Vocula omissis fugientium tergis victoriam corrupit (31—34). Civilis Vetera rursum circumsedit, etiam Geldubam prope sitam cepit, Vocula Novaesium concessit. Miles Romanus equestri proelio haud procul Novaesio superior a Civile vertit iras in duces; Flaccus occiditur, Vocula per tenebras evasit. Adventante Civile legiones fugiendo sibi consuluut, dein secutae Voculam Mogontiacum obsidione Germanorum liberaverunt. Treviri fidi Romanis et hostili in Germanos animo (35—37).

C. 38—53. Res urbis et provinciarum. Vespasianus iterum ac Titus filius consulatum absentes inierunt. Ex Africa et de L. Pisone proconsule falsi rumores. Domitiani praetoris nomen epistulis edictisque praepositum, vis penes Mucianum. Is Antonii potentiam abolet, tertiam legionem in Syriam remittit, partem exercitus in Germaniam ducendam tradit. Restituti Caesare referente honores Galbae. Celer damnatus et Sorani ab ipso eversi manibus satisfactum. Alii delatores in senatu verbis lacessiti, in his Regulus, frater Messalae, a Montano, Marcellus ab Helvidio (38—44). Habita in senatu cognitio ob contumeliam illatam senatori (45). Militaris seditio prope exarsit, quam mitigavit Mucianus; funus censorium Flavio Sabino ductum (46—47). Piso, Africae proconsul, falso diffamatus interficitur (48—50). Vespasianus, dum prosperi undique nuntii concurrunt, adversam de moribus Domitiani famam accepit; Titi pietas deprecantis pro Domitiano. Vrbis inopiae Vespasianus misso frumento succurrit (51—52). Cura restituendi Capitolii in L. Vestinum collata et coepta (53).

C. 54—86. Bellum Germanicum et Gallicum acrius exardescit, sed copiis et ducibus ex Italia missis reprimitur. Audita per Gallias Germaniasque mors Vitellii bellum duplicavit: Civilis enim in populum Romanum aperte ruere, Vitellianae legiones imperatorem Vespasianum nolle; etiam Galli animos sustulere. Interfecto Hordeonio duces Gallorum conspirationem in civitate Vbiorum iniere; temptantur etiam Romanae legiones et nutant. Caeso Vocula vinctisque Gallo et Numisio, legatis legionum, militem Romanum pro imperio Galliarum Iulius Classicus adegit (54—59). Tutor Agrippinenses valida manu circumdatos, quantumque militum in superiore Germania in idem sacramentum impellit. Classicus Vetera ad deditionem invitat. Obsessi missis ad Civilem legatis vitam orantes iuravere, ut praescriptum, pro imperio Galliarum, mox a Germanis obtruncantur. Velaedae, virginis fatidicae, auctoritas (59—61). Legiones sexta decima e Novaesio, prima e castris Bonnensibus in coloniam Trevirorum tendere iussae (62). Agrippinenses magno periculo sapienter se expediunt (63—65). Civilis societate Agrippinensium auctus Belgicae Galliae aliquot populos in fidem accepit (66). Interea Iulius Sabinus et Lingones a Sequanis, fidem erga Romanos retinentibus, victi (67). Muciani missu egregii duces Petilius Cerialis et Annius Gallus datis ad id viribus propere adveniunt, Mucianus ipse cum Domitiano in expeditionem accingitur. Qua fama et suopte ingenio civitates Galliarum ad mitiora inclinant. Tutor ad Bingium fusus (68—70). Cerialis Mogontiacum venit, unde ad Mosellam fluvium profectus Valentinum non procul a colonia Trevirorum victum cepit, Treviros militari alloquio castigat et erigit (71—74). Civilis et Classicus suo milite Cerialem noctu invadunt, castra irrumpunt, sed ducis Romani constantia et fortitudine repelluntur (75—78). Agrippinenses ad fidem erga Romanos reversi cohortem Civilis Tolbiaci dolo necaverunt (79). Romae Mucianus Vitellii filium occidi iubet. Antonius ad Vespasianum proficiscitur (80). Vespasiano in urbe Alexandriae multa miracula eveniunt; per eam occasionem de origine Serapidis (81—84). Domitianus et Mucianus ad bellum profecti antequam Alpibus appropinquarent, prosperos ex Germania nuntios accepere. Muciano satius visum cum Caesare Lugduni subsistere (85). Ibi creditur Domitianus Cerialis fidem temptasse; abs quo elusus studium litterarum et amorem carminum simulavit (86).

Interfecto Vitellio bellum magis desierat quam pax coe- 1
perat. Armati per urbem victores inplacabili odio victos consectabantur: plenae caedibus viae, cruenta fora templaque, passim trucidatis, ut quemque fors obtulerat. Ac mox augescente licentia scrutari ac protrahere abditos; siquem procerum habitu et iuventa conspexerant, obtruncare, nullo militum aut populi discrimine. Quae saevitia recentibus odiis sanguine explebatur, dein verterat in avaritiam. Nihil usquam secretum aut clausum sinebant, Vitellianos occultari simulantes. Initium id perfringendarum domuum vel, si resisteretur, causa caedis; nec deerat egentissimus quisque e plebe et pessimi servitiorum prodere ultro dites dominos: alii ab amicis monstrabantur. Vbique lamenta, conclamationes et fortuna captae urbis, adeo ut Othoniani Vitellianique militis invidiosa antea petulantia desideraretur. Duces partium accendendo civili bello acres, temperandae victoriae inpares: quippe in turbas et discordias pessimo cuique plurima vis, pax et quies bonis artibus indigent. Nomen sedemque 2
Caesaris Domitianus acceperat, nondum ad curas intentus, sed stupris et adulteriis filium principis agebat. Praefectura praetorii penes Arrium Varum, summa potentiae in Primo Antonio. Is pecuniam familiamque e principis domo quasi Cremonensem praedam rapere: ceteri modestia vel ignobilitate ut in bello obscuri, ita praemiorum expertes. Civitas pavida et servitio parata occupari redeuntem Tarracina L. Vitellium cum cohortibus extinguique reliqua belli postulabat: praemissi Ariciam equites, agmen legionum intra Bovillas stetit. Nec cunctatus est Vitellius seque et cohortes arbitrio victoris permittere, et miles infelicia arma haud minus ira quam metu abiecit. Longus deditorum ordo, septus armatis, per urbem incessit, nemo supplici vultu, sed tristes et truces et adversum plausus ac lasciviam insultantis vulgi inmobiles.

1 cęperat 4 fors ę : sors 6 obtruncare *G* : obtruncaret 10 domuũ *G* : domũ 12 pessimis (pessimi *corr G*) 14 fortuna *G* : fortunae 16 accendendo *G* : accendo 17 inter turbas *Wurm* 23 Ignouilitate 25 tarracinã *pr* 26 estinguique 27 ariciam (*sic in loco suberanido*) 31 uoltu, *mox* uolgi 32 plausus *G* : plas;

Paucos erumpere ausos circumiecti oppressere: ceteri in custodiam conditi, nihil quisquam locutus indignum, et quamquam inter adversa, salva virtutis fama. Dein L. Vitellius interficitur, par vitiis fratri, in principatu eius vigilantior, nec perinde prosperis socius quam adversis abstractus.

3 Isdem diebus Lucilius Bassus cum expedito equite ad componendam Campaniam mittitur, discordibus municipiorum animis magis inter semet quam contumacia adversus principem. Viso milite quies et minoribus coloniis inpunitas: Capuae legio tertia hiemandi causa locatur, et domus illustres afflictae, cum contra Tarracinenses nulla ope iuvarentur. Tanto proclivius est iniuriae quam beneficio vicem exsolvere, quia gratia oneri, ultio in quaestu habetur. Solacio fuit servus Verginii Capitonis, quem proditorem Tarracinensium diximus, patibulo adfixus in isdem anulis quos acceptos a *L.* Vitellio gestabat.

At Romae senatus cuncta principibus solita Vespasiano decernit, laetus et spei certus: quippe sumpta per Gallias Hispaniasque civilia arma, motis ad bellum Germanis, mox Illyrico, postquam Aegyptum, Iudaeam Syriamque et omnis provincias exercitusque lustraverant, velut expiato terrarum orbe cepisse finem videbantur; addidere alacritatem Vespasiani litterae tamquam manente bello scriptae. Ea prima specie forma: ceterum ut princeps loquebatur, civilia de se et rei publicae egregia. Nec senatus obsequium deerat: ipsi consulatus cum Tito filio, praetura Domitiano et consulare
4 imperium decernuntur. Miserat et Mucianus epistulas ad senatum, quae materiam sermonibus praebuere. Si privatus esset, cur publice loqueretur? Potuisse eadem paucos post dies loco sententiae dici. Ipsa quoque insectatio in Vitellium sera et sine libertate: id vero erga rem publicam superbum, erga principem contumeliosum, quod in manu sua fuisse imperium donatumque Vespasiano iactabat. Ceterum invidia in

1 oppressere *Faernus*: pressere 4 fratri *Vrsinus*: fratris 14 ūgilii (Virginii *Puteolanus*) 15 *L. Vitellio: uitellio 19 Germaniis *Halm* 24 ceterūm (m *induxit recens m.*) 25 rei publicae *Iac. Gronovius*: RP. (de republica *Muretus pro* et RP.) 26 consularē *pr* 28 senatūs *pr*

occulto, adulatio in aperto erat: multo cum honore verborum Muciano triumphalia de bello civium data, sed in Sarmatas expeditio fingebatur. Adduntur Primo Antonio consularia, Cornelio Fusco et Arrio Varo praetoria insignia. Mox deos respexere; restitui Capitolium placuit. Eaque omnia Valerius Asiaticus, consul designatus, censuit: ceteri vultu manuque, pauci, quibus conspicua dignitas aut ingenium adulatione exercitum, compositis orationibus adsentiebantur. Vbi ad Helvidium Priscum, praetorem designatum, ventum, prompsit sententiam ut .... honorificam in bonum principem. Falsa aberant, et studiis senatus attollebatur. Isque praecipuus illi dies magnae offensae initium et magnae gloriae fuit.

Res poscere videtur, quia iterum in mentionem incidimus viri saepius memorandi, ut vitam studiaque eius, et quali fortuna sit usus, paucis repetam. Helvidius Priscus [regione Italiae Carecinae] e municipio Cluvinorum, patre qui ordinem primi pili duxisset, ingenium inlustre altioribus studiis iuvenis admodum dedit, non, ut plerique, nomine magnifico segne otium *ut* velaret, sed quo firmior adversus fortuita rem publicam capesseret. Doctores sapientiae secutus est, qui sola bona quae honesta, mala tantum quae turpia, potentiam nobilitatem ceteraque extra animum neque bonis neque malis adnumerant. Quaestorius adhuc a Paeto Thrasea gener delectus e moribus soceri nihil aeque ac libertatem hausit, civis senator, maritus gener amicus, cunctis vitae officiis aequabilis, opum contemptor, recti pervicax, constans adversus metus. Erant quibus adpetentior famae videretur, quando etiam *a* sapientibus cupido gloriae novissima exuitur. Ruina soceri in exilium pulsus, ut Galbae principatu rediit,

1 erat̄ 2 ciuium *Walther*: ciuiliū (ciuili ꝫ) 5 respexere *G*: respere 6 uoltu 9 eluidium (h *ectere m.*) 10 *ut .... honorificam (*expleo* hau prosperam sibi, ita) principem. falsa *distinguit Medicens* 13 quia *G*: q̃ (= *quae*; quoniam *Agricola*) 16 [regione Italiae Carecinae] *Eracsti* e *Bezzenberger*: *om* *Cluuinorum: cluuios. *pr*, cluuio *corr* (cluuios. *pro* cluuio2̄, *h. e.* Cluuinorum, *expressum puto*; Cluuiis *Haase et Nipperdey*; *cf. Licii* 9 31) patrē *pr* 18 nomine] ut nomine *G*, quo nomine *Iacob* 19 *ut uelaret: uelaret 20 sapientie *G*: sapientiū 28 *a: *om*

Marcellum Eprium, delatorem Thraseae, accusare adgreditur. Ea ultio, incertum maior an iustior, senatum in studia diduxerat: nam si caderet Marcellus, agmen reorum sternebatur. Primo minax certamen et egregiis utriusque orationibus testatum: mox dubia voluntate Galbae, multis senatorum deprecantibus, omisit Priscus, variis, ut sunt hominum ingenia, sermonibus moderationem laudantium aut constantiam requirentium.

Ceterum eo senatus die, quo de imperio Vespasiani censebant, placuerat mitti ad principem legatos. Hinc inter Helvidium et Eprium acre iurgium: Priscus eligi nominatim a magistratibus iuratis, Marcellus urnam postulabat, quae
7 consulis designati sententia fuerat. Sed Marcelli studium proprius rubor excitabat, ne aliis electis posthabitus crederetur. Paulatimque per altercationem ad continuas et infestas orationes provecti sunt, quaerente Helvidio quid ita Marcellus iudicium magistratuum pavesceret: esse illi pecuniam et eloquentiam, quis multos anteiret, ni memoria flagitiorum urgueretur. Sorte et urna mores non discerni: suffragia et existimationem senatus reperta, ut in cuiusque vitam famamque penetrarent. Pertinere ad utilitatem rei publicae, pertinere ad Vespasiani honorem, occurrere illi quos innocentissimos senatus habeat, qui honestis sermonibus aures imperatoris inbuant. Fuisse Vespasiano amicitiam cum Thrasea, Sorano, Sentio; quorum accusatores etiamsi puniri non oporteat, ostentari non debere. Hoc senatus iudicio velut admoneri principem quos probet, quos reformidet. Nullum maius boni imperii instrumentum quam bonos amicos esse. Satis Marcello quod Neronem in exitium tot innocentium inpulerit: frueretur praemiis et inpunitate, Vespasianum melioribus re-
8 linqueret. Marcellus non suam sententiam inpugnari, sed consulem designatum censuisse dicebat, secundum vetera exempla, quae sortem legationibus posuissent, ne ambitioni

6 deprecantibus *G*: dep̃cantium 12 urnam *G*: urnā 14 crederentur (n *induxit recens m.*) 16 querente 25 Sentio] *malim* Anteio (*cf.* 16 14) 28 Inperii (n *pro* m *assimilatum praecedenti* bon*i*) 30 Inpunitatē *pr*

aut inimicitiis locus foret. Nihil evenisse cur antiquitus instituta exolescerent aut principis honor in cuiusquam contumeliam verteretur; sufficere omnes obsequio. Id magis vitandum, ne pervicacia quorundam inritaretur animus novo principatu suspensus et vultus quoque ac sermones omnium circumspectans. Se meminisse temporum quibus natus sit, quam civitatis formam patres avique instituerint; ulteriora mirari, praesentia sequi; bonos imperatores voto expetere, qualescumque tolerare. Non magis sua oratione Thraseam quam iudicio senatus adflictum; saevitiam Neronis per eiusmodi imagines inlusisse, nec minus sibi anxiam talem amicitiam quam aliis exilium. Denique constantia fortitudine Catonibus et Brutis aequaretur Helvidius: se unum esse ex illo senatu qui simul servierit. Suadere etiam Prisco, ne supra principem scanderet, ne Vespasianum, senem triumphalem, iuvenum liberorum patrem, praeceptis coerceret. Quomodo pessimis imperatoribus sine fine dominationem, ita quamvis egregiis modum libertatis placere. Haec magnis utrimque contentionibus iactata diversis studiis accipiebantur. Vicit pars quae sortiri legatos malebat, etiam mediis patrum adnitentibus retinere morem; et splendidissimus quisque eodem inclinabant, metu invidiae, si ipsi eligerentur. Secutum aliud 9
certamen. Praetores aerarii [nam tum a praetoribus tractabatur aerarium] publicam paupertatem questi modum inpensis postulaverant. Eam curam consul designatus ob magnitudinem oneris et remedii difficultatem principi reservabat: Helvidius arbitrio senatus agendum censuit. Cum perrogarent sententias consules, Vulcatius Tertullinus, tribunus plebis, intercessit, ne quid super tanta re principe absente statueretur. Censuerat Helvidius ut Capitolium publice restitueretur, adiuvaret Vespasianus. Eam sententiam modestissimus quisque silentio, deinde oblivio transmisit: fuere qui et meminissent. Tum invectus est Musonius Rufus in P. Celerem, a 10
quo Baream Soranum falso testimonio circumventum argue-

5 uolt; 9 qualescūq; 18 utrīq; 20 mallebat 21 eode 22 *inclinabant : inclinabat 23 [nam — aerarium] *Ernesti* : nam — erarium 28 Vulcacius 29 absentes *pr*

bat. Ea cognitione renovari odia accusationum videbantur. Sed vilis et nocens reus protegi non poterat: quippe Sorani sancta memoria; Celer professus sapientiam, dein testis in Baream, proditor corruptorque amici et *filiae eius*, cuius se magistrum ferebat. Proximus dies causae destinatur; nec tam Musonius aut Publius quam Priscus et Marcellus ceterique, motis ad ultionem animis, expectabantur.

11 Tali rerum statu, cum discordia inter patres, ira apud victos, nulla in victoribus auctoritas, non leges, non princeps in civitate essent, Mucianus urbem ingressus cuncta simul in se traxit. Fracta Primi Antonii Varique Arrii potentia, male dissimulata in eos Muciani iracundia, quamvis vultu tegeretur. Sed civitas rimandis offensis sagax verterat se transtuleratque: ille unus ambiri coli. Nec deerat ipse, stipatus armatis, domos hortosque permutans, apparatu incessu excubiis vim principis amplecti, nomen remittere. Plurimum terroris intulit caedes Calpurnii Galeriani. Is fuit filius Gai Pisonis, nihil ausus: sed nomen insigne et decora ipsius iuventa rumore vulgi celebrabantur, erantque in civitate adhuc turbida et novis sermonibus laeta qui principatus inanem ei famam circumdarent. Iussu Muciani custodia militari cinctus, ne in ipsa urbe conspectior mors foret, ad quadragensimum ab urbe lapidem, Appia via, fuso per venas sanguine extinguitur. Iulius Priscus, praetoriarum sub Vitellio cohortium praefectus, se ipse interfecit, pudore magis quam necessitate. Alfenus Varus ignaviae infamiaeque suae superfuit. Asiaticus enim [is libertus] malam potentiam servili supplicio expiavit.

12 Isdem diebus crebrescentem cladis Germanicae famam nequaquam maesta civitas excipiebat; caesos exercitus, capta legionum hiberna, descivisse Gallias, non ut mala loquebantur. Id bellum quibus causis ortum, quanto externarum sociarumque gentium motu flagraverit, altius expediam. Ba-

3 sancta] sc̃a 4 *amici et filiae eius : amicitię (amici et *L*) 7 ad ultionem *Faernus* : adulationib' *pr*, adulationē *corr* 8 patres *G* : partes 11 *fortasse* fracta Primi Varique potentia 12 malę uoltu 14 stipatis 17 caedes *G* : cedē 18 ipsius *editio princeps* : ei *G* : et 27 *[is libertus] 30 mesta

tavi, donec trans Rhenum agebant, pars Chattorum, seditione domestica pulsi extrema Gallicae orae vacua cultoribus, simulque insulam iuxta sitam occupavere, quam mare Oceanum a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit. Nec opibus Romanis, societate validiorum, adtriti viros tantum armaque imperio ministrarant, diu Germanicis bellis exerciti, mox aucta per Britanniam gloria, transmissis illuc cohortibus, quas vetere instituto nobilissimi popularium regebant. Erat et domi delectus eques, praecipuo nandi studio, arma equosque retinens integris turmis Rhenum perrumpere *ausus.*

13 Iulius Paulus et Iulius Civilis regia stirpe multo ceteros anteibant. Paulum Fonteius Capito falso rebellionis crimine interfecit; iniectae Civili catenae, missusque ad Neronem et a Galba absolutus sub Vitellio rursus discrimen adiit, flagitante supplicium eius exercitu: inde causae irarum spesque ex malis nostris. Sed Civilis ultra quam barbaris solitum ingenio sollers, et Sertorium se aut Annibalem ferens simili oris dehonestamento, ne ut hosti obviam iretur, si a populo Romano palam descivisset, Vespasiani amicitiam studiumque partium praetendit, missis sane ad eum Primi Antonii litteris, quibus avertere et accita Vitellio auxilia et tumultus Germanici specie retentare legiones iubebatur. Eadem Hordeonius Flaccus praesens monuerat, inclinato in Vespasianum animo et rei publicae cura, cui excidium adventabat, si redintegratum bellum et tot armatorum milia Italiam inrupis-

14 sent. Igitur Civilis desciscendi certus, occultato interim altiore consilio, cetera ex eventu iudicaturus, novare res hoc modo coepit. Iussu Vitellii Batavorum iuventus ad dilectum vocabatur, quem suapte natura gravem onerabant ministri avaritia ac luxu, senes aut invalidos conquirendo, quos pre-

3 iuxta sitam *Walch*: iuuata sit an oceanum *G*: ocean; (*cf.* 1 9. *Caes. B. G.* 3 7, *Catull.* 115 6) 4 *malim* circumfluit 6 *ministrarant: ministrant (ministrabant *Wurm*) 7 brittanniam gloriā 9 erat *ς*: erant armę quosq; 10 *perrumpere ausus: perrumpere 11 *Iulius Ciuilis: claudius ciuilis (*cf. H.* 1 59, *Plutarchi Amator. c.* 25, *Frontin. Strateg.* 4 3 14) multo *G*: multos 12 fonteiū *pr* 14 adiit *G*: adit 17 aut *corr G*: haud 21 *auertere et: aūteret (auertere *G*) a Vitellio *Halm* 23 uespanum 28 cępit dilectūs *pr*

tio dimitterent: rursus inpubes sed forma conspicui (et est plerisque procera pueritia) ad stuprum trahebantur. Hinc invidia; et compositae seditionis auctores ... perpulere, ut dilectum abnuerent. Civilis primores gentis et promptissimos vulgi, specie epularum sacrum in nemus vocatos, ubi nocte ac laetitia incaluisse videt, a laude gloriaque gentis orsus iniurias et raptus et cetera servitii mala enumerat: neque enim societatem, ut olim, sed tamquam mancipia haberi: quando legâtum, gravi quidem comitatu et superbo, cum imperio venire? Tradi se praefectis centurionibusque; quos ubi spoliis et sanguine expleverint, mutari, exquirique novos sinus et varia praedandi vocabula. Instare dilectum, quo liberi ab parentibus, fratres a fratribus velut supremum dividantur. Numquam magis afflictam rem Romanam nec aliud in hibernis quam praedam et senes: attollerent tantum oculos et inania legionum nomina ne pavescerent. At sibi robur peditum equitumque, consanguineos Germanos, Gallias idem cupientis. Ne Romanis quidem ingratum id bellum, cuius ambiguam fortunam Vespasiano inputaturos: victoriae rationem non reddi.

15 Magno cum adsensu auditus barbaro ritu et patriis execrationibus universos adigit. Missi ad Canninefates qui consilia sociarent. Ea gens partem insulae colit, origine lingua virtute par Batavis, numero superantur. Mox occultis nuntiis pellexit Britannica auxilia, Batavorum cohortes missas in Germaniam, ut supra rettulimus, ac tum Mogontiaci agentes. Erat in Canninefatibus stolidae audaciae Brinno, claritate natalium insigni; pater eius multa hostilia ausus Gaianarum expeditionum ludibrium inpune spreverat. Igitur ipso rebellis familiae nomine placuit, inpositusque scuto more gentis et sustinentium umeris vibratus dux deligitur. Statimque accitis

3 compositae ς : compositi ... *perpulere : perpulere (*expleo* populares suos perp.) 5 uolgi 13 *ab parentibus : apparentibus (*sic*) 15 at tollerent 16 t *in* at *fere evanidum* 18 cupientis 21 ritus *pr* 22 i. i. *i. e.* iuri iurando, adigit *potius; cf. H.* 1 55 *et* 76 canine fates, *mox* canine fatibus (*duplex* n *prior habet* 4 73 *et alter infra saepius*) consilias *pr* 25 brittannica 26 mogontiacia gentes 30 nomine *L* : homine *pr*, omine *corr* 31 adscitis *Acidalius*

Frisiis (transrhenana gens est), duarum cohortium hiberna, proxima Oceano occupata, inrumpit. Nec praeviderant impetum hostium milites, nec, si praevidissent, satis virium ad arcendum erat: capta igitur ac direpta castra. Dein vagos et pacis modo effusos lixas negotiatoresque Romanos invadunt. Simul excidiis castellorum imminebant, quae a praefectis cohortium incensa sunt, quia defendi nequibant. Signa vexillaque et quod militum in superiorem insulae partem congregantur, duce Aquilio primipilari, nomen magis exercitus quam robur: quippe viribus cohortium abductis Vitellius e proximis Nerviorum Gugernorumque pagis segnem numerum armis oneraverat. Civilis dolo grassandum ratus incusavit 16 ultro praefectos quod castella deseruissent: sese cum cohorte, cui praeerat, Canninefatem tumultum compressurum, illi sua quisque hiberna repeterent. Subesse fraudem consilio et dispersas cohortes facilius opprimi, nec Brinnonem ducem eius belli sed Civilem esse patuit, erumpentibus paulatim indiciis, quae Germani, laeta bello gens, non diu occultaverant. Vbi insidiae parum cessere, ad vim transgressus Canninefates, Frisios, Batavos propriis cuneis componit: derecta ex diverso acies haud procul a flumine Rheno, et obversis in hostem navibus, quas incensis castellis illuc adpulerant, *pugnatum*. Nec diu certato Tungrorum cohors signa ad Civilem transtulit, perculsique milites inprovisa proditione a sociis hostibusque caedebantur. Eadem et in navibus perfidia: pars remigum e Batavis, tamquam inperitia, officia nautarum propugnatorumque impediebant; mox contra tendere et puppes hostili ripae obicere; ad postremum gubernatores centurionesque, nisi eadem volentis, trucidant, donec universa quattuor et viginti navium classis transfugeret aut caperetur. Clara ea victoria in praesens, in posterum usui; armaque et 17 naves, quibus indigebant, adepti magna per Germanias Galliasque fama libertatis auctores celebrabantur. Germani sta-

2 *Oceano occupata : occupata oceano ([occupata] *Haase*) p̃uiderant — ꝓuidissent 11 *Gugernorumque : germanorumq; 13 sese *pr*, se *corr* 14 cannine fatē 17 esse *G* : eȷ̃ (= *eius*) 22 quas *G* : quasi *adpulerant, pugnatum : adpulerant. 25 *et in : etiam (etiam in *Wurm*) remigum *G* : remigiū 26 nautarum *G* : nauto2̄ 33 *Germani : germaniae

tim misere legatos auxilia offerentes: Galliarum societatem Civilis arte donisque adfectabat, captos cohortium praefectos suas in civitates remittendo, cohortibus, abire an manere mallent, data potestate. Manentibus honorata militia, digredientibus spolia Romanorum offerebantur; simul secretis sermonibus admonebat malorum, quae tot annis perpessi miseram servitutem falso pacem vocarent. Batavos, quamquam tributorum expertes, arma contra communes dominos cepisse; prima acie fusum victumque Romanum. Quid? Si Galliae iugum exuant, quantum in Italia reliquum? Provinciarum sanguine provincias vinci. Ne Vindicis aciem cogitarent: Batavo equite protritos Aeduos Arvernosque; fuisse inter Verginii auxilia Belgas, vereque reputantibus Galliam suismet viribus concidisse. Nunc easdem omnium partes, addito, siquid militaris disciplinae in castris Romanorum viguerit; esse secum veteranas cohortes, quibus nuper Othonis legiones procubuerint. Servirent Syria Asiaque et suetus regibus Oriens: multos adhuc in Galliis vivere ante tributa genitos. Nuper certe caeso Quintilio Varo pulsam e Germania servitutem, nec Vitellium principem sed Caesarem Augustum bello provocatum. Libertatem natura etiam brutis animalibus datam, virtutem proprium hominum bonum; deos Fortunamque fortioribus adesse: proinde arriperent vacui occupatos, integri fessos. Dum alii Vespasianum, alii Vitellium foveant, patere locum adversus utrumque.

18 Sic in Gallias Germaniasque intentus, si destinata provenissent, validissimarum ditissimarumque nationum regno imminebat. At Flaccus Hordeonius primos Civilis conatus per dissimulationem aluit: ubi expugnata castra, deletas cohortes, pulsum Batavorum insula Romanum nomen trepidi nuntii adferebant, Munium Lupercum legatum (is duarum legionum hibernis *provinciae inferioris* praeerat) egredi ad-

13 Gallias *Wurm* 17 siria asyaque 18 Galliis *Wurm* : gallias *pr*, gallia *corr* ante trib. *G* : antributa 21 naturā brutis *Acidalius* : mutis 22 *Fortunamque fortioribus : for fortioribus (*cf. *H.* 2 33: Fortunam et deos — adesse consiliis) 25 utrimq; 28 *potius* primo 32 *prouinciae inferioris praeerat : praeerat (*cf. 4 73: e superiore prouincia, *H.* 1 51: finibus prouinciarum)

versus hostem iubet. Lupercus legionarios e praesentibus, Vbios e proximis, Trevirorum equites haud longe agentis raptim transmisit, addita Batavorum ala, quae iam pridem corrupta fidem simulabat, ut proditis in ipsa acie Romanis maiore pretio fugeret. Civilis captarum cohortium signis circumdatus, ut suo militi recens gloria ante oculos, et hostes memoria cladis terrerentur, matrem suam sororesque, simul omnium coniuges parvosque liberos consistere a tergo iubet, hortamenta victoriae vel pulsis pudorem. Vt virorum cantu, feminarum ululatu sonuit acies, nequaquam par a legionibus cohortibusque redditur clamor. Nudaverat sinistrum cornu Batavorum ala transfugiens statimque in nos versa. Sed legionarius miles, quamquam rebus trepidis, arma ordinesque retinebat. Vbiorum Trevirorumque auxilia, foeda fuga dispersa, totis campis palantur: illuc incubuere Germani, et fuit interim effugium legionibus in castra quibus Veterum nomen est. Praefectus alae Batavorum Claudius Labeo, oppidano certamine aemulus Civili, ne interfectus invidiam apud populares vel, si retineretur, semina discordiae praeberet, in Frisios avehitur.

Isdem diebus Batavorum [et Canninefatium] cohortes, cum 19
iussu Vitellii in *Vbiorum* urbem pergerent, missus a Civile nuntius adsequitur. Intumuere statim superbia ferociaque, et pretium itineris donativum, duplex stipendium, augeri equitum numerum, promissa sane a Vitellio, postulabant, non ut adsequerentur, sed causam seditioni. Et Flaccus multa concedendo nihil aliud effecerat quam ut acrius exposcerent quae sciebant negaturum. Spreto Flacco inferiorem Germaniam petivere, ut Civili iungerentur. Hordeonius adhibitis tribunis centurionibusque consultavit, num obsequium abnuentes vi coerceret; mox insita ignavia et trepidis ministris, quos ambiguus auxiliorum animus et subito dilectu suppletae legiones angebant, statuit continere intra castra militem: dein poenitentia, et arguentibus ipsis qui suaserant, tamquam secuturus

2 tre uiro ♃, *mox* treuerorūq; 3 trans misit 9 pulsis *G* : pulsus 11 cornū 14 fęda 18 inuidiã *G* : Inuidia 21 *[et Canninefatium] : et cannine fatiū 22 *Vbiorum : *om* (*cf. H.* 2 69, 4 15; *nominum successio eadem* 1 36) 32 auxiliorū auxiliorū (*alteri nomini linea subducta est*) 33 penitentia

scripsit Herennio Gallo, legionis primae legato, qui Bonnam obtinebat, ut arceret transitu Batavos: se cum exercitu tergis eorum haesurum. Et opprimi poterant, si hinc Hordeonius, inde Gallus, motis utrimque copiis, medios clausissent. Flaccus omisit inceptum aliisque litteris Gallum monuit ne terreret abeuntes: unde suspitio sponte legatorum excitari bellum, cunctaque quae acciderant aut metuebantur, non inertia militis neque hostium vi sed fraude ducum evenire. Batavi cum castris Bonnensibus propinquarent, praemisere qui Herennio Gallo mandata cohortium exponeret. Nullum sibi bellum adversum Romanos, pro quibus totiens bellassent: longa atque irrita militia fessis patriae atque otii cupidinem esse. Si nemo obsisteret, innoxium iter fore: sin arma occurrant, ferro viam inventuros. Cunctantem legatum milites perpulerant, fortunam proelii experiretur. Tria milia legionariorum et tumultuariae Belgarum cohortes, simul paganorum lixarumque ignava sed procax ante periculum manus, omnibus portis prorumpunt, ut Batavos numero inpares circumfundant. Illi veteres militiae in cuneos congregantur, densi undique, et frontem tergaque ac latus tuti; sic tenuem nostrorum aciem perfringunt. Cedentibus Belgis pellitur legio, et vallum portasque trepidi petebant. Ibi plurimum cladis: cumulatae corporibus fossae, nec caede tantum et vulneribus, sed ruina et suis plerique telis interiere. Victores colonia Agrippinensium vitata, nihil cetero in itinere hostile ausi, Bonnense proelium excusabant, tamquam petita pace, postquam negabatur, sibimet ipsi consuluissent.

21 Civilis adventu veteranarum cohortium iusti iam exercitus ductor, sed consilii ambiguus et vim Romanam reputans, cunctos qui aderant in verba Vespasiani adigit mittitque legatos ad duas legiones, quae priore acie pulsae in Vetera castra concesserant, ut idem sacramentum acciperent. Redditur responsum: neque proditoris neque hostium se consiliis

1 herennio *G* : herrennio, *perinde c.* 20 bonā 3 *malim* inhaesurum 5 inceptūs *pr* 6 suspicio 9 bonnensib; 11 aduersu *pr*, aduersus *corr* 13 occurant 14 cunctantem ꝯ : cunctē 15 experiri. igitur tria *Wurm* 18 *prorumpunt : rumpunt (erumpunt ꝯ) 21 ballum *pr* 23 caede *G* : caedi ib. 24 interiere *G* : Interire 25 bonense 27 c̄siluissent

uti; esse sibi Vitellium principem, pro quo fidem et arma usque ad supremum spiritum retenturos: proinde perfuga Batavus arbitrium rerum Romanarum ne ageret, sed meritas sceleris poenas expectaret. Quae ubi relata Civili, incensus ira universam Batavorum gentem in arma rapit; iunguntur Bructeri Tencterique, et excita nuntiis Germania ad praedam famamque. Adversus has concurrentis belli minas legati le- 22
gionum Munius Lupercus et Numisius Rufus vallum murosque firmabant. Subversa longae pacis opera, haud procul castris in modum municipii extructa, ne hostibus usui forent. Sed parum provisum ut copiae in castra conveherentur; rapi permisere: ita paucis diebus per licentiam absumpta sunt quae adversus necessitates in longum suffecissent. Civilis medium agmen cum robore Batavorum obtinens utramque Rheni ripam, quo truculentior visu foret, Germanorum catervis complet, adsultante per campos equite; simul naves in adversum amnem agebantur. Hinc veteranarum cohortium signa, inde depromptae silvis lucisque ferarum imagines, ut cuique genti inire proelium mos est, mixta belli civilis externique facie obstupefecerant obsessos. Et spem obpugnantium augebat amplitudo valli, quod duabus legionibus situm vix quinque milia armatorum Romanorum tuebantur; sed lixarum multitudo turbata pace illuc congregata et bello ministra aderat. Pars castrorum in collem leniter exurgens, pars 23
aequo adibatur. Quippe illis hibernis obsideri premique Germanias Augustus crediderat, neque umquam id malorum, ut obpugnatum ultro legiones nostras venirent; inde non loco neque munimentis labor additus: vis et arma satis placebant. Batavi Transrhenanique, quo discreta virtus manifestius spectaretur, sibi quaeque gens, consistunt, eminus lacessentes. Post ubi pleraque telorum turribus pinnisque moenium irrita haerebant et desuper saxis vulnerabantur, clamore atque impetu invasere vallum, adpositis plerique scalis, alii per testu-

3 meritas *G*: merita 4 pęnas 5 armā *pr* 10 ī modum (*sic*) 11 ut *Danesius*: ui 14 utrimque *L* 17 amnem] ānen 18 lucisque ς *et L*: luusgue *vel* Iuusgue 19 ciuilis *G*: ciuili 22 quinque] .u. 24 exurgens 25 p̃miq: 26 Aug̃ unquā 32 [illegible]bantur 33 tustudinem

dinem suorum; scandebantque iam quidam, cum gladiis et armorum incussu praecipitati sudibus et pilis obruuntur, praeferoces initio et rebus secundis nimii. Sed tum praedae cupidine adversa quoque tolerabant; machinas etiam, insolitum sibi, ausi. Nec ulla ipsis sollertia; perfugae captivique docebant struere materias in modum pontis, mox subiectis rotis propellere, ut alii superstantes tamquam ex aggere proeliarentur, pars intus occulti murum subruerent. Sed excussa ballistis saxa stravere informe opus. Et crates vineasque parantibus adactae tormentis ardentes hastae, ultroque ipsi obpugnatores ignibus petebantur, donec desperata vi verterent consilium ad moras, haud ignari paucorum dierum inesse alimenta et multum inbellis turbae; simul ex inopia proditio
24 et fluxa servitiorum fides ac fortuita belli sperabantur. Flaccus interim cognito castrorum obsidio, et missis per Gallias qui auxilia concirent, lectos e legionibus Dillio Voculae, duoetvicensimae legionis legato tradit, ut quam maximis per ripam itineribus celeraret, ipse navibus, invalidus corpore, invisus militibus. Neque enim ambigue promebant: emissas a Mogontiaco Batavorum cohortes, dissimulatos Civilis conatus, adsciri in societatem Germanos. Non Primi Antonii neque Muciani ope Vespasianum magis adolevisse. Aperta odia armaque palam depelli: fraudem et dolum obscura eoque inevitabilia. Civilem stare contra, struere aciem: Hordeonium e cubiculo et lectulo iubere quidquid hosti conducat. Tot armatas fortissimorum virorum manus unius senis valetudine regi: quin potius interfecto proditore fortunam virtutemque suam malo omine exsolverent. His inter se vocibus instinctos flammavere insuper adlatae a Vespasiano litterae, quas Flaccus, quia occultari nequibant, pro contione recitavit, vinctos-
25 que qui attulerant ad Vitellium misit. Sic mitigatis animis

1 scandebanq; 8 occulti *G* : occultis (s *linea induxit altera m.*) *murum : muro (*pro* murū, *G* muros) 10 astae *pr* 16 e ꝫ *et* *Muretus : *om* 17 duo et uicensimę 18 navibus] *fortasse* naui uectus (*cf.* navibect;) 19 ambiguę *promebant : p̃mebant (fremebant *R*) 27 proditore *Vrsinus* : traditore (*corrige* tardo ductore; *cf.* 2 10, 4 46, 12 34, *H.* 3 47, 4 21) 28 omine *G* : homine

Bonnam, hiberna primae legionis, ventum. Infensior illic miles culpam cladis in Hordeonium vertebat: eius iussu derectam adversus Batavos aciem, tamquam a Mogontiaco legiones sequerentur; eiusdem proditione *se* caesos, nullis supervenientibus auxiliis. Ignota haec ceteris exercitibus, neque imperatori suo nuntiari, cum adcursu tot provinciarum extingui repens perfidia potuerit. Hordeonius exemplares omnium litterarum, quibus per Gallias Britanniamque et Hispanias auxilia orabat, exercitui recitavit instituitque pessimum facinus, ut epistulae aquiliferis legionum traderentur; a quis ante militi quam ducibus legebantur. Tum e seditiosis unum vinciri iubet, magis usurpandi iuris quam quia unius culpa foret. Motusque Bonna exercitus in coloniam Agrippinensem, adfluentibus auxiliis Gallorum, qui primo rem Romanam enixe iuvabant: mox valescentibus Germanis pleraeque civitates adversum nos arma sumpsere, spe libertatis et, si exuissent servitium, cupidine imperitandi. Gliscebat iracundia legionum nec terrorem unius militis vincula indiderant: quin idem ille arguebat ultro conscientiam ducis, tamquam nuntius inter Civilem Flaccumque falso crimine testis veri opprimeretur. Conscendit tribunal Vocula mira constantia, prensumque militem ac vociferantem duci ad supplicium iussit: et dum mali pavent, optimus quisque iussis paruere. Exim consensu ducem Voculam poscentibus, Flaccus summam rerum ei permisit. Sed discordes animos multa efferabant, inopia stipendii fru- 26
mentique et simul dilectum tributaque Galliae aspernantes, Rhenus incognita illi caelo siccitate vix navium patiens, arti commeatus, dispositae per omnem ripam stationes, quae Germanos vado arcerent, eademque de causa minus frugum et plures qui consumerent. Apud imperitos prodigii loco accipiebatur ipsa aquarum penuria, tamquam nos amnes quoque

1 bonnã *G* : bonã 2 derecta (directã *G*) 3 magontiaco *nunc*, *sed c.* 15 mogontiaci, 24 mogontiaco, 37 mogontiaci, *item c.* 59 *et* 60 *et* 61, mogontiaco 70, *rursus c.* 33 magontiaco 4 *se caesos : caesos 7 exẽplares (exemplaria ς, *verum videtur* exempla) 8 brittanniamque 11 siditiosis 16 sumpsere spe *Weissenborn* : spe 18 indiderant *Putcolanus* : Indiderat 23 ex Im c̃sensũ *pr* 24 flaccũ 25 *malim* animis efferabant *B* : efferebant

et vetera imperii munimenta desererent: quod in pace fors seu natura, tunc fatum et ira dei vocabatur.

Ingressis Novaesium sexta decima legio coniungitur. Additus Voculae in partem curarum Herennius Gallus legatus; nec ausi ad hostem pergere [loco Gelduba nomen est] castra fecere. Ibi struenda acie, muniendo vallandoque et ceteris belli meditamentis militem firmabant. Vtque praeda ad virtutem accenderetur, in proximos Gugernorum pagos, qui societatem Civilis acceperant, ductus Voculae exercitus. Pars
27 cum Herennio Gallo permansit. Forte navem haud procul castris, frumento gravem, cum per vada haesisset, Germani in suam ripam trahebant. Non tulit Gallus misitque subsidio cohortem: auctus et Germanorum numerus, paulatimque adgregantibus se auxiliis, acie certatum. Germani multa cum strage nostrorum navem abripiunt. Victi, quod tum in morem verterat, non suam ignaviam sed perfidiam legati culpabant. Protractum e tentorio, scissa veste, verberato corpore, quo pretio, quibus consciis prodidisset exercitum, dicere iubent. Redit in Hordeonium invidia: illum auctorem sceleris, hunc ministrum vocant, donec exitium minitantibus *Herennius* exterritus proditionem et ipse Hordeonio obiecit; vinctusque adventu demum Voculae exolvitur. Is postera die auctores seditionis morte adfecit: tanta illi exercitui diversitas inerat licentiae patientiaeque. Haud dubie gregarius miles Vitellio fidus, splendidissimus quisque in Vespasianum proni: inde scelerum ac suppliciorum vices et mixtus obsequio furor, ut contineri non possent qui puniri poterant.

28 At Civilem inmensis auctibus universa Germania extollebat, societate nobilissimis obsidum firmata. Ille, ut cuique

2 dei *G* : dī (diuum *Wurm*, deum *Nipperdey* : *at v. c.* 83 *et* 84, *ubi* dī *pro* dei, dm̄ *pro* deum, *c.* 81, *ubi* dō *pro* deo; deus *est* Rhenus) 3 Nouaesium] nouesium *hoc loco et c.* 77, 5 22, *sed* ę *adest H.* 4 33 *et* 35 *et* 36 *et* 57 *et* 62 *et* 70 *et* 79 sexta decima] xuj 5 *pergere [loco gelduba nomen est] castra : pergere. loco gelduba nomen est. castra 9 Voculae *Agricola* : uocula (a Vocula ꝫ) 15 arripiunt (b *vetere m.*) quod tū Imorē 20 *Herennius exterritus : exterritus 21 uictusque (n *manu vetere*) 25 splendissim;

proximum, vastari Vbios Trevirosque, et aliam manum Mosam amnem transire iubet, ut Menapios et Morinos et extrema Galliarum quateret. Actae utrobique praedae, infestius in Vbiis, quod gens Germanicae originis eiurata patria [Romanorum nomen] Agrippinenses vocarentur. Caesae cohortes eorum in vico Marcoduro incuriosius agentes, quia procul ripa aberant. Nec quievere Vbii quo minus praedas e Germania peterent, primo inpune, dein circumventi sunt, per omne id bellum meliore usi fide quam fortuna. Contusis Vbiis gravior et successu rerum ferocior Civilis obsidium legionum urgebat, intentis custodiis, ne quis occultus nuntius venientis auxilii penetraret. Machinas molemque operum Batavis delegat: Transrhenanos proelium poscentis ad scindendum vallum ire detrusosque redintegrare certamen iubet, superante multitudine et facili damno. Nec finem labori nox attulit: 29
congestis circum lignis accensisque, simul epulantes, ut quisque vino incaluerat, ad pugnam temeritate inani ferebantur. Quippe ipsorum tela per tenebras vana: Romani conspicuam barbarorum aciem, et si quis audacia aut insignibus effulgens, ad ictum destinabant. Intellectum id Civili et restincto igne misceri cuncta tenebris et armis iubet. Tum vero strepitus dissoni [corsus incepti], neque feriendi neque declinandi providentia: unde clamor acciderat, circumagere corpora, tendere arcus; nihil prodesse virtus, fors cuncta turbare et ignavorum saepe telis fortissimi cadere. Apud Germanos inconsulta ira: Romanus miles periculorum *non* ignarus ferratas sudes, gravia saxa non forte iaciebat. Vbi sonus molientium aut adpositae scalae hostem in manus dederant, propellere umbone, pilo sequi; multos in moenia egressos pugionibus fodere. Sic exhausta nocte novam aciem dies aperuit. Eduxe- 30

1 ubi ostre uirosque aliam manum *Freinsheim*: alia manu 2 transire: transiri *corr et* ς 4 [Romanorum nomen] *Gruter*: romano♃ nom̄ 6 in nico ς: inuicos 12 penetrarent (t *vetere m.*) 16 congestis ς: c̄cestis 18 pspicuam (p *deletum et* c̄ *superpositum vetere m.*) 19 et fulgens 22 *[corsus incepti]: CORSVS INCEPtt *in frustulo adglutinato membranae* (casus incerti ς) 23 circumagere ς: circumageret 24 arcus] *fortasse* artus 25 apud apud 26 *non ignarus: ignarus (gnarus *R*) 29 moenię *pr*

rant Batavi turrim duplici tabulato, quam praetoriae portae (is aequissimus locus) propinquantem promoti contra validi asseres et incussae trabes perfregere, multa superstantium pernicie. Pugnatumque in perculsos subita et prospera eruptione; simul a legionariis peritia et arte praestantibus plura struebantur. Praecipuum pavorem intulit suspensum et nutans machinamentum, quo repente demisso praeter suorum ora singuli pluresve hostium sublime rapti verso pondere intra castra effundebantur. Civilis omissa obpugnandi spe rursus per otium adsidebat, nuntiis et promissis fidem legionum convellens.

31 Haec in Germania ante Cremonense proelium gesta, cuius eventum litterae Primi Antonii docuere, addito Caecinae edicto; et praefectus cohortis e victis, Alpinius Montanus, fortunam partium praesens fatebatur. Diversi hinc motus animorum. Auxilia e Gallia, quis nec amor neque odium in partes, militia sine adfectu, hortantibus praefectis statim a Vitellio desciscunt: vetus miles cunctabatur. Sed adigente Hordeonio Flacco, instantibus tribunis, dixit sacramentum, non vultu neque animo satis adfirmans; et cum cetera iuris iurandi verba conciperent, Vespasiani nomen haesitantes aut
32 levi murmure et plerumque silentio transmittebant. Lectae deinde pro contione epistulae Antonii ad Civilem suspitiones militum irritavere, tamquam ad socium partium scriptae et de Germanico exercitu hostiliter. Mox adlatis Geldubam in castra nuntiis eadem dicta factaque, et missus cum mandatis Montanus ad Civilem, ut absisteret bello neve externa armis falsis velaret: si Vespasianum iuvare adgressus foret, satisfactum coeptis. Ad ea Civilis primo callide: post ubi videt Montanum praeferocem ingenio paratumque in res novas, orsus a questu periculisque quae per quinque et viginti annos in castris Romanis exhausisset, 'egregium' inquit 'pretium laborum recepi, necem fratris et vincula mea et saevissimas

2 locus ς : locū 4 prospera erupt. *G* : prospere ruptione 8 intra *G* : Infra 13 cecinae 14 e uictis *G* : e uictus 17 militia *R* : militiae 20 uoltu 22 trans mittebant 23 suspiciones 25 gelduban 27 absisteret *G* : absistere 29 ceptis 33 recepi *Agricola* : recipi

huius exercitus voces, quibus ad supplicium petitus iure gentium poenas reposco. Vos autem Treviri ceteraeque servientium animae, quod praemium effusi totiens sanguinis expectatis nisi ingratam militiam, inmortalia tributa, virgas secures, et dominorum ingenia? En ego praefectus unius cohortis et Canninefates Batavique, exigua Galliarum portio, vana illa castrorum spatia excidimus, vel septa ferro fameque premimus. Denique ausos aut libertas sequetur, aut victi iidem erimus.' Sic accensum, sed molliora referre iussum dimittit: ille ut inritus legationis redit, cetera dissimulans, quae mox erupere. Civilis parte copiarum retenta veteranas 33
cohortes, et quod e Germanis maxime promptum, adversus Voculam exercitumque eius mittit, Iulio Maximo et Claudio Victore, sororis suae filio, ducibus. Rapiunt in transitu hiberna alae Asciburgii sita; adeoque inprovisi castra involavere, ut non adloqui, non pandere aciem Vocula potuerit: id solum ut in tumultu monuit, subsignano milite media firmare Auxilia passim circumfusa sunt. Eques prorupit, exceptusque compositis hostium ordinibus terga in suos vertit. Caedes inde, non proelium. Et Nerviorum cohortes, metu seu perfidia, latera nostrorum nudavere: sic ad legiones perventum, quae amissis signis intra vallum sternebantur, cum repente novo auxilio fortuna pugnae mutatur. Vasconum lectae a Galba cohortes ac tum accitae, dum castris propinquant, audito proeliantium clamore intentos hostis a tergo invadunt, latioremque quam pro numero terrorem faciunt, aliis a Novaesio aliis a Mogontiaco universas copias advenisse credentibus. Is error addit animos, et dum alienis viribus confidunt, suas recepere. Fortissimus quisque e Batavis, quantum peditum erat, funduntur: eques evasit cum signis captivisque, quos prima acie corripuerant. Caesorum eo die in partibus nostris maior numerus et inbellior, e Germanis ipsa robora. Dux uterque pari culpa meritus adversa prosperis defuere. 34

2 pęnas treueri 6 cannene fates 9 iidem *R* idem moljora 10 rediit *R* 14 uictores *pr* 25 Intento (in tentos *G*) 27 magontiaco (*v. ad c.* 25) 28 error Romanis ς 30 funduntur] trucidantur *Nipperdey*, conciduntur *vel* contunduntur *Halm; cf. c.* 50 *et* 67, *praecipue* 12 13

Nam Civilis si maioribus copiis instruxisset aciem, circumiri a tam paucis cohortibus nequisset castraque perrupta excidisset: Vocula nec adventum hostium exploravit, eoque simul egressus victusque; dein victoriae parum confisus, tritis frustra diebus, castra in hostem movit, quem si statim impellere cursumque rerum sequi maturasset, solvere obsidium legionum eodem impetu potuit. Temptaverat interim Civilis obsessorum animos, tamquam perditae apud Romanos res et suis victoria provenisset: circumferebantur signa vexillaque, ostentati etiam captivi. Ex quibus unus, egregium facinus ausus, clara voce gesta patefecit, confossus ilico a Germanis. Vnde maior indici fides, simul vastatione incendiisque flagrantium villarum venire victorem exercitum intellegebatur. In conspectu castrorum constitui signa fossamque et vallum circumdari Vocula iubet: depositis inpedimentis sarcinisque expediti certarent. Hinc in ducem clamor pugnam poscentium; et minari adsueverant. Ne tempore quidem ad ordinandam aciem capto incompositi fessique proelium sumpsere: nam Civilis aderat, non minus vitiis hostium quam virtute suorum fretus. Varia apud Romanos fortuna et seditiosissimus quisque ignavus: quidam recentis victoriae memores retinere locum, ferire hostem, seque et proximos hortari, et redintegrata acie manus ad obsessos tendere, ne tempori deessent. Illi cuncta e muris cernentes omnibus portis prorumpunt. Ac forte Civilis lapsu equi prostratus, credita per utrumque exercitum fama vulneratum aut interfectum, inmane quantum suis pavoris et hostibus alacritatis indidit: sed Vocula omissis fugientium tergis vallum turrisque castrorum augebat, tamquam rursus obsidium immineret, corrupta totiens victoria non falso suspectus bellum malle. Nihil aeque exercitus nostros quam egestas copiarum fatigabat. Inpedimenta legionum cum inbelli turba Novaesium missa, ut inde terrestri itinere frumentum adveherent: nam flumine hostes potiebantur. Primum agmen securum incessit, nondum satis firmo Civile. Qui ubi rursum

2 excidisset (*sic*) 4 tritis *G*: triti 11 ilico] illic (illico *Freinsheim; cf.* 2 8, 13 52) 19 uirtutes *pr* 20 ignauus] *malim* ignaui; *cf. c.* 27 *et* 33 *et* 48 *et* 62 *et* 65 *cet.* 24 labsu 25 uolneratum 26 Inmanē 29 falso *G*: falsos 31 Inpedimenta

missos Novaesium frumentatores datasque in praesidium cohortes velut multa pace ingredi accepit, rarum apud signa militem, arma in vehiculis, cunctos licentia vagos, compositus invadit, praemissis qui pontes et viarum angusta insiderent. Pugnatum longo agmine et incerto Marte, donec proelium nox dirimeret. Cohortes Geldubam perrexere, manentibus, ut fuerant, castris, quae relictorum illic militum praesidio tenebantur. Non erat dubium quantum in regressu discriminis adeundum foret frumentatoribus onustis perculsisque. Addit exercitui suo Vocula mille delectos e quinta et quinta decima legionibus apud Vetera obsessis, indomitum militem et ducibus infensum. Plures quam iussum erat profecti palam in agmine fremebant, non se ultra famem, insidias legatorum toleraturos: at qui remanserant, . . desertosque abducta parte legionum querebantur. Duplex hinc seditio, aliis revocantibus Voculam, aliis redire in castra abnuentibus. Interim Civilis Vetera circumsedit: Vocula Geldubam atque inde Novaesium concessit. Civilis capit Geldubam. Mox haut procul Novaesio equestri proelio *Romanus* prospere certavit: sed miles secundis adversisque perinde in exitium ducum accendebatur. Et adventu quintanorum quintadecimanorumque auctae legiones donativum exposcunt, conperto pecuniam a Vitellio missam. Nec diu cunctatus Hordeonius nomine Vespasiani dedit; idque praecipuum fuit seditionis alimentum. Effusi in luxum et epulas et nocturnos coetus veterem in Hordeonium iram renovant, nec ullo legatorum tribunorumve obsistere auso [quippe omnem pudorem nox ademerat] protractum e cubili interficiunt. Eadem in Voculam parabantur, nisi servili habitu per tenebras ignoratus evasisset. Vbi sedato impetu metus rediit, centuriones cum epistulis ad civitates Galliarum misere, auxilia ac stipendia

36 37

9 ădeundum *G*: adeundē frumentatoribus *G*: frum̄toribus perculsisque *Agricola*: periculisq; 14 remanserat (n *vetere m.*) *. . desertosque (*expleo* derelictos se desertosque; *G* desertos se) 19 aut (*corr. vetere m.*) *Romanus prospere: prospere (Vocula *ante* haut *Gutmann*, inprospere *Weissenborn*) 20 perinde *G*: ꝙInde 21 aduentū *pr* qnta decimano2ꝙ que 25 cętus 27 *[quippe—ademerat] 30 redit

oraturos: ipsi, ut est vulgus sine rectore praeceps pavidum socors, adventante Civile, raptis temere armis ac statim omissis, in fugam vertuntur. Res adversae discordiam peperere, iis qui e superiore exercitu erant causam suam dissociantibus. Vitellii tamen imagines in castris et per proximas Belgarum civitates repositae, cum iam Vitellius occidisset. Dein mutati in poenitentiam primani quartanique et duoetvicensimani Voculam sequuntur, apud quem resumpto Vespasiani sacramento ad liberandum Mogontiaci obsidium ducebantur. Discesserant obsessores, mixtus ex Chattis Vsipis Mattiacis exercitus, satietate praedae nec incruenti: in via dispersos et nescios miles noster invaserat. Quin et loricam vallumque per fines suos Treviri struxere, magnisque in vicem cladibus cum Germanis certabant, donec egregia erga populum Romanum merita mox rebelles foedarent.

38 Interea Vespasianus iterum ac Titus consulatum absentes
P. Ch. 70 inierunt, maesta et multiplici metu suspensa civitate, quae super instantia mala falsos pavores induerat, descivisse Africam res novas moliente L. Pisone. Is pro consule provinciae, nequaquam turbidus ingenio: sed quia naves saevitia hiemis prohibebantur, vulgus alimenta in dies mercari solitum, cui una ex re publica annonae cura, clausum litus, retineri commeatus dum timet, credebat, augentibus famam Vitellianis, qui studium partium nondum posuerant, ne victoribus quidem ingrato rumore, quorum cupiditates externis quoque bellis
39 inexplebiles nulla umquam civilis victoria satiavit. Kalendis Ianuariis in senatu, quem Iulius Frontinus, praetor urbanus, vocaverat, legatis exercitibusque ac regibus laudes gratesque decretae; et Tettio Iuliano praetura, tamquam transgredientem in partes Vespasiani legionem deseruisset, ablata, ut in Plotium Griphum transferretur; Hormo dignitas equestris

1 uolgus 3 uertuntur] ūtent 7 poenitentiam *B* : penitentiam duo et uicensimani 10 ex Cattis *R* : et caıtıs 11 incruenti: in *L* : incruentari uia adispersos 13 treueri 15 fedarent 16 iterum accitus *pr* 17 inier. (= *inierunt; Haase* inierant) 18 Instantiā *pr* 19 pro consule prouinciae *Iac. Gronovius* : ꝓ uinciae 21 uolgus 22 commeatūs *pr* 24 ne *Iac. Gronovius* : nec 26 nullā unquā 29 Tettio *Orelli* : tito

data. Et mox eiurante Frontino Caesar Domitianus praeturam cepit. Eius nomen epistulis edictisque praeponebatur, vis penes Mucianum erat, nisi quod pleraque Domitianus instigantibus amicis aut propria libidine audebat. Sed praecipuus Muciano metus e Primo Antonio Varoque Arrio, quos recentes clarosque rerum fama ac militum studiis etiam populus fovebat, quia in neminem ultra aciem saevierant. Et ferebatur Antonius Scribonianum Crassum, egregiis *moribus*, maioribusque et fraterna imagine fulgentem, ad capessendam rem publicam hortatus, haud defutura consciorum manu, ni Scribonianus abnuisset, ne paratis quidem corrumpi facilis, adeo metuens incerta. Igitur Mucianus, quia propalam opprimi Antonius nequibat, multis in senatu laudibus cumulatum secretis promissis onerat, citeriorem Hispaniam ostentans discessu Cluvii Rufi vacuam; simul amicis eius tribunatus praefecturasque largitur. Dein postquam inanem animum spe et cupidine inpleverat, vires abolet dimissa in hiberna legione septima *Galbiana*, cuius flagrantissimus in Antonium amor. Et tertia legio, familiaris Arrio Varo miles, in Syriam remissa; pars exercitus in Germanias ducebatur. Sic egesto quidquid turbidum, rediit urbi sua forma legesque et munia magistratuum.

Quo die senatum ingressus est Domitianus, de absentia patris fratrisque ac iuventa sua pauca et modica disseruit, decorus habitu; et ignotis adhuc moribus crebra oris confusio pro modestia accipiebatur. Referente Caesare de restituendis Galbae honoribus, censuit Curtius Montanus ut Pisonis quoque memoria celebraretur. Patres utrumque iussere: de Pisone irritum fuit. Tum sorte ducti, per quos redderentur bello rapta, quique aera legum vetustate delapsa noscerent figerentque, et fastos adulatione temporum foedatos exonerarent modumque publicis inpensis facerent. Redditur

2 cępit 8 *moribus, maioribusque : maioribusque (maioribus ς, moribus *Boetticher*, artibus maioribusque *Haase*) 15 discessu] decessu *Nipperdey* 18 legione septima *G* : legiones uij *Galbiana, cuius : cuius (*cf. H.* 2 86, 3 7 *et* 10) 19 siriā 20 germania^{s} (s *vetere m.*) 21 rediit urbi *Haase* : redit᷑ bi (redit urbi ς) 29 pisonē 31 fę-dlatos exonorarent

Tettio Iuliano praetura, postquam cognitus est ad Vespasianum confugisse: Gripho honor mansit. Repeti inde cognitionem inter Musonium Rufum et Publium Celerem placuit, damnatusque Publius et Sorani manibus satisfactum. Insignis publica severitate dies ne privatim quidem laude caruit. Iustum officium explesse Musonius videbatur; diversa fama Demetrio, Cynicam sectam professo, quod manifestum reum ambitiosius quam honestius defendisset: ipsi Publio neque animus in periculis neque oratio subpeditavit. Signo ultionis in accusatores dato, petit a Caesare Iunius Mauricus, ut commentariorum principalium potestatem senatui faceret, per quos nosceret quem quisque accusandum poposcisset. Consulen-
41 dum tali super re principem respondit. Senatus inchoantibus primoribus ius iurandum concepit, quo certatim omnes magistratus, ceteri ut sententiam rogabantur, deos testes advocabant, nihil ope sua factum quo cuiusquam salus laederetur, neque se praemium aut honorem ex calamitate civium cepisse, trepidis et verba iuris iurandi per varias artes mutantibus, quis flagitii conscientia inerat. Probabant religionem patres, periurium arguebant; eaque velut censura in Sariolenum Voculam et Nonium Attianum et Cestium Severum acerrime incubuit, crebris apud Neronem delationibus famosos. Sariolenum et recens crimen urgebat, quod apud Vitellium molitus eadem foret, nec destitit senatus manus intentare ei [Voculae], donec curia excederet. Ad Paccium Africanum transgressi eum quoque proturbant, tamquam Neroni Scribonios fratres, concordia opibusque insignes, ad exitium monstravisset. Africanus neque fateri audebat neque abnuere poterat: in Vibium Crispum, cuius interrogationibus fatigabatur, ultro conversus, miscendo quae defendere nequibat, societate culpae
42 invidiam declinavit. Magnam eo die pietatis eloquentiaeque

2 cognitionem *G* : cognitione 3 Musonium] masoniū 5 cauruit 6 officium *Nipperdey* : Iudicium (odium *Halm*) 8 abitiosius 10 Mauricus *B* : maricus 11 per quos *G* : quaē per quos 12 quę quisque 13 tali *G* : talis 14 cc̄epit 16 cusquam *pr* 17 cepisse *G* : cepisset 19 flagitiis *pr* 24 destitit *G* : destit *intentare ei : intentaret (intentare *G*) *[Voculae] 28 audebat *G* : audebant

famam Vipstanus Messalla adeptus est, nondum senatoria aetate, ausus pro fratre Aquilio Regulo deprecari. Regulum subversa Crassorum et Orfiti domus in summum odium extulerat: sponte [ex senatus consulto] accusationem subisse iuvenis admodum, nec depellendi periculi sed in spem potentiae videbatur; et Sulpicia Praetextata, Crassi uxor, quattuorque liberi, si cognosceret senatus, ultores aderant. Igitur Messala non causam neque reum tueri, sed periculis fratris semet opponens flexerat quosdam. Occurrit truci oratione Curtius Montanus, eo usque progressus, ut post caedem Galbae datam interfectori Pisonis pecuniam a Regulo adpetitumque morsu Pisonis caput obiectaret. 'Hoc certe' inquit 'Nero non coegit, nec dignitatem aut salutem illa saevitia redemisti. Sane toleremus istorum defensiones, qui perdere alios quam periclitari ipsi maluerunt: te securum reliquerat exul pater et divisa inter creditores bona, nondum honorum capax aetas, nihil quod ex te concupisceret Nero, nihil quod timeret. Libidine sanguinis et hiatu praemiorum ignotum adhuc ingenium et nullis defensionibus expertum caede nobili inbuisti, cum ex funere rei publicae raptis consularibus spoliis, septuagiens sestertio saginatus et sacerdotio fulgens innoxios pueros, inlustres senes, conspicuas feminas eadem ruina prosterneres, cum segnitiam Neronis incusares, quod per singulas domos seque et delatores fatigaret: posse universum senatum una voce subverti. Retinete, patres conscripti, et reservate hominem tam expediti consilii, ut omnis aetas instructa sit, et quomodo senes nostri Marcellum Crispumve, iuvenes Regulum imitentur. Invenit etiam aemulos infelix nequitia: quid? si floreat vigeatque? et quem adhuc quaestorium offendere non audemus, praetorium et consularem visuri sumus? an Neronem extremum dominorum pu-

1 Vipstanus *Rupertus* : uiptanus (*cf. ad* 11 23) messalla, *mox* messala 3 Crassorum *margo m. cetere* : castrorum 4 *sponte [ex senatus consulto] : sponte e XS̄C̄ (*sic*) accusationem *G* : accusatio 6 supplicia (Sulpitia *Puteolanus*) 7 liberi *G* : liberis 13 aut salutem illa *L* : austa lutē illā (*sic*) 21 septuagienses tertio saginatus *Faernus* : signatus 23 segnitiā *G* : segnitia 24 seques (se que *G*) 25 p. c. 27 *Crispumue : crispum 28 aemulos etiam *Acidalius*

tatis? Idem crediderant qui Tiberio, qui Gaio superstites fuerunt, cum interim intestabilior et saevior exortus est. Non timemus Vespasianum; ea principis aetas, ea moderatio: sed diutius durant exempla quam auctores. Elanguimus, patres conscripti, nec iam ille senatus sumus, qui occiso Nerone delatores et ministros more maiorum puniendos flagitabat.

43 Optimus est post malum principem dies primus.' Tanto cum adsensu senatus auditus est Montanus, ut spem caperet Helvidius posse etiam Marcellum *Eprium* prosterni. Igitur a laude Cluvii Rufi orsus, qui perinde dives et eloquentia clarus nulli umquam sub Nerone periculum facessisset, crimine simul exemploque Eprium urgebat, ardentibus patrum animis. Quod ubi sensit Marcellus, velut excedens curia 'imus' inquit, 'Prisce, et relinquimus tibi senatum tuum: regna praesente Caesare.' Sequebatur Vibius Crispus, ambo infensi, vultu diverso, Marcellus minacibus oculis, Crispus renidens, donec adcursu amicorum retraherentur. Cum glisceret certamen, hinc multi bonique, inde pauci et validi pertinacibus odiis tenderent, consumptus per discordiam dies.

44 Proximo senatu, inchoante Caesare de abolendo dolore iraque et priorum temporum necessitatibus, censuit Mucianus prolixe pro accusatoribus; simul eos qui coeptam, deinde omissam actionem repeterent, monuit sermone molli et tamquam rogaret. Patres coeptatam libertatem, postquam obviam itum, omisere. Mucianus, ne sperni senatus iudicium et cunctis sub Nerone admissis data inpunitas videretur, Octavium Sagittam et Antistium Sosianum, senatorii ordinis, egressos exilium in easdem insulas redegit. Octavius Pontiam Postumiam, stupro cognitam et nuptias suas abnuentem, inpotens amoris interfecerat; Sosianus pravitate morum multis exitiosus. Ambo gravi senatus consulto damnati pulsique, quamvis concesso aliis reditu, in eadem poena retenti sunt. Nec ideo lenita erga Mucianum invidia: quippe Sosianus ac

3 uespanū 4 auctores *L*: mores .p. c. 8 adsensū 9 *Marcellum Eprium: marcellum 11 unqua facesisset 15 scrispus uoltu 17 adcursū 22 ceptam, *mox* ceptatam 26 Octauium Sagittam *R*: octaviū sabinū sagittā 29 postumiam stupro cognitam *G*: positū Inastu ꝑcognita (*corr* postū *pro* positū) 32 pęna

Sagitta viles, etiam si reverterentur: accusatorum ingenia et opes et exercita malis artibus potentia timebantur. Reconci- 45
liavit paulisper studia patrum habita in senatu cognitio secundum veterem morem. Manlius Patruitus senator pulsatum se in colonia Seniensi coetu multitudinis et iussu magistratuum querebatur; nec finem iniuriae hic stetisse: planctum et lamenta et supremorum imaginem praesenti sibi circumdata cum contumeliis ac probris, quae in senatum universum iacerentur. Vocati qui arguebantur, et cognita causa in convictos vindicatum, additumque senatus consultum quo Seniensium plebes modestiae admoneretur. Isdem diebus Antonius Flamma accusantibus Cyrenensibus damnatur lege repetundarum, et exilio ob saevitiam.

Inter quae militaris seditio prope exarsit. Praetorianam 46
militiam repetebant a Vitellio dimissi, pro Vespasiano congregati; et lectus in eandem spem e legionibus miles promissa stipendia flagitabat; ne Vitelliani quidem sine multa mercede pelli poterant: sed inmensa pecunia .... Ingressus castra Mucianus, quo rectius stipendia singulorum spectaret, suis cum insignibus armisque victores constituit, modicis inter se spatiis discretos. Tum Vitelliani, quos apud Bovillas in deditionem acceptos memoravimus, ceterique per urbem et urbi vicina conquisiti producuntur prope intecto corpore. Eos Mucianus diduci, et Germanicum Britannicumque militem, ac siqui aliorum exercituum, separatim adsistere iubet. Illos primus statim aspectus obstupefecerat, cum ex diverso velut

1 reuerterte rentur 4 patrūitus *pr* 5 cętu 7 praesentis ibi 12 accusantibus *Wurm*: om Cyrenensibus *R*: cyrensib; 18 mercede *ego et Weissenborn*: cęde *pecunia ....: pecunia (*supplecerim* ingessit cunctandi necessitatem) Ingressus] *ante hoc Mediceus in medio versu nec in fine columnae transit ad* fer̄. (= *ferunt*) ne criminantium nuntiis temere accenderetur (c. 52) *usque ad finem c.* 53 *qui sic habet* defuisse crede tanta uis hominum retinenda erat, *quibus immissis redit ad haec* Ingressus castra Mucianus *usque ad initium c.* 52 Titum, antequam digrederetur, multo apud patrem sermone orasse dicebatur (*rerum ordinem restituit Puteolanus, qui verba* sed inmensa pecunia fer̄. *omisit. Perturbatio etiam in margine Medicei notata est verbis* hinc Inalio filio (*pro* folio) 22 urbēs *pr* 23 conquisiti *G*: conquisita 24 brittannicumque 25 separatim ς: separati

aciem telis et armis trucem, semet clausos nudosque et inluvie deformes aspicerent: ut vero huc illuc distrahi coepere, metus per omnes et praecipua Germanici militis formido, tamquam ea separatione ad caedem destinarentur. Prensare commanipularium pectora, cervicibus innecti, suprema oscula petere, ne desererentur soli neu pari in causa disparem fortunam paterentur; modo Mucianum, modo absentem principem, postremum caelum ac deos obtestari, donec Mucianus cunctos eiusdem sacramenti, eiusdem imperatoris milites appellans, falso timori obviam iret: namque et victor exercitus clamore lacrimas eorum iuvabat. Isque finis illa die. Paucis post diebus adloquentem Domitianum firmati iam excepere: spernunt oblatos agros, militiam et stipendia orant. Preces erant, sed quibus contra dici non posset; igitur in praetorium accepti. Dein quibus aetas et iusta stipendia, dimissi cum honore, alii ob culpam, sed carptim ac singuli, quo tutissimo remedio consensus multitudinis extenuatur.

47 Ceterum verane pauperie an uti videretur, actum in senatu ut sescenties sestertium a privatis mutuum acciperetur, praepositusque ei curae Pompeius Silvanus. Nec multo post necessitas abiit sive omissa simulatio. Abrogati inde, legem ferente Domitiano, consulatus quos Vitellius dederat; funusque censorium Flavio Sabino ductum, magna documenta instabilis fortunae, summaque et ima miscentis.

48 Sub idem tempus L. Piso, pro consule *Africae*, interficitur. Ea de caede quam verissime expediam, si pauca supra repetiero ab initio causisque talium facinorum non absurda. Legio in Africa auxiliaque tutandis imperii finibus sub divo Augusto Tiberioque principibus proconsuli parebant. Mox C. Caesar, turbidus animi ac Marcum Silanum obtinen-

1 Inlubie *pr* 2 cepere 4 seperatione destinarentur *liber Budensis*: destinaretur 5 inecti (n *vetere m.*) 6 pari in causa *Walther et Bekker*: pauri causā (impari causa *G*, in pari causa *Puteolanus*) 9 eiusdem imp. *G*: eȷ imp. 13 preces erant *G*: p̃cesserant 16 quo *G*: qd̃ 19 sescenties 21 abrogati *Puteolanus*: abroganti 23 flabio *pr* Sabino decretum *Wurm* 24 et ima *Faernus*: etiā (*debuit* et ĩa) 25 *pro consule Africae: ꝓ consule 27 repetiero *R*: petiero 29 ꝓ consuli 30 G. turbidis *pr* ac *G*: ad

tem Africam metuens, ablatam proconsuli legionem misso in eam rem legato tradidit. Aequatus inter duos beneficiorum numerus, et mixtis utriusque mandatis discordia quaesita auctaque pravo certamine. Legatorum ius adolevit diuturnitate officii, vel quia minoribus maior aemulandi cura; proconsulum splendidissimus quisque securitati magis quam potentiae consulebant. Sed tum legionem in Africa regebat 49
Valerius Festus, sumptuosae adulescentiae neque modica cupiens et adfinitate Vitellii anxius. Is crebris sermonibus temptaveritne Pisonem ad res novas an temptanti restiterit, incertum, quoniam secreto eorum nemo adfuit, et occiso Pisone plerique ad gratiam interfectoris inclinavere. Nec ambigitur provinciam et militem alienato erga Vespasianum animo fuisse; et quidam e Vitellianis urbe profugi ostentabant Pisoni nutantes Gallias, paratam Germaniam, pericula ipsius et in pace suspecto tutius bellum. Inter quae Claudius Sagitta, praefectus alae Petrianae, prospera navigatione praevenit Papirium, centurionem a Muciano missum, adseveravitque mandata interficiendi Pisonis centurioni data: cecidisse Galerianum, consobrinum eius generumque: unam in audacia spem salutis, sed duo itinera audendi, seu mallet statim arma, seu petita navibus Gallia ducem se Vitellianis exercitibus ostenderet, nihil ad ea moto Pisone. Centurio a Muciano missus ut portum Carthaginis attigit, magna voce laeta Pisoni omina tamquam principi continuare, obvios et subitae rei miraculo attonitos, ut eadem adstreperent, hortari. Vulgus credulum ruere in forum, praesentiam Pisonis exposcere; gaudio clamoribusque cuncta miscebant, indiligentia veri et adulandi libidine. Piso, indicio Sagittae vel insita modestia, non in publicum egressus est neque se studiis vulgi permisit.

4 ius *pr*, uis *recens (nova scriptura illic in duabus paginis veteri ac subevanidae superposita est)* 6 splendissim; 7 africā 16 suspecto *Victorius* : suscepto 17 Petrianae] petrinae; *cf. ad H.* 1 70 19 cecidisse *G* : cedisse 20 audaciā 21 audendi *G* : audiendi 23 ostenderet, nihil — Pisone. Centurio] ostenderet. Nihil — Pisone, centurio *vulgo distinguunt* nihil *h. l.* 24 carthaginis, *mox* carthaginiensibus (*cf.* 16 1, *H.* 1 76) 25 omina *Faernus* : oīa (*debuit* ōīa *vel* omīa) 26 uolgus, *mox* uolgi 27 exposcerent *pr* 28 ueri *R* : uiri

Centurionemque percunctatus, postquam quaesitum sibi crimen caedemque comperit, animadverti in eum iussit, haud perinde spe vitae quam ira in percussorem, quod idem ex interfectoribus Clodii Macri cruentas legati sanguine manus ad caedem proconsulis rettulisset. Anxio deinde edicto Carthaginiensibus increpitis, ne solita quidem munia usurpabat, clausus intra domum, ne qua motus novi causa vel forte oreretur. Sed ubi Festo consternatio vulgi, centurionis supplicium, veraque et falsa more famae in maius innotuere, equites in necem Pisonis mittit. Illi raptim vecti, obscuro adhuc coeptae lucis domum proconsulis inrumpunt destrictis gladiis, et magna pars Pisonis ignari, quod Poenos auxiliares Maurosque in eam caedem delegerat. Haud procul cubiculo obvium forte servum, quisnam et ubi esset Piso, interrogavere: servus egregio mendacio se Pisonem esse respondit ac statim obtruncatur. Nec multo post Piso interficitur: namque aderat qui nosceret, Baebius Massa e procuratoribus Africae, iam tunc optimo cuique exitiosus et inter causas malorum quae mox tulimus saepius rediturus. Festus Adrumeto, ubi speculabundus substiterat, ad legionem contendit, praefectumque castrorum Caetronium Pisanum vinciri iussit, proprias ob simultates: sed Pisonis satellitem vocabat, militesque et centuriones quosdam punivit, alios praemiis adfecit, neutrum ex merito, sed ut obpressisse bellum crederetur. Mox Oeensium Leptitanorumque discordias componit, quae raptu frugum et pecorum inter agrestes modicis principiis, iam per arma atque acies exercebantur: nam populus Oeensis multitudine inferior Garamantas exciverat, gentem indomitam et inter accolas latrociniis fecundam. Vnde artae Leptitanis res, lateque vastatis agris intra moenia trepidabant, donec interventu cohortium alarumque fusi Garamantes et recepta omnis praeda, nisi quam vagi per inaccessa mapalium ulterioribus vendiderant.

8 uolgi 12 pęnos 17 massę (massa e *G*) 18 inter *Haase* : in 19 Adrumeto *Puteolanus* : adrimeto 21 *Caetronium : cetronium (*cf.* 1 44) 23 *puniuit : puniit *pr*, punit *recens* 24 Oeensium *L* : offensium leptitanorumque *G* : lepcitanorumque 25 raptū 27 Oeensis *L* : offensis 29 arte lepcitanis

At Vespasiano post Cremonensem pugnam et prosperos 51
undique nuntios, cecidisse Vitellium multi cuiusque ordinis, pari audacia fortunaque hibernum mare adgressi, nuntiavere. Aderant legati regis Vologesi quadraginta *milia* Parthorum equitum offerentes. Magnificum laetumque tantis sociorum auxiliis ambiri, neque indigere: gratiae Vologeso actae mandatumque ut legatos ad senatum mitteret et pacem esse sciret. Vespasianus in Italiam resque urbis intentus adversam de Domitiano famam accipit, tamquam terminos aetatis et concessa filio egrederetur: igitur validissimam exercitus partem Tito tradit ad reliqua Iudaici belli perpetranda. Ti- 52
tum, antequam digrederetur, multo apud patrem sermone orasse [dicebatur] ferunt, ne criminantium nuntiis temere accenderetur, integrumque se ac placabilem filio praestaret. Non legiones, non classes perinde firma imperii munimenta quam numerum liberorum: nam amicos tempore fortuna, cupidinibus aliquando aut erroribus imminui transferri desinere: suum cuique sanguinem indiscretum, sed maxime principibus, quorum prosperis et alii fruantur, adversa ad iunctissimos pertineant. Ne fratribus quidem mansuram concordiam, ni parens exemplum praebuisset. Vespasianus haud aeque Domitiano mitigatus quam Titi pietate gaudens, bono esse animo iubet belloque et armis rem publicam attollere: sibi pacem domumque curae fore. Tum celerrimas navium frumento onustas saevo adhuc mari committit: quippe tanto discrimine urbs nutabat, ut decem haud amplius dierum frumentum in horreis fuerit, cum a Vespasiano commeatus subvenere.

Curam restituendi Capitolii in Lucium Vestinum confert, 53
equestris ordinis virum, sed auctoritate famaque inter proceres. Ab eo contracti haruspices monuere ut reliquiae prioris delubri in paludes aveherentur, templum isdem vestigiis sistere-

4 *quadraginta milia : quadraginta (milia *post* equitum ς) 13 *[dicebatur] : dicebat (*sequitur c.* 54 Audita interim ferunt] fer. *proiectum in locum non suum, de quo ad c.* 46 15 perinde *G* : ꝑInde imperii munimenta *G* : Imperi monimta 19 ali 20 mansurã *G* : mansurũ 22 domitiono 23 RP. 26 urs nutabat 29 conferte 31 harispices, *item paulo post*

tur: nolle deos mutari veterem formam. Vndecimum kalendas Iulias serena luce spatium omne, quod templo dicabatur, evinctum vittis coronisque; ingressi milites, quis fausta nomina, felicibus ramis; dein virgines Vestales, cum pueris puellisque patrimis matrimisque, aqua, trinis e fontibus amnibusque hausta, perluere. Tum Helvidius Priscus praetor, praeeunte Plautio Aeliano pontifice, lustrata suovetaurilibus area et super caespitem redditis extis, Iovem Iunonem Minervam praesidesque imperii deos precatus, uti coepta prosperarent sedesque suas, pietate hominum inchoatas, divina ope attollerent, vittas quis ligatus lapis innexique funes erant contigit; simul ceteri magistratus et sacerdotes et senatus et eques et magna pars populi, studio laetitiaque conixi, saxum ingens traxere. Passimque iniectae fundamentis argentique et auri stipes et metallorum primitiae, nullis fornacibus victae, sed ut gignuntur: praedixere haruspices, ne temeraretur opus saxo aurove in aliud destinato. Altitudo aedibus adiecta: id solum religio adnuere et prioris templi magnificentiae defuisse credebatur [tanta vis hominum retinenda erat].

54 Audita interim per Galliasque et Germanias mors Vitellii duplicaverat bellum. Nam Civilis omissa dissimulatione in populum Romanum ruere, Vitellianae legiones vel externum servitium quam imperatorem Vespasianum malle. Galli sustulerant animos, eandem ubique exercituum nostrorum fortunam rati, vulgato rumore a Sarmatis Dacisque Moesica

1 nolle *G* : nollet *undecimum : XI. Kł. 2 luces *pr* omnē *pr* 3 uittis *G* : uictis cornisque *pr* 4 uirgines *G* : uirginis 5 trinis *Vrsinus ex 'vv. cc.'* (?) : trimis (*hoc ex compendio* trīis *ortum videtur*) oĩbsq; (amnibus que *G*) 6 perluere *R* : pluere (*debuit* pluere) 7 Plautio *Vrsinus* : plauto lustrata suouetaurilibus *Vrsinus et L* : lustratas boue taurilib; 8 aream (*sic*) cespitem extis *G* : sextis 9 cęptas (cepta *G*) 10 pietate *G* : pietates 14 *argentique et auri : argenti et auri que (argenti aurique ς) 16 gignuntur *G* : signuntur 19 *credebatur. [tanta — erat] : crede tanta — erat (credebatur *a Doederlinio ascivi*, creditum ς) 21 *Galliasque et Germanias : gallias et germaniasq; (gallias germaniasque ς) uitelli 26 uulgato rumore *G* : uolgatorum more

ac Pannonica hiberna circumsideri; paria de Britannia fingebantur. Sed nihil aeque quam incendium Capitolii, ut finem imperio adesse crederent, inpulerat. Captam olim a Gallis urbem, sed integra Iovis sede mansisse imperium: fatali nunc igne signum caelestis irae datum et possessionem rerum humanarum transalpinis gentibus portendi, superstitione vana Druidae canebant. Incesseratque fama, primores Galliarum ab Othone adversus Vitellium missos, antequam digrederentur, pepigisse ne deessent libertati, si populum Romanum continua civilium bellorum series et interna mala fregissent. Ante Flacci Hordeonii caedem nihil prorupit quo coniuratio 55 intellegeretur: interfecto Hordeonio commeavere nuntii inter Civilem Classicumque, praefectum alae Trevirorum. Classicus nobilitate opibusque ante alios; regium illi genus et pace belloque clara origo. Ipse e maioribus suis hostis *plures* populi Romani quam socios iactabat. Miscuere sese Iulius Tutor et Iulius Sabinus, [hic Trevir, hic Lingonus,] Tutor ripae Rheni a Vitellio praefectus; Sabinum super insitam vanitatem falsae stirpis gloria incendebat: proaviam suam divo Iulio per Gallias bellanti corpore atque adulterio placuisse. Hi secretis sermonibus animos ceterorum scrutari. Vbi quos idoneos rebantur conscientia obstrinxere, in colonia Agrippinensi in domum privatam conveniunt: nam publice civitas talibus inceptis abhorrebat; at tamen interfuere quidam Vbiorum Tungrorumque. Sed plurima vis penes Treviros ac Lingonas, nec tulere moras consultandi. Certatim proclamant furere discordiis populum Romanum, caesas legiones, vastatam Italiam, capi cum maxime urbem, omnis exercitus suis quemque bellis distineri: si Alpes praesidiis firmentur, coalita libertate disceptaturas Gallias quem virium

1 circumsideri *G* : circū sederit (*sic*) brittannia 2 nihil *h. l.* capitolii *G* : capitoliū 3 Inperio 6 superstitionē uanā *pr* 7 druidae *G* : druuidae 13 treuiro 24 15 *plures populi : populi 16 socios *Mercerus* : socius 17 *[hic Treuir, hic Lingonus] : hic treuir, hic lingon;. (= *lingonus*. ς Lingon) 18 Sabinum *Weissenborn* : sabinus 19 incendebatur *G* 21 secretis *G* : secreti scrutati, ubi *Pichena* 22 conscientia obstrinxere *G* : conscientiā obstrixere 23 publicae 28 cummaxime oīs 30 disceptaturas *Victorius* : discep'ras (*in margine vetus m.* al. despecturos, *R* dispecturas)

56 suarum terminum velint. Haec dicta pariter probataque: de reliquiis Vitelliani exercitus dubitavere. Plerique interficiendos censebant, turbidos infidos, sanguine ducum pollutos. Vicit ratio parcendi, ne sublata spes veniae pertinaciam accenderet: alliciendos potius in societatem. Legatis tantum legionum interfectis, ceterum vulgus conscientia scelerum et spe inpunitatis facile accessurum. Ea primi consilii forma, missique per Gallias concitores belli. Simulatum ipsis obsequium, quo incautiorem Voculam opprimerent. Nec defuere qui Voculae nuntiarent: sed vires ad coercendum deerant, infrequentibus infidisque legionibus. Inter ambiguos milites et occultos hostes optimum e praesentibus ratus mutua dissimulatione et isdem quibus petebatur grassari *artibus*, in coloniam Agrippinensem descendit. Illuc Claudius Labeo, quem captum et extra confinium amandatum [in Frisios] diximus, corruptis custodibus perfugit; pollicitusque, si praesidium daretur, iturum in Batavos et potiorem civitatis partem ad societatem Romanam retracturum, accepta peditum equitumque modica manu, nihil apud Batavos ausus quosdam Nerviorum Baetasiorumque in arma traxit, et furtim magis quam bello Can-
57 ninefates Marsacosque incursabat. Vocula Gallorum fraude inlectus ad hostem contendit; nec procul Veteribus aberat, cum Classicus ac Tutor per speciem explorandi praegressi cum ducibus Germanorum pacta firmavere. Tumque primum discreti a legionibus proprio vallo castra sua circumdant, obtestante Vocula, non adeo turbatam civilibus armis rem Romanam, ut Treviris etiam Lingonibusque despectui sit. Superesse fidas provincias, victores exercitus, fortunam imperii et ultores deos. Sic olim Sacrovirum et Aeduos, nuper Vindicem Galliasque singulis proeliis concidisse. Eadem rur-

2 reliquiis *G* : reliqs 4 *spes — accenderet : spe — accenderent 5 alliciendos *G* : aliciendo 6 uolgus Inpunitatis (*sic*) 7 consilii ꝯ : concilii 13 *grassari artibus : grassari (artibus grassari ꝯ) agrippinensē 14 Claudius *Puteolanus* : gladius 15 *confinium : cō̄fīū (*cf.* 4 58. *G.* 3) amandatum *Agricola* : amendatum *[in Frisios] (*cf. c.* 18: in Frisios auehitur) 19 nihil *h. l.* quosda bętasiorumq; 20 cannene fates 26 bocula 27 treueris 29 hęduos

sus numina, eadem fata ruptores foederum expectarent. Melius divo Iulio divoque Augusto notos eorum animos: Galbam et infracta tributa hostiles spiritus indidisse. Nunc hostes, quia molle servitium: cum spoliati exutique fuerint, amicos fore. Haec ferociter locutus, postquam perstare in perfidia Classicum Tutoremque videt, verso itinere Novaesium concedit: Galli duum milium spatio distantibus campis consedere. Illuc commeantium centurionum militumque emebantur animi, ut [flagitium incognitum] Romani exercitus in externa verba iurarent, pignusque tanti sceleris nece aut vinculis legatorum daretur. Vocula, quamquam plerique fugam suadebant, audendum ratus, vocata contione in hunc modum disseruit. 'Num- 58
quam apud vos verba feci aut pro vobis sollicitior aut pro me securior. Nam mihi exitium parari libens audio, mortemque in tot malis solacium et finem miseriarum expecto: vestri me pudet miseretque, adversus quos non proelium et acies parantur, id enim fas armorum et ius hostium est: bellum cum populo Romano vestris se manibus gesturum Classicus sperat imperiumque et sacramentum Galliarum ostentat. Adeo nos, si fortuna in praesens virtusque deseruit, etiam vetera exempla deficiunt, quotiens Romanae legiones perire praeoptaverint, ne loco pellerentur? Socii saepe nostri excindi urbes suas seque cum coniugibus ac liberis cremari pertulerunt, neque aliud pretium exitus quam fides famaque. Tolerant cum maxime inopiam obsidiumque apud Vetera legiones nec terrore aut promissis demoventur: nobis super arma et viros et egregia castrorum munimenta frumentum et commeatus quamvis longo bello pares. Pecunia nuper etiam donativo suffecit, quod sive a Vespasiano sive a Vitellio datum interpretari mavultis, ab imperatore certe Romano accepistis. Tot bellorum victores, apud Geldubam, apud Vetera, fuso totiens hoste, si pavetis aciem, indignum id quidem: sed est vallum murique et trahendi artes, donec

1 numina *R* : nomina foederum 3 *indidisse : Induisse 9 *[flagitium incognitum] *Romani : romanus 15 solacium et *Freudenberg* : hostium ut (ut *omisso* hostium *Acidalius*) 24 exitii *fortasse* 25 cūmaxime 26 uetera *Puteolanus* : ueteras 29 suffecit *L* : sufficit 30 mauoltis

e proximis provinciis auxilia exercitusque concurrant. Sane ego displiceam: sunt alii legati, tribuni, centurio denique aut miles, ne hoc prodigium toto terrarum orbe vulgetur, vobis satellitibus Civilem et Classicum Italiam invasuros. An, si ad moenia urbis Germani Gallique duxerint, arma patriae inferetis? Horret animus tanti flagitii imagine. Tutorin Treviro agentur excubiae? Signum belli Batavus dabit? *Gallorum* et Germanorum catervas supplebitis? Quis deinde sceleris exitus, cum Romanae legiones contra *aciem* derexerint? Transfugae e transfugis et proditores e proditoribus, inter recens et vetus sacramentum invisi deis errabitis? Te, Iuppiter optime maxime, quem per octingentos viginti annos tot triumphis coluimus, te, Quirine, Romanae parens urbis, precor venerorque ut, si vobis non fuit cordi me duce haec castra incorrupta et intemerata servari, at certe pollui foedarique a Tutore et Classico ne sinatis. Militibus Romanis aut innocentiam detis aut maturam et sine noxa poenitentiam." Varie excepta oratio inter spem metumque ac pudorem. Digressum Voculam et de supremis agitantem liberti servique prohibuere foedissimam mortem sponte praevenire. Et Classicus misso Aemilio Longino, desertore primae legionis, caedem eius maturavit; Herennium et Numisium legatos vinciri satis visum. Dein sumptis Romani imperii insignibus in castra venit. Nec illi, quamquam ad omne facinus durato, verba ultra suppeditavere quam ut sacramentum recitaret: iuravere qui aderant pro imperio Galliarum. Interfectorem Voculae altis ordinibus, ceteros, ut quisque flagitium navaverat, . . praemiis attollit.

59

Divisae inde inter Tutorem et Classicum curae. Tutor valida manu circumdatos Agrippinenses quantumque militum apud superiorem Rheni ripam in eadem verba adigit, occisis

3 uolgetur 6 Tutorin Treuiro] tutor Intreuiro (*sic*) 7 Batauus] bauus *Gallorum et Germanorum : et germanorum (Germanorum *Pichena*) 9 *contra aciem : contra (*cf.* 2 45, *H.* 4 16 *et* 25, 5 23) 15 fedarique 17 poenitentiam *B* : penitentiam 20 fedissimam 21 ·I· legionis 22 legabos *pr* 28 . . praemiis : praemiis (*explco* praeficit ac) 30 ualidā *pr* agrippienses 31 occisis *G* : occisi

Mogontiaci tribunis, pulso castrorum praefecto, qui *ius iurandum* detractaverant: Classicus corruptissimum quemque e deditis pergere ad obsessos iubet, veniam ostentantes, si praesentia sequerentur: aliter nihil spei, famem ferrumque et extrema passuros. Adiecere qui missi erant exemplum suum. Obsessos hinc fides, inde egestas inter decus ac flagitium 60
distrahebant. Cunctantibus solita insolitaque alimenta deerant, absumptis iumentis equisque et ceteris animalibus, quae profana foedaque in usum necessitas vertit. Virgulta postremo et stirpes et internatas saxis herbas vellentes miseriarum patientiaeque documentum fuere, donec egregiam laudem fine turpi macularent, missis ad Civilem legatis vitam orantes. Neque ante preces admissae quam in verba Galliarum iurarent: tum pactus praedam castrorum dat custodes, qui pecuniam calones sarcinas retentarent, dat qui ipsos leves abeuntes prosequerentur. Ad quintum fere lapidem coorti Germani incautum agmen adgrediuntur. Pugnacissimus quisque in vestigio, multi palantes occubuere: ceteri retro in castra perfugiunt, querente sane Civile et increpante Germanos tamquam fidem per scelus abrumperent. Simulata ea fuerint an retinere saevientes nequiverit, parum adfirmatur. Direptis castris faces iniciunt, cunctosque qui proelio superfuerant incendium hausit. Civilis barbaro voto post coepta 61
adversus Romanos arma propexum rutilatumque crinem patrata demum caede legionum deposuit; et ferebatur parvulo filio quosdam captivorum sagittis iaculisque puerilibus figendos obtulisse. Ceterum neque se neque quemquam Batavum in verba Galliarum adegit, fisus Germanorum opibus et, si certandum adversus Gallos de possessione rerum foret, inclitus fama et potior. Munius Lupercus, legatus legionis, inter dona missus Velaedae. Ea virgo nationis Bructerae late im-

1 *ius iurandum : *om* 2 classicūs *pr* quenq; editis *pr* 4 nihl 8 absumptis *G* : assūptis 9 fędaque 13 quam *G* : qua 14 pactus *G* : pacti 15 sarcinas *G* : sacircinas *dat qui : at q (atque *Pichena*, ac qui *R*) 16 coorti *R* : cohorti 19 pfugiunt increpante *G* : Increpantes 21 fuerĭt *G* : fuerit 23 cepta 26 figendos *G* : fingendos 31 Velaedae] uelędae, *perinde statim* uelędę, *tum c.* 65 *tribus locis* uelędā, 5 24 *iterum* uelędā, *semel tantum* (*c.* 22) uelede

peritabat, vetere apud Germanos more, quo plerasque feminarum fatidicas et augescente superstitione arbitrantur deas. Tuncque Velaedae auctoritas adolevit: nam prosperas Germanis res et excidium legionum praedixerat. Sed Lupercus in itinere interfectus. Pauci centurionum tribunorumque in Gallia geniti reservantur pignus societati. Cohortium alarum legionum hiberna subversa crematagque, iis tantum relictis
62 quae Mogontiaci ac Vindonissae sita sunt. Legio sexta decima cum auxiliis simul deditis a Novaesio in coloniam Trevirorum transgredi iubetur, praefinita die intra quam castris excederet. Medium omne tempus per varias curas egere, ignavissimus quisque caesorum apud Vetera exemplo paventes, melior pars rubore et infamia: quale illud iter? quis dux viae? et omnia in arbitrio eorum quos vitae necisque dominos fecissent. Alii nulla dedecoris cura pecuniam aut carissima sibimet ipsi circumdare; quidam expedire arma telisque tamquam in aciem accingi. Haec meditantibus advenit proficiscendi hora, expectatione tristior. Quippe intra vallum deformitas haud perinde notabilis: detexit ignominiam campus et dies. Revulsae imperatorum imagines, inhonora signa, fulgentibus hinc *Germanorum,* inde Gallorum vexillis; silens agmen et velut longae exequiae; dux Claudius Sanctus effosso oculo dirus ore, ingenio debilior. Duplicatur flagitium, postquam desertis Bonnensibus castris altera se legio miscuerat. Et vulgata captarum legionum fama cuncti, qui paulo ante Romanorum nomen horrebant, procurrentes ex agris tectisque et undique effusi insolito spectaculo nimium fruebantur. Non tulit ala Picentina gaudium insultantis vulgi, spretisque Sancti promissis aut minis Mogontiacum abeunt; ac forte obvio interfectore Voculae Longino, coniectis in eum telis

2 arbitrantur *ed. princeps*: arbitrentur 6 societate *pr* 8 legio xuj. 20 reuolsae inhonora *L et Victorius*: inhora 21 *hinc Germanorum: hinc (*cf. 12 28, 15 42, *H.* 1 84, 2 15 *et* 21, 4 19 *et* 22 *et* 60) 22 Sanctus] sc̃s (*videtur rerum esse* Sancus, *mox* Sanci) effosso oculo dirus ore] *vulgo distinguunt* effosso oculo, dirus ore 25 uolgata, *mox* uolgi 28 Picentina] *in titulis et* Picentina *et* Picentiana ala *memoratur; cf. Jahrb. d. Vereins von Alterthumsfr. im Rheinl.* XX. *p.* 35 *et* 54 29 sancti[e]

initium exsolvendae in posterum culpae fecere: legiones nihil mutato itinere ante moenia Trevirorum considunt.

Civilis et Classicus, rebus secundis sublati, an coloniam 63
Agrippinensem diripiendam exercitibus suis permitterent dubitavere. Saevitia ingenii et cupidine praedae ad excidium civitatis trahebantur: obstabat ratio belli et novum imperium inchoantibus utilis clementiae fama; Civilem etiam beneficii memoria flexit, quod filium eius primo rerum motu in colonia Agrippinensi deprehensum honorata custodia habuerant. Sed transrhenanis gentibus invisa civitas opulentia auctuque; neque alium finem belli rebantur quam si promisca ea sedes omnibus Germanis foret, aut disiecta Vbios quoque dispersisset. Igitur Tencteri, Rheno discreta gens, missis legatis 64
mandata apud concilium Agrippinensium edi iubent, quae ferocissimus e legatis in hunc modum protulit. 'Redisse vos in corpus nomenque Germaniae communibus deis et praecipuo deorum Marti grates agimus, vobisque gratulamur quod tandem liberi inter liberos eritis: nam ad hunc diem flumina ac terras et caelum quodammodo ipsum clauserant Romani, ut conloquia congressusque nostros arcerent, vel, quod contumeliosius est viris ad arma natis, inermes ac prope nudi sub custode et pretio coiremus. Sed ut amicitia societasque nostra in aeternum rata sint, postulamus a vobis, muros coloniae, munimenta servitii, detrahatis: etiam fera animalia, si clausa teneas, virtutis obliviscuntur; Romanos omnes in finibus vestris trucidetis: haud facile libertas et domini miscentur. Bona interfectorum in medium cedant, ne quis occulere quicquam aut segregare causam suam possit. Liceat nobis vobisque utramque ripam colere, ut olim maioribus nostris. Quomodo lucem diemque omnibus hominibus, ita omnes terras fortibus viris natura aperuit. Instituta cultumque patrium resumite, abruptis voluptatibus, quibus Romani plus adversus

2 mẹnia treuirorum 4 agrippiensem, *mox* agrippiniensi 5 ingenii *L* : ingenti (ingenita *R*) 9 honorata custodia habuerant *Wurm* : honorata custodię erant (honorate custodiuerant *G*; *cf.* 3 22 *et* 42, *H.* 3 12) 10 auctūque *pr* 12 ubios *G* : ubihos 14 agrippieniensiū iubent *G* : iuberent 18 liberi *G* : liber| 19 terras *G* : terra] (terram ς) 23 sit ς 24 fera *G* : uera 29 utranq; 31 Institutū *pr*

subiectos quam armis valent. Sincerus et integer et servitutis oblitus populus aut ex aequo agetis aut aliis imperita-
65 bitis.' Agrippinenses sumpto consultandi spatio, quando neque subire conditiones metus futuri neque palam aspernari conditio praesens sinebat, in hunc modum respondent. 'Quae prima libertatis facultas data est, avidius quam cautius sumpsimus, ut vobis ceterisque Germanis, consanguineis nostris, iungeremur. Muros civitatis, congregantibus se cum maxime Romanorum exercitibus, augere nobis quam diruere tutius est. Siqui ex Italia aut provinciis alienigenae in finibus nostris fuerunt, eos bellum absumpsit vel in suas quisque sedes refugerunt. Deductis olim et nobiscum per conubium sociatis, quique mox provenerunt, haec patria est; nec vos adeo iniquos existimamus, ut interfici a nobis parentes fratres liberos nostros velitis. Vectigal et onera commerciorum resolvimus: sint transitus incustoditi, sed diurni et inermes, donec nova et recentia iura in vetustatem consuetudine vertantur. Arbitrum habebimus Civilem et Velaedam, apud quos pacta sancientur.' Sic lenitis Tencteris legati ad Civilem et Velaedam missi cum donis cuncta ex voluntate Agrippinensium perpetravere; sed coram adire adloquique Velaedam negatum: arcebantur aspectu, quo venerationis plus inesset. Ipsa edita in turre; delectus e propinquis consulta responsaque ut internuntius numinis portabat.

66 Civilis societate Agrippinensium auctus proximas civitates adfectare aut adversantibus bellum inferre statuit. Occupatisque Sunucis et iuventute eorum per cohortes composita, quo minus ultra pergeret, Claudius Labeo Baetasiorum Tungrorumque et Nerviorum tumultuaria manu restitit, fretus loco, quia pontem Mosae fluminis anteceperat. Pugnabaturque in angustiis ambigue, donec Germani tranatantes terga

2 aliis *G*: auis 4 condiciones, *mox* condicio 8 cūmaxime 10 siq 11 *fuerunt: fuerant 12 refugerũ. 13 al. sociatis *in margine m. vetere*: societatis prouenerũ 16 incustoditis 20 agrippiniensiũ, *mox* agripiniensiũ 25 Ciuilis *G*: Ciuili 27 sunicis (u *vetere m.; cf. Jahrb. d. Ver. v. Alterthumsfr. im Rheinl.* XXV *p.* 18—20) 28 betasio4 (*cf. ad c.* 56) 31 trana tantes (tranantes ꝛ)

Labeonis invasere; simul Civilis, ausus an ex composito, intulit se agmini Tungrorum, et clara voce 'non ideo' inquit 'bellum sumpsimus, ut Batavi et Treviri gentibus imperent; procul haec a nobis adrogantia. Accipite societatem: transgredior ad vos, seu me ducem seu militem mavultis.' Movebatur vulgus, condebantque gladios, cum Campanus ac Iuvenalis, ex primoribus Tungrorum, universam ei gentem dedidere; Labeo antequam circumveniretur profugit. Civilis Baetasios quoque ac Nervios in fidem acceptos copiis suis adiunxit, ingens rerum, perculsis civitatum animis vel sponte inclinantibus.

Interea Iulius Sabinus proiectis foederis Romani monu- 67
mentis Caesarem se salutari iubet, magnamque et inconditam popularium turbam in Sequanos rapit, conterminam civitatem et nobis fidam; nec Sequani detractavere certamen. Fortuna melioribus adfuit: fusi Lingones. Sabinus festinatum temere proelium pari formidine deseruit. Vtque famam exitii sui faceret, villam in quam perfugerat cremavit, illic voluntaria morte interisse creditus. Sed quibus artibus latebrisque vitam per novem mox annos traduxerit, simul amicorum eius constantiam et insigne Epponinae uxoris exemplum, suo loco reddemus. Sequanorum prospera acie belli impetus stetit Resipiscere paulatim civitates fasque et foedera respicere, principibus Remis, qui per Gallias edixere ut missis legatis in commune consultarent, libertas an pax placeret.

At Romae cuncta in deterius audita Mucianum angebant, 68
ne quamquam egregii duces (iam enim Gallum Annium et Petilium Cerialem delegerat) summam belli parum tolerarent. Nec relinquenda urbs sine rectore; et Domitiani indomitae libidines timebantur, suspectis, uti diximus, Primo Antonio Varoque Arrio. Varus praetorianis praepositus vim atque arma retinebat: eum Mucianus pulsum loco, ne sine solacio

1 intulit se *G* : Intulisse 2 ideo] dō 3 treueri 6 uolgus 7 ex *G* : ei 8 pettasios *pr*, bettasios *corr vetere m.* 9 adIuncxit 10 perculsis ς : pculsit 12 fęderis, *mox* faedera romanis *pr* 14 turba 18 uillā *G* : uilla 27 ne quamquam — tolerarent *Mercerus et Acidalius* : nequaquam — tolerare (*cf. Agr.* 16) 31 uarrus (Varus *G*) praeposito. (prepositus *G*)

ageret, annonae praefecit. Vtque Domitiani animum Varo haud alienum deleniret, Arretinum Clementem, domui Vespasiani per adfinitatem innexum et gratissimum Domitiano, praetorianis praeposuit, patrem eius sub C. Caesare egregie functum ea cura dictitans; laetum militibus idem nomen, atque ipsum, quamquam senatorii ordinis, ad utraque munia sufficere. Adsumuntur e civitate clarissimus quisque et alii per ambitionem; simul Domitianus Mucianusque accingebantur, dispari animo, ille spe ac iuventa properus, hic moras nectens, quis flagrantem retineret, ne ferocia aetatis et pravis inpulsoribus, si exercitum invasisset, paci belloque male consuleret. Legiones victrices sexta, undecima, octava, Vitellianarum unaetvicensima, e recens conscriptis secunda, Poeninis Cottianisque Alpibus, pars monte Graio traducuntur; quarta decima legio e Britannia, sexta ac prima *et decima* ex Hispania accitae.

Igitur venientis exercitus fama et suopte ingenio ad mitiora inclinantes Galliarum civitates in Remos convenere. Trevirorum legatio illic opperiebatur, acerrimo instinctore belli Iulio Valentino. Is meditata oratione cuncta magnis imperiis obiectari solita contumeliasque et invidiam in populum Romanum effudit, turbidus miscendis seditionibus et
69 plerisque gratus vecordi facundia. At Iulius Auspex, e primoribus Remorum, vim Romanam pacisque bona dissertans, et sumi bellum etiam ab ignavis, strenuissimi cuiusque periculo geri, iamque super caput legiones, sapientissimum quemque reverentia fideque, iuniores periculo ac metu continuit; et Valentini animum laudabant, consilium Auspicis sequebantur. Constat obstitisse Treviris Lingonibusque apud Gallias, quod Vindicis motu cum Verginio steterant. Deterruit plerosque provinciarum aemulatio: quod bello caput?

2 arretinum ς : arrecinū 7 clarissimus *G* : clarissimis 8 ambitionēs *pr* 11 malę 12 *sexta, undecima, octaua : uim. xj unj 13 una et uicensima pęninis 14 xuj legio 15 brittannia *sexta ac prima et decima : uj ac pma (i *vetere m.*; sexta ac decima *Savilius*; *cf. H.* 5 19) 20 *Iulio : tulio 21 imperiis *G* : imperii 23 uecordi 29 treueris 30 [illegible] *potius*

unde ius auspiciumque peteretur? quam, si cuncta provenissent, sedem imperio legerent? Nondum victoria, iam discordia erat, aliis foedera, quibusdam opes viresque aut vetustatem originis per iurgia iactantibus; taedio futurorum praesentia placuere. Scribuntur ad Treviros epistulae nomine Galliarum, ut abstinerent armis, impetrabili venia et paratis deprecatoribus, si poeniteret: restitit idem Valentinus obstruxitque civitatis suae aures, haud perinde instruendo bello intentus quam frequens contionibus. Igitur non Treviri neque 70 Lingones ceteraeve rebellium civitates pro magnitudine suscepti discriminis agere; ne duces quidem in unum consulere, sed Civilis avia Belgarum circumibat, dum Claudium Labeonem capere aut exturbare nititur; Classicus segne plerumque otium trahens velut parto imperio fruebatur; ne Tutor quidem maturavit superiorem Germaniae ripam et ardua Alpium praesidiis claudere. Atque interim unaetvicensima legio Vindonissa, Sextilius Felix cum auxiliariis cohortibus per Raetiam inrupere; accessit ala singularium, excita olim a Vitellio, deinde in partes Vespasiani transgressa. Praeerat Iulius Briganticus, sorore Civilis genitus[, ut ferme acerrima proximorum odia sunt], invisus avunculo infensusque. Tutor Trevirorum copias, recenti Vangionum, Caeracatium, Tribocorum dilectu auctas, veterano pedite atque equite firmavit, corruptis spe aut metu subactis legionariis; qui primo cohortem praemissam a Sextilio Felice interficiunt, mox ubi duces exercitusque Romanus propinquabant, honesto transfugio rediere. secutis Tribocis Vangionibusque et Caeracatibus. Tutor Treviris comitantibus, vitato Mogontiaco, Bingium concessit, fidens loco, quia pontem Navae fluminis abruperat; sed incursu cohortium, quas Sextilius ducebat, et reperto vado proditus fususque. Ea clade perculsi Treviri, et plebes omissis

3 fędera 4 per iurgia *P. Manutius apud L*: p Iuria tedio fu futurorum 7 poeniteret *B*: peniteret 13 capere *G*: caperet 16 unā (*notam induxit rec. m.*) et uincensima 19 transgrassa (e *retere m.*) 20 *[ut ferme — odia sunt] 21 auonculo 23 dilectū *pr* pedites *pr* 24 metus *pr* 27 sicut is (sequutis *G*) treueris 28 cōmitantibus 29 potem Nauae *R*: nauas 31 perculsi *G*: perculsit

armis per agros palatur; quidam principum, ut primi posuisse bellum viderentur, in civitates quae societatem Romanam non exuerant perfugerunt. Legiones a Novaesio Bonnaque in Treviros, ut supra memoravimus, traductae se ipsae in verba Vespasiani adigunt. Haec Valentino absente gesta; qui ubi adventabat, furens cunctaque rursus in turbas et exitium conversurus, legiones in Mediomatricos, sociam civitatem, abscessere: Valentinus ac Tutor in arma Treviros retrahunt, occisis Herennio ac Numisio legatis, quo minore spe veniae cresceret vinculum sceleris.

71 Hic belli status erat, cum Petilius Cerialis Mogontiacum venit. Eius adventu erectae spes; ipse pugnae avidus, et contemnendis quam cavendis hostibus melior, ferocia verborum militem incendebat, ubi primum congredi licuisset, nullam proelio moram facturus. Dilectus per Galliam habitos in civitates remittit ac nuntiare iubet sufficere imperio legiones: socii ad munia pacis redirent, securi velut confecto bello, quod Romanae manus excepissent. Auxit ea res Gallorum obsequium: nam recepta iuventute facilius tributa toleravere, proniores ad officia, quod spernebantur. At Civilis et Classicus ubi pulsum Tutorem, caesos Treviros, cuncta hostibus prospera accepere, trepidi ac properantes, dum dispersas suorum copias conducunt, crebris interim nuntiis Valentinum monuere ne summae rei periculum faceret. Eo rapidius Cerialis, missis in Mediomatricos qui breviore itinere legiones in hostem verterent, contracto quod erat militum Mogontiaci, quantumque secum transvexerat, tertiis castris Rigodulum venit, quem locum magna Trevirorum manu Valentinus insederat, montibus aut Mosella amne septum; et addiderat fossas obicesque saxorum. Nec deterruere ea munimenta Romanum ducem quo minus peditem perrumpere iuberet, equitum aciem in collem erigeret, spreto hoste, quem temere collectum haut ita loco iuvari, ut non plus suis in

3 perfugerunt *G*: perfugerent *pr*, perfugere *corr* anouesio 4 ipsae *Ernesti*: ipsas 6 cuncta quę 8 abscessere *G*: absessere 9 minores *pr* 14 licuisset *G*: liguisset 15 facturus *G*: facturis 18 auxit *G*: Ausit 20 at] Ad 32 erigeret *Puteolanus*: frigeret 33 haut (h *vetere m.*) iuuari] *immo* iuuari putabat

virtute foret. Paulum morae in ascensu, dum missilia hostium praevehuntur: ut ventum in manus, deturbati ruinae modo praecipitantur. Et pars equitum aequioribus iugis circumvecta nobilissimos Belgarum, in quis ducem Valentinum, ce-
5 pit. Cerialis postero die coloniam Trevirorum ingressus est, 72
avido milite eruendae civitatis. Hanc esse Classici, hanc Tutoris patriam; horum scelere clausas caesasque legiones. Quid tantum Cremonam meruisse, quam e gremio Italiae raptam, quia unius noctis moram victoribus attulerit? stare in con-
10 finio Germaniae integram sedem spoliis exercituum et ducum caedibus ovantem. Redigeretur praeda in fiscum: ipsis sufficere ignes et rebellis coloniae ruinas, quibus tot castrorum excidia pensarentur. Cerialis *moderatione an* metu infamiae, si licentia saevitiaque inbuere militem crederetur, pressit iras;
15 et paruere, posito civium bello ad externa modestiores. Convertit inde animos accitarum e Mediomatricis legionum miserabilis aspectus. Stabant conscientia flagitii maestae, fixis in terram oculis: nulla inter coeuntes exercitus consalutatio; neque solantibus hortantibusve responsa dabant, abditi per
20 tentoria et lucem ipsam vitantes. Nec perinde periculum aut metus quam pudor ac dedecus obstupefecerant, attonitis etiam victoribus, qui vocem precesque adhibere non ausi lacrimis ac silentio veniam poscebant, donec Cerialis mulceret animos, fato acta dictitans, quae militum ducumque discordia
25 vel fraude hostium evenissent. Primum illum stipendiorum et sacramenti diem haberent: priorum facinorum neque imperatorem neque se meminisse. Tunc recepti in eadem castra, et edictum per manipulos, ne quis in certamine iurgiove seditionem aut cladem commilitoni obiectaret. Mox 73
30 Treviros ac Lingonas ad contionem vocatos ita adloquitur. 'Neque ego umquam facundiam exercui, et populus Romanus virtutem armis adfirmavit: sed quia apud vos verba plurimum valent, bonaque ac mala non sua natura sed vocibus seditio-

1 *fortasse* roboris foret 10 ducum *G*: cū 13 *moderatione an metu: ame tu (metu *L*) 18 consalutatio *G*: c̄sultatio 20 perinde *B*: ꝓinde 21 *obstupefecerant: obstupefecerat 26 sa menti (era *apposuit rec. m.*) 30 contionum 31 populus Romanus *Nipperdey*: populi romani 32 affirmaui ꝛ quia *G*: q̄ (quoniam ꝛ)

sorum aestimantur, statui pauca disserere, quae profligato bello utilius sit vobis audisse quam nobis dixisse. Terram vestram ceterorumque Gallorum ingressi sunt duces imperatoresque Romani nulla cupidine, sed maioribus vestris invocantibus, quos discordiae usque ad exitium fatigabant; et acciti auxilio Germani sociis pariter atque hostibus servitutem inposuerant. Quot proeliis adversus Cimbros Teutonosque, quantis exercituum nostrorum laboribus quove eventu Germanica bella tractaverimus, satis clarum. Nec ideo Rhenum insedimus, ut Italiam tueremur, sed ne quis alius Ariovistus regno Galliarum poteretur. An vos cariores Civili Batavisque et transrhenanis gentibus creditis quam maioribus eorum patres avique vestri fuerunt? Eadem semper causa Germanis transcendendi in Gallias, libido atque avaritia et mutandae sedis amor, ut relictis paludibus et solitudinibus suis fecundissimum hoc solum vosque ipsos possiderent: ceterum libertas et speciosa nomina praetexuntur; nec quisquam alienum servitium et dominationem sibi concupivit *ita*, ut non
74 eadem ista vocabula usurparet. Regna bellaque per Gallias semper fuere, donec in nostrum ius concederetis. Nos, quamquam totiens lacessiti, iure victoriae id solum vobis addidimus, quo pacem tueremur: nam neque quies gentium sine armis neque arma sine stipendiis neque stipendia sine tributis haberi queunt; cetera in communi sita sunt. Ipsi plerumque legionibus nostris praesidetis, ipsi has aliasque provincias regitis; nihil separatum clausumve. Et laudatorum principum usus ex aequo quamvis procul agentibus, saevi proximis ingruunt. Quomodo sterilitatem aut nimios imbres et cetera naturae mala, ita luxum vel avaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt, donec homines, sed neque haec continua et meliorum interventu pensantur: nisi forte Tutore et Classico regnantibus moderatius imperium speratis, aut minoribus quam nunc tributis parabuntur exercitus quibus Germani Britannique arceantur. Nam pulsis, quod dei prohi-

1 estimantur 7 quot *G*: quod 11 potiretur ciuilis uatauisq; 13 fuer̃ 14 *fortasse* libido auri 18 *ita: om (cf. c. 71 cet.)* 34 brittannique pulsis *G*: pulsi *dei: dii

beant, Romanis quid aliud quam bella omnium inter se gentium existent? Octingentorum annorum fortuna disciplinaque compages haec coaluit, quae convelli sine exitio convellentium non potest: sed vobis maximum discrimen, penes quos aurum et opes, praecipuae bellorum causae. Proinde pacem et urbem, quam victi victoresque eodem iure obtinemus, amate colite: moneant vos utriusque fortunae documenta ne contumaciam cum pernicie quam obsequium cum securitate malitis.' Tali oratione graviora metuentes conposuit erexitque.

Tenebantur victore exercitu Treviri, cum Civilis et Classicus misere ad Cerialem epistulas, quarum haec sententia fuit: Vespasianum, quamquam *amici* nuntios occultarent, excessisse vita, urbem atque Italiam interno bello consumptam, Muciani ac Domitiani vana et sine viribus nomina; si Cerialis imperium Galliarum velit, ipsos finibus civitatium suarum contentos: si proelium mallet, ne id quidem abnuere. Ad ea Cerialis Civili et Classico nihil: eum qui attulerat ipsasque epistulas ad Domitianum misit. 75

Hostes divisis copiis advenere undique. Plerique culpabant Cerialem passum iungi quos discretos intercipere licuisset. Romanus exercitus castra fossa valloque circumdedit, quis temere antea intutis consederat. Apud Germanos diversis sententiis certabatur. Civilis opperiendas Transrhenanorum gentes, quarum terrore fractae populi Romani vires optererentur: Gallos quid aliud quam praedam victoribus? Et tamen, quod roboris sit, Belgas secum palam aut voto stare. Tutor cunctatione crescere rem Romanam adfirmabat, coeuntibus undique exercitibus: transvectam e Britannia legionem, accitas ex Hispania, adventare ex Italia; nec subitum militem, sed veterem expertumque belli. Nam Germanos, qui ab ipsis sperentur, non iuberi, non regi, sed cuncta ex libidine agere; pecuniamque ac dona, quis solis corrumpantur, 76

11 treueri 13 *quamquam amici : quānquā *pr*, quanquā *corr* 16 ipsos *G* : ipso 18 ciuilis *pr* nihil *h. l.* attŏlerat ipsasque *Acidalius* : ipsas 28 cunctatio nec res gererē romanam (c *retere m.*) 29 brittannia

maiora apud Romanos, et neminem adeo in arma pronum, ut non idem pretium quietis quam periculi malit. Quod si statim congrediantur, nullas esse Ceriali nisi e reliquiis Germanici exercitus legiones, foederibus Galliarum obstrictas. Idque ipsum, quod inconditam nuper Valentini manum contra spem suam fuderint, alimentum illis ducique temeritatis: ausuros rursus venturosque in manus non inperiti adulescentuli, verba et contiones quam ferrum et arma meditantis, sed Civilis et Classici; quos ubi aspexerint, redituram in animos formidinem, fugam famemque ac totiens captis precariam vitam. Neque Treviros aut Lingonas benivolentia contineri: resumpturos arma, ubi metus abscesserit. Diremit consiliorum diversitatem adprobata Tutoris sententia Classicus statimque
77 exequuntur. Media acies Vbiis Lingonibusque data; dextro cornu cohortes Batavorum, sinistro Bructeri Tencterique. Pars montibus altis, alii viam inter Mosellamque flumen, tam inprovisi adsiluere, ut in cubiculo ac lectulo Cerialis (neque enim noctem in castris egerat) pugnari simul vincique suos audierit, increpans pavorem nuntiantium, donec universa clades in oculis fuit, perrupta legionum castra, fusi equites, medius Mosellae pons, qui ulteriora coloniae adnectit, ab hostibus insessus. Cerialis turbidis rebus intrepidus et fugientes manu retrahens, intecto corpore promptus inter tela, felici temeritate et fortissimi cuiusque adcursu reciperatum pontem electa manu firmavit. Mox in castra reversus palantes captarum apud Novaesium Bonnamque legionum manipulos et rarum apud signa militem ac prope circumventas aquilas videt. Incensus ira 'non Flaccum' inquit, 'non Voculam deseritis. Nulla hic proditio; neque aliud excusandum habeo quam quod vos Gallici foederis oblitos redisse in memoriam Romani sacramenti temere credidi. Adnumerabor Numisiis et Herenniis, ut omnes legati vestri aut militum

2 malit *G*: mallit 3 reliquiis *G*: reliqis germanici ς: germanicis 4 fœderib; 7 imperiti adolescentuli *R*: Inperiti c..... ullu (*sic; quinque litterae in fine versus erasae et totidem in proximo*) 10 fugam famāq: 13 adprobatā classicus *G*: classibus 16 *altis, alii: alii alii improuisi *R*: Inprouisa 21 mosallę 26 nouesiū bonāq: 30 gallicis *pr* fœderis redisse in *L*: p̃dixerī

manibus aut hostium ceciderint. Ite, nuntiate Vespasiano vel, quod propius est, Civili et Classico, relictum a vobis in acie ducem: venient legiones quae neque me inultum neque vos impunitos patiantur.' Vera erant, et a tribunis prae- 78
fectisque eadem ingerebantur. Consistunt per cohortes et manipulos: neque enim poterat patescere acies effuso hoste et impedientibus tentoriis sarcinisque, cum intra vallum pugnaretur. Tutor et Classicus et Civilis suis quisque locis pugnam ciebant, Gallos pro libertate, Batavos pro gloria, Germanos ad praedam instigantes. Et cuncta pro hostibus erant, donec legio unaetvicesima patentiore quam ceterae spatio conglobata sustinuit ruentes, mox inpulit. Nec sine ope divina mutatis repente animis terga victores vertere. Ipsi territos se cohortium aspectu ferebant, quae primo impetu disiectae summis rursus iugis congregabantur ac speciem novi auxilii fecerant: sed obstitit vincentibus pravum inter ipsos certamen, omisso hoste spolia consectandi. Cerialis ut incuria prope rem afflixit, ita constantia restituit; secutusque fortunam castra hostium eodem die capit excinditque. Nec 79
in longum quies militi data. Orabant auxilium Agrippinenses offerebantque uxorem ac sororem Civilis et filiam Classici, relicta sibi pignora societatis. Atque interim dispersos in domibus Germanos trucidaverant; unde metus et iustae preces invocantium *auxilium*, antequam hostes reparatis viribus ad spemvel ad ultionem accingerentur. Namque et Civilis illuc intenderat, non invalidus, flagrantissima cohortium suarum integra, quae ex Chaucis Frisiisque composita Tolbiaci in finibus Agrippinensium agebat: sed tristis nuntius avertit, deletam cohortem dolo Agrippinensium, qui largis epulis vinoque sopitos Germanos, clausis foribus, igne iniecto cremavere: simul Cerialis propero agmine subvenit. Circumsteterat Civilem et alius metus, ne quarta decima legio adiuncta Bri-

9 gloriā 11 xxj 12 conglouatā (*lineam induxit rec. m.*) 16 prauom 18 Incuriā *pr* 24 *auxilium, antequam : antequam 25 *fortasse* iter illuc 26 intenderet (*at retere m.*) 26 integra, quae e Chaucis *Pichena*: integraq; et e cauchis (de *pro* ex *uel* e *Weissenborn*) 28 adauertit 29 epulis 32 quartadecima — brittannica

tannica classe adflictaret Batavos, qua Oceano ambiuntur. Sed legionem terrestri itinere Fabius Priscus legatus in Nervios Tungrosque duxit, eaeque civitates in deditionem acceptae: classem ultro Canninefates adgressi sunt maiorque pars navium depressa aut capta. Et Nerviorum multitudinem, sponte commotam ut pro Romanis bellum capesseret, iidem Canninefates fudere. Classicus quoque adversus equites Novaesium a Ceriale praemissos secundum proelium fecit; quae modica sed crebra damna famam victoriae nuper partae lacerabant.

80 Isdem diebus Mucianus Vitellii filium interfici iubet, mansuram discordiam obtendens, ni semina belli restinxisset. Neque Antonium Primum adsciri inter comites ab Domitiano passus est, favore militum anxius et superbia viri, aequalium quoque, adeo superiorum intolerantis. Profectus ad Vespasianum Antonius ut non pro spe sua excipitur, ita neque averso imperatoris animo. Trahebatur in diversa, hinc meritis Antonii, cuius ductu confectum haud dubie bellum erat, inde Muciani epistulis; simul ceteri ut infestum tumidumque insectabantur, adiunctis prioris vitae criminibus. Neque ipse deerat adrogantia vocare offensas, nimius commemorandis quae meruisset: alios ut inbelles, Caecinam ut captivum ac dediticium increpat. Vnde paulatim levior viliorque haberi, manente tamen in speciem amicitia.

81 Per eos menses, quibus Vespasianus Alexandriae statos aestivis flatibus dies et certa maris opperiebatur, multa miracula evenere, quis caelestis favor et quaedam in Vespasianum inclinatio numinum ostenderetur. E plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus genua eius advolvitur, remedium caecitatis exposcens gemitu, monitu Serapidis dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit; precabaturque principem ut genas et oculorum orbes dignaretur respergere

3 ea ęque 4 cannenefates 6 idem cannene fates 13 ab Domit. *Doederlein*: addomitiano (a Dom. ꝫ) 14 ancxius 15 ad *G*: a 17 auerso *G*: ad ūso 22 captiuo[ne] 24 mante (ne *vetere m.*) 27 caelestis *R*: celis c̃ fabor *pr* [d]ata *vetere m.*)

oris excremento. Alius manum aeger, eodem deo auctore, ut pede ac vestigio Caesaris calcaretur orabat. Vespasianus primo inridere aspernari; atque illis instantibus modo famam vanitatis metuere, modo obsecratione ipsorum et vocibus adulantium in spem induci. Postremo aestimari a medicis iubet, an talis caecitas ac debilitas ope humana superabiles forent. Medici varia edisserere: huic non exesam vim luminis et redituram, si pellerentur obstantia; illi elapsos in pravum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari. Id fortasse cordi deis, et divino ministerio principem electum; denique patrati remedii gloriam penes Caesarem, irriti ludibrium penes miseros fore. Igitur Vespasianus cuncta fortunae suae patere ratus nec quicquam ultra incredibile, laeto ipse vultu, erecta quae adstabat multitudine, iussa exequitur. Statim conversa ad usum manus, ac caeco reluxit dies. Vtrumque qui interfuere nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium.

Altior inde Vespasiano cupido adeundi sacram sedem, 82
ut super rebus imperii consuleret; arceri templo cunctos iubet. Atque ingressus intentusque numini respexit pone tergum e primoribus Aegyptiorum nomine Basiliden, quem procul Alexandria plurium dierum itinere et aegro corpore detineri haud ignorabat. Percunctatur sacerdotes num illo die Basilides templum inisset, percunctatur obvios num in urbe visus sit; denique missis equitibus explorat, illo temporis momento octoginta milibus passuum afuisse: tunc divinam speciem et vim responsi ex nomine Bàsilidis interpretatus est.

Origo dei nondum nostris auctoribus celebrata: Aegyptio- 83
rum antistites sic memorant, Ptolemaeo regi, qui Macedonum primus Aegypti opes firmavit, cum Alexandriae recens conditae moenia templaque et religiones adderet, oblatum per

1 manu ς dō 5 estimari (existimari *Ernesti*) 7 *uaria edisserere : uariae disserere (*cf. ad* 1 11) 9 integrari *G* : Integrare cordi deis *corr*, cordides *pr* 11 pęnes *utrobique* irriti (*sic*) 13 qcquā uoltu
u
26 afuisse 29 dī egyptiorum, *mox* egypti 30 Ptolemeo, *mox* ptolemeus, *tum* ptolomeus

quietem decore eximio et maiore quam humana specie iuvenem, qui moneret ut fidissimis amicorum in Pontum missis effigiem suam acciret; laetum id regno, magnamque et inclutam sedem fore quae excepisset: simul visum eundem iuvenem in caelum igne plurimo attolli. Ptolemaeus omine et miraculo excitus sacerdotibus Aegyptiorum, quibus mos talia intellegere, nocturnos visus aperit. Atque illis Ponti et externorum parum gnaris, Timotheum Atheniensem, e gente Eumolpidarum, quem ut antistitem caerimoniarum Eleusine exciverat, quaenam illa superstitio, quod numen, interrogat. Timotheus quaesitis qui in Pontum meassent, cognoscit urbem illic Sinopen, nec procul templum vetere inter accolas fama Iovis Ditis: namque et muliebrem effigiem adsistere, quam plerique Proserpinam vocent. Sed Ptolemaeus, ut sunt ingenia regum, pronus ad formidinem, ubi securitas rediit, voluptatum quam religionum adpetens, neglegere paulatim aliasque ad curas animum vertere, donec eadem species terribilior iam et instantior exitium ipsi regnoque denuntiaret, ni iussa patrarentur. Tum legatos et dona Scydrothemidi regi (is tunc Sinopensibus imperitabat) expediri iubet; praecepitque navigaturis ut Pythicum Apollinem adeant. Illis mare secundum, sors oraculi haud ambigua: irent simulacrum-
84 que patris sui reveherent, sororis relinquerent. Vt Sinopen venere, munera preces mandata regis sui Scydrothemidi allegant. Qui versus animi modo numen pavescere, modo minis adversantis populi terreri; saepe donis promissisque legatorum flectebatur. Atque interim triennio exacto Ptolemaeus non studium, non preces omittere: dignitatem legatorum, numerum navium, auri pondus augebat. Tum minax facies Scydrothemidi offertur, ne destinata deo ultra moraretur: cunctantem varia pernicies morbique et manifesta caelestium ira graviorque in dies fatigabat. Advocata contione iussa

3 inclytam (*c.* 84 inclutam) 6 miracula *pr* 9 Eleusine *Gronovius*: eleusim 14 ut ut sunt 17 uertere *G*: uerteret eadem *G*: eadē 19 patrarentur *G*: paterentur 20 praecipitque ς 24 alegant 25 diuersus animi *Puteolanus* 27 ptoloms, *mox* ptolomeique, *dein* ptolomeo, *tum* ptolomeū 30 scidrothemidi 31 manifesta *G*: manista 32 Ius sanu nis (mi *alia m.*)

numinis, suos Ptolemaeique visus, ingruentia mala exponit: vulgus aversari regem, invidere Aegypto, sibi metuere templumque circumsedere. Maior hinc fama tradidit deum ipsum adpulsas litori navis sponte conscendisse. Mirum inde dictu, tertio die tantum maris emensi Alexandriam adpelluntur. Templum pro magnitudine urbis extructum *in* loco cui nomen Rhacotis; fuerat illic sacellum Serapidi atque Isidi antiquitus sacratum. Haec de origine et advectu dei celeberrima. Nec sum ignarus esse quosdam qui Seleucia, urbe Syriae, accitum, regnante Ptolemaeo quem tertia aetas tulit; alii auctorem eundem Ptolemaeum, sedem ex qua transierit Memphim perhibent, inclutam olim et veteris Aegypti columen. Deum ipsum multi Aesculapium, quod medeatur aegris corporibus, quidam Osirin, antiquissimum illis gentibus numen, plerique Iovem ut rerum omnium potentem, plurimi Ditem patrem insignibus *templi* quaeque in ipso manifesta, aut per ambages coniectant.

At Domitianus Mucianusque antequam Alpibus propinquarent, prosperos rerum in Treviris gestarum nuntios accepere. Praecipua victoriae fides dux hostium Valentinus nequaquam abiecto animo, quos spiritus gessisset, vultu ferebat. Auditus ideo tantum, ut nosceretur ingenium eius, damnatusque, inter ipsum supplicium exprobranti cuidam patriam eius captam, accipere se solacium mortis respondit. Sed Mucianus quod diu occultaverat, ut recens exprompsit: quoniam benignitate deum fractae hostium vires forent, parum decore Domitianum confecto prope bello alienae gloriae interventurum. Si status imperii aut salus Galliarum in discrimine verteretur, debuisse Caesarem in acie stare: Canninefates Batavosque minoribus ducibus delegandos: ipse Luguduni vim fortunamque principatus e proximo ostentaret, nec parvis 85

2 uolgus auersari *Muretus* : aduersari 3 circumsidere *G* 5 tatum *pr* 6 *in : *om* 8 dī 11 memphī 12 aegipti 16 *templi quaeque : queq; (quae *Puteolanus*) 19 treueris acceperunt (e *et puncta vetere m.*) 21 uoltū 28 discriminę 29 *fortasse* uerterentur Cannenefates 30 luguduni, *mox* lugdunum (*cf. ad H.* 2 59) 31 ostentaret *R* : ostentare.

86 periculis inmixtus et maioribus non defuturus. Intellegebantur artes, sed pars obsequii in eo ne deprehenderentur: ita Lugdunum ventum. Vnde creditur Domitianus occultis ad Cerialem nuntiis fidem eius temptavisse, an praesenti sibi exercitum imperiumque traditurus foret. Qua cogitatione bellum adversus patrem agitaverit an opes viresque adversus fratrem, in incerto fuit: nam Cerialis salubri temperamento elusit ut vana pueriliter cupientem. Domitianus sperni a senioribus iuventam suam cernens, modica quoque et usurpata antea munia imperii omittebat, simplicitatis ac modestiae imagine in altitudinem conditus, studiumque litterarum et amorem carminum simulans, quo velaret animum et fratris aemulationi *se* subduceret, cuius disparem mitioremque naturam contra interpretabatur.

1 defuturus *G* : defuturos 10 ante ea 13 *se subduceret : subduceret (subduceretur *ed. princeps*) 14 interp̄tabat: neque uos Inpunitos patiantur (*cf. c.* 77 *in fine*) Corneli taciti liber XX. explicit. Incipit XXI.

LIBER V.

BREVIARIVM. C. 1—13. Obsidium urbis Hierosolymorum, origo Iudaeorum et mores. Caesar Titus, perdomandae Iudaeae delectus a patre, magna vi opus aggreditur. Per eam occasionem de primordiis Iudaeorum (1). Varia de origine gentis Iudaicae tradita (2). Plurimi auctores consentiunt, orta per Aegyptum tabe quae corpora foedaret, id genus hominum inde pulsum esse. Ceteris per lacrimas in vastis locis torpentibus ducem se obtulit Moyses, et septem dierum spatio obtinuere terras, in quibus urbs et templum dicata (3). Moyses novos ritus contrariosque ceteris mortalibus indidit (4). Pessimus quisque spretis religionibus patriis tributa et stipes illuc congerebant. Mente sola unumque numen Iudaei intellegunt (5) Fines terrae, soli ubertas et fruges, in quibus balsamum et palmae. Praecipuus montium Libanus, fluviorum Iordanes. Iordanes ingenti lacu retinetur. Eius lacus ingenium et bituminis ibi legendi usus (6). Haud procul inde campi quos ferunt fulminum iactu arsisse. Circa os Beli amnis arenae admixto nitro in vitrum excoquuntur (7). Res Iudaeorum ante obsidionem atque extremum urbis diem (8—10). Obsessi continuis damnis a Tito intra moenia pelluntur. Munimenta Hierosolymorum firma et varia, ab ingenti multitudine insessa et defensa, tribus ducibus, mox duobus (11—12). Prodigia futurae cladis. Apud obsessores cuncta expugnandis urbibus reperta parantur (13). Hinc in diversam partem terrarum narrator se convertit, mox ad inchoata rediturus.

C. 14—26. Belli Germanici reliquiae. Civilis post malam in Treviris pugnam reparato per Germaniam exercitu apud Vetera consedit; secutus est eodem Cerialis duplicatis copiis. Romani fraude locorum paene circumventi (14—15). Postero die vincuntur Germani (16—18). Civilis Batavodurum armis tueri non ausus Rhenum (Vahalem) transgressus in insulam concessit; sequuntur alii partium ductores; inde Romana praesidia tripartito exercitu uno die invadunt (19—21). Cerialis Novaesium Bonnamque profectus in regressu periculum vix vitavit, infamiam contraxit, naves amisit (22). Civilis navalem aciem ostentat, temptatoque levi proelio trans Rhenum concessit (23). Batavorum animi ad pacem inclinant. Quod ubi animadvertit Civilis, pacisci cum Ceriale animum induxit. Eius cum duce Romano colloquium (24—26).

Sed in media Civilis verba fortuna improspera irrupit, pacis conditiones, Civilis postrema, Velaedae fata, tum Hierosolymorum expugnationem altera parte huius libri narratam, et cetera usque ad caedem Domitiani (a. 96 a Chr.) posteris abstulit. Desunt autem septem libri et maior pars quinti, anni viginti sex, et tot defuere iam saeculo undecimo, cum superstites Historiarum libri cum parte altera Annalium describebantur. Conf. Prooemium editionis meae Cantabrig. c. 29. De ambitu operis et duodenario librorum numero dictum ibidem c. 12—16.

Eiusdem anni principio Caesar Titus, perdomandae Iu- 1
daeae delectus a patre et privatis utriusque rebus militia clarus, maiore tum vi famaque agebat, certantibus provincia-

1 iudeae. *mox* iudeis *cet.* 2 priuatis *R* : p̄latis

rum et exercituum studiis. Atque ipse, ut super fortunam crederetur, decorum se promptumque in armis ostendebat, comitate et adloquiis officia provocans ac plerumque in opere, in agmine gregario militi mixtus, incorrupto ducis honore. Tres eum in Iudaea legiones, quinta et decima et quinta decima, vetus Vespasiani miles, excepere. Addidit e Syria duodecumam et adductos Alexandria duoetvicensimanos tertianosque; comitabantur viginti sociae cohortes, octo equitum alae, simul Agrippa Sohaemusque reges et auxilia regis Antiochi, validaque et solito inter accolas odio infensa Iudaeis Arabum manus, multi quos urbe atque Italia sua quemque spes acciverat occupandi principem adhuc vacuum. His cum copiis fines hostium ingressus composito agmine, cuncta explorans paratusque decernere, haud procul Hierosolymis castra facit.

2 Sed quia famosae urbis supremum diem traditurus sumus, congruens videtur primordia eius aperire. Iudaeos Creta insula profugos novissima Libyae insedisse memorant, qua tempestate Saturnus vi Iovis pulsus cesserit regnis. Argumentum e nomine petitur: inclutum in Creta Idam montem, accolas Idaeos aucto in barbarum cognomento Iudaeos vocitari. Quidam regnante Iside exundantem per Aegyptum multitudinem ducibus Hierosolymo ac Iuda proximas in terras exoneratam; plerique Aethiopum prolem, quos rege Cepheo metus atque odium mutare sedes perpulerit. Sunt qui tradant Assyrios convenas, indigum agrorum populum, parte Aegypti potitos mox proprias urbes Hebraeasque terras et propiora Syriae coluisse; clara alii Iudaeorum initia, Solymos, carminibus Homeri celebratam gentem, conditae urbi Hierosolyma nomen
3 e suo fecisse. Plurimi auctores consentiunt, orta per Aegyptum tabe quae corpora foedaret, regem Bocchorim, adito Hammonis oraculo remedium petentem, purgare regnum et id genus hominum ut invisum deis alias in terras avehere

1 super fortunam *L*: superiori unam 7 duodecuma (duodecimam *G*) abductos *corr* G alexandriā *pr* duoetuicensimano 14 hierosolimis 16 quia *G*: q̃ 20 Inclytū 22 ęgiptum 25 *potius* perpulerint 27 hebreasq; propora *pr* 29 hierosolyma *pr*, hierosolymā *corr* nomen e *R*: nomine

iussum. Sic conquisitum collectumque vulgus postquam vastis locis relictum sit, ceteris per lacrimas torpentibus, Moysen, unum exulum, monuisse, nequam deorum hominumve opem expectarent utrisque deserti, set sibimet duces caeleste id crederent, primo cuius auxilio praesentes miserias pepulissent. Adsensere, atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil aeque quam inopia aquae fatigabat: iamque haud procul exitio totis campis procubuerant, cum grex asinorum agrestium e pastu in rupem nemore opacam concessit. Secutus Moyses coniectura herbidi soli largas aquarum venas aperit. Id levamen, et continuum sex dierum iter emensi, septimo pulsis cultoribus optinuere terras, in quis urbs et templum dicata. Moyses quo sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus contrariosque ceteris mortalibus indidit. Profana illic omnia quae apud nos sacra: rursum concessa apud illos quae nobis incesta. Effigiem animalis, quo monstrante errorem sitimque depulerant, *in* penetrali sacravere, caeso ariete velut in contumeliam Hammonis. Bos quoque immolatur, quoniam Aegyptii Apin colunt. Sue abstinent memoria cladis, qua ipsos scabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium. Longam olim famem crebris adhuc ieiuniis fatentur; et raptarum frugum argumentum panis Iudaicus nullo fermento detinetur. Septimo die otium placuisse ferunt, quia is finem laborum tulerit; dein blandiente inertia septimum quoque annum ignaviae datum. Alii honorem eum Saturno haberi, seu principia religionis tradentibus Idaeis, quos cum Saturno pulsos et conditores gentis accepimus, seu quod de septem sideribus, quis mortales reguntur, altissimo orbe et praecipua potentia stella Saturni feratur; ac pleraque

1 uolgus uastis Arabiae locis *Tertullianus Apol. c.* 16 2 mosen (y *vetere m.*) 3 nequā 4 ab utrisque *Orosius* 1 10 set] et (sed ς *et Orosius*) duces *Iacob* : duce (duci ς *et Orosius*) *caeleste id : caelesti 5 praesentes ς *et Orosius* : credentes p̄sentes 16 onagri animalis 17 *in : *om* 19 quoniam *Orelli* : q̃ (quem Aegyptii [Apin] colunt *Haase*) sues *pr* 20 memoria ς *et recens m. in Mediceo* : merito 26 Idaeis *L* : Iudaeis 28 syderibus mortales res *Wurm*

caelestium vi sua et cursu septimos per numeros commeare. Hi ritus, quoquo modo inducti, antiquitate defenduntur: cetera instituta, sinistra foeda, pravitate valuere. Nam pessimus quisque spretis religionibus patriis tributa et stipes illuc congerebant, unde auctae Iudaeorum res, et quia apud ipsos fides obstinata, misericordia in promptu, sed adversus omnes alios hostile odium. Separati epulis, discreti cubilibus, proiectissima *quamquam* ad libidinem gens, alienigenarum concubitu abstinent: inter se nihil inlicitum. Circumcidere genitalia instituerunt, ut diversitate noscantur. Transgressi in morem eorum idem usurpant, nec quidquam prius inbuuntur quam contemnere deos, exuere patriam, parentes liberos fratres vilia habere. Augendae tamen multitudini consulitur: nam et necare quemquam ex agnatis nefas, animosque proelio aut suppliciis peremptorum aeternos putant: hinc generandi amor et moriendi contemptus. Corpora condere quam cremare e more Aegyptio, eademque cura et de infernis persuasio, caelestium contra. Aegyptii pleraque animalia effigiesque compositas venerantur, Iudaei mente sola unumque numen intellegunt: profanos qui deum imagines mortalibus materiis in species hominum effingant: summum illud et aeternum neque imitabile neque interiturum. Igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sinunt; non regibus haec adulatio, non Caesaribus honor. Sed quia sacerdotes eorum tibia tympanisque concinebant, hedera vinciebantur, vitisque aurea *in* templo reperta, Liberum patrem coli, domitorem Orientis, quidam arbitrati sunt, nequaquam congruentibus institutis. Quippe Liber festos laetosque ritus posuit, Iudaeorum mos absurdus sordidusque.

6 Terra finesque qua ad orientem vergunt, Arabia termi-

1 *ui sua : uim suam (uiam suam *Bezzenberger*) *cursu : cursus (cursum ꝯ) commeare ꝯ : commearent 2 hi *B* : Ii, *corr* Is antiquitatē 3 fœda 5 congerebant *Puteolanus* : gerebant 7 *proiectissima quamquam : proiectissima 8 *alienigenarum : alienarum 10 instituer̄ 12 contēpnere 14 aīosq; (*ut* 18 aīalia *pro animalia*) 17 egyptio 20 ϗphanos 22 Imitabilē *pr* in urbibus *potius* 23 sinunt *Gronovius* : sunt (*pro* sĩunt; sistunt *Doederlein*) 25 concinebant *G* : c̃tinebant hędera *aurea *in* : aurea 30 arabiā *pr*

nantur; a meridie Aegyptus obiacet, ab occasu Phoenices et mare; septentrionem e latere Syriae longe prospectant. Corpora hominum salubria et ferentia laborum. Rari imbres, uber solum: [exuberant] fruges nostrum ad morem praeterque eas balsamum et palmae. Palmetis proceritas et decor, balsamum modica arbor: ut quisque ramus intumuit, si vim ferri adhibeas, pavent venae; fragmine lapidis aut testa aperiuntur; umor in usu medentium est. Praecipuum montium Libanum *terra* erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum fidumque nivibus; idem amnem Iordanen alit funditque. Nec Iordanes pelago accipitur, sed unum atque alterum lacum integer perfluit, tertio retinetur. Lacus inmenso ambitu, specie maris, sapore corruptior, gravitate odoris accolis pestifer, neque vento inpellitur neque pisces aut suetas aquis volucres patitur. Inertes undae superiacta, ut solido, ferunt; periti imperitique nandi perinde attolluntur. Certo *tempore* anni bitumen egerit, cuius legendi usum, ut ceteras artes, experientia docuit. Ater suapte natura liquor et sparso aceto concretus innatat; hunc manu captum, quibus ea cura, in summa navis trahunt: inde nullo iuvante influit oneratque, donec abscindas. Nec abscindere aere ferrove possis: fugit cruorem vestemque infectam sanguine quo feminae per menses exsolvuntur. Sic veteres auctores: sed gnari locorum tradunt undantes bitumine moles pelli manuque trahi ad litus; mox, ubi vapore terrae, vi solis inaruerint, securibus cuneisque ut trabes aut saxa discindi. Haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes magnisque urbibus habitatos fulminum iactu arsisse; et manere vestigia, terramque ipsam, specie torridam, vim frugiferam perdidisse. Nam cuncta sponte edita aut manu sata, sive herba tenus aut flore seu solitam in speciem

1 fẹnices 2 elatere siriẹ 4 fruges *L*: exuperant fruges *pr*, exuberant fr. (*vetere m. corr*) 8 humor (*cf. ad* 1 68) 9 *terra erigit: erigit 10 amnem *recens scriptura*, agm̄ *vetus* 12 Inm̄so 15 inertes *Heinsius*: Incertes *eraso* s (incertae ꝫ) 16 *certo tempore anni: certo anni (certo anni tpre *scriptura recens superp., tum a m. non recenti super versum est* tp̄r) 24 trahi *recens scriptura*: trai *vetus*) 28 torridam ꝫ: torrida 30 herba tenus aut flore *R*: herbas tenues aut flores seu solidam *Salmasius*

adolevere, atra et inania velut in cinerem vanescunt. Ego sicut inclutas quondam urbes igne caelesti flagrasse concesserim, ita halitu lacus infici terram, corrumpi superfusum spiritum, eoque fetus segetum et autumni putrescere reor, solo caeloque iuxta gravi. At Belus amnis Iudaico mari inlabitur, circa cuius os lectae arenae admixto nitro in vitrum excocuntur. Modicum id litus, set egerentibus inexhaustum.

8 Magna pars Iudaeae vicis dispergitur; habent et oppida; Hierosolyma genti caput. [Illic inmensae opulentiae templum, et primis munimentis urbs, dein regia, templum intimis clausum. Ad fores tantum Iudaeo aditus, limine praeter sacerdotes arcebantur.] Dum Assyrios penes Medosque et Persas Oriens fuit, despectissima pars servientium: postquam Macedones praepolluere, rex Antiochus demere superstitionem et mores Graecorum dare adnisus, quo minus teterrimam gentem in melius mutaret, Parthorum bello prohibitus est[: nam ea tempestate Arsaces desciverat]. Tum Iudaei, Macedonibus invalidis, Parthis nondum adultis, [et Romani procul erant,] sibi ipsi reges inposuere; qui mobilitate vulgi expulsi, resumpta per arma dominatione, fugas civium, urbium eversiones, fratrum coniugum parentum neces aliaque solita regibus ausi superstitionem fovebant, quia honor sacerdotii
9 firmamentum potentiae adsumebatur. Romanorum primus Cn. Pompeius Iudaeos domuit, templumque iure victoriae ingressus est: inde vulgatum nulla intus deum effigie vacuam sedem et inania arcana. Muri Hierosolymorum diruti, delubrum mansit. Mox civili [interno] bello postquam in ditionem M. Antonii *Orientis* provinciae cesserant, rex Parthorum Pacorus Iudaea potitus interfectusque a. P. Ventidio,

1 atra] *ante erasa est littera* ego] *litterae* ɛ *et* o *perspicuae sunt, non* g : *superposita scriptura recens habet* Et 2 inclitas ς *et Orosius,* Indi cas (*sic*) 3 halitu *G* : alitu 4 autumni *G* : atumni 5*At : Et Belus *R* : bel lus 6 lecte harene nitro ς : uitro (ui *in rasura*) 7 sed *R* : et 9 *[illic — arcebantur] 10 dein regia *Mercerus* : de ingia 12 persas *G* : psaxas 14 praepolluere *Halm* : praepotuere (*cf.* 2 52, 6 42 (48), 11 14) 16 [nam — desciuerat] *Ernesti* 18 *[et — erant] 19 si^{bi} uolgis epulsi 24 CN. (*sic*) 25 uolgatum 27 [interno] *Ernesti* (ciuili inter nos *Agricola; cf.* c. 10) 28 dicionē *Orientis prouiuciae : prouinciae 29 a .p. *G* : ap.

et Parthi trans Euphraten redacti: Iudaeos C. Sosius subegit. Regnum ab Antonio Herodi datum victor Augustus auxit. Post mortem Herodis, nihil expectato Caesare, Simo quidam regium nomen invaserat. Is a Quintilio Varo, optinente Syriam, punitus, et gentem coercitam liberi Herodis tripertito rexere. Sub Tiberio quies. Dein iussi a C. Caesare effigiem eius in templo locare arma potius sumpsere, quem motum Caesaris mors diremit. Claudius, defunctis regibus aut ad modicum redactis, Iudaeam provinciam equitibus Romanis aut libertis permisit, e quibus Antonius Felix per omnem saevitiam ac libidinem ius regium servili ingenio exercuit, Drusilla, Cleopatrae et Antonii neptę, in matrimonium accepta, ut eiusdem Antonii Felix progener, Claudius nepos esset. Duravit tamen patientia Iudaeis usque ad Gessium Florum 10
procuratorem: sub eo bellum ortum. Et comprimere coeptantem Cestium Gallum, Syriae legatum, varia proelia ac saepius adversa excepere. Qui ubi fato aut taedio occidit, missu Neronis Vespasianus fortuna famaque et egregiis ministris intra duas aestates cuncta camporum omnesque praeter Hierosolyma urbes victore exercitu tenebat. Proximus annus civili bello intentus, quantum ad Iudaeos, per otium transiit. Pace per Italiam parta et externae curae rediere: augebat iras quod soli Iudaei non cessissent; simul manere aput exercitus Titum ad omnes principatus novi eventus casusve utile videbatur.

Igitur castris, uti diximus, ante moenia Hierosolymorum 11
positis instructas legiones ostentavit: Iudaei sub ipsos muros struxere aciem, rebus secundis longius ausuri et, si pellerentur, parato perfugio. Missus in eos eques cum expeditis cohortibus ambigue certavit; mox cessere hostes, et sequenti-

3 nihil *h. l.* simo] simon, *c.* 12 simo 5 triptito 6 tyberio a C.] a$\tilde{g}$. 9 equitibus ·R· 10 oĩa (a *vetere manu in* ẽ *correcta*) 12 matrimoniũ *G*: matrimonia acepta 13 essent *potius* 15 bellu ortu *pr*, bellũ ortũ *corr* coeptantem *R*: recęptantem 17 excepere *G*: excipere 19 intra *R*: inter 20 hierosolyma *pr*, hierosolymã *corr* 22 parta *R*: parata rediere *G*: redire 23 cessessent *pr* 24 utile ę: utili *pr*, utilis *corr* (utilius *Pichena*) 26 męnia (*perinde in sqq.*)
27 positus (i *m. vetere*) proelio instructas *potius* 28 aciēs *pr* 30 ambigu-

bus diebus crebra pro portis proelia serebant, donec assiduis damnis intra moenia pellerentur. Romani ad obpugnandum versi: neque enim dignum videbatur famem hostium opperiri, poscebantque pericula, pars virtute, multi ferocia et cupidine praemiorum. Ipsi Tito Roma et opes voluptatesque ante oculos, ac ni statim Hierosolyma conciderent, morari videbantur. Sed urbem arduam situ opera molesque firmaverant, quis vel plana satis munirentur. Nam duos colles in inmensum editos claudebant muri per artem obliqui aut introrsus sinuati, ut latera obpugnantium ad ictus patescerent. Extrema rupis abrupta; et turres, ubi mons iuvisset, in sexagenos pedes, inter devexa in centenos vicenos[que] attollebantur, mira specie ac procul intuentibus pares. Alia intus moenia, regiae circumiecta, conspicuoque fastigio turris Antonia, in honorem M. Antonii ab Herode appellata. Templum in modum arcis propriique muri, labore et opere ante alios; ipsae porticus, quis templum ambibatur, egregium propugnaculum. Fons perennis aquae, cavati sub terra montes, et piscinae cisternaeque servandis imbribus. Praeviderant conditores ex diversitate morum crebra bella: inde cuncta quamvis adversus longum obsidium; et a Pompeio expugnatis metus atque usus pleraque monstravere. Atque per avaritiam Claudianorum temporum empto iure muniendi struxere muros in pace tamquam ad bellum, *mox* magna conluvie et ceterarum urbium clade aucti: nam pervicacissimus quisque illuc perfugerat, eoque seditiosius agebant. Tres duces, totidem exercitus: extrema et latissima moenium Simo, mediam urbem Iohannes [quem et Bargioram vocabant], templum Eleazarus firmaverant. Multitudine et armis Iohannes ac Simo, Eleazarus loco pollebant: sed proelia dolus incendia inter ipsos,

12 tonia

8 Inmm̃sū (= *in inmensum*) 10 obpugnatium 11 sexagenos *Bekker*: sexaginta 12 uicenos[que] *Haase*: uicenosque 16 opere *Budensis*: opera 19 praeuiderant ς: ꝓuiderant 24 *mox magna: magna (bellum. Tum *Iacob*) c̃lubie (*sic*) 26 seditiosiosius . 28 Iohannes] ioh̃s, *item statim* [quem — uocabant] *Bipontini* Bargioram *L*: barba giorā alazarus (heleazarus *G*) 29 *firmauerant: firmauerat alazarus 30 *pollebant: pollebat

et magna vis frumenti ambusta. Mox Iohannes, missis per speciem sacrificandi qui Eleazarum manumque eius obtruncarent, templo potitur. Ita in duas factiones civitas discessit, donec propinquantibus Romanis bellum externum concordiam pareret. Evenerant prodigia, quae neque hostiis neque votis 13 piare fas habet gens superstitioni obnoxia, religionibus adversa. Visae per caelum concurrere acies, rutilantia arma, et subito nubium igne conlucere templum; exin apertae repente delubri fores et audita maior humana vox, excedere deos; simul ingens motus excedentium. Quae pauci in metum trahebant: pluribus persuasio inerat antiquis sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore ut valesceret Oriens profectique Iudaea rerum poterentur. Quae ambages Vespasianum ac Titum praedixerant: sed vulgus more humanae cupidinis sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati ne adversis quidem ad vera mutabantur. Multitudinem obsessorum, omnis aetatis, virile ac muliebre secus, sexcenta milia fuisse accepimus. Arma cunctis qui ferre possent, et plures quam pro numero audebant. Obstinatio viris feminisque par; ac si transferre sedes cogerentur, maior vitae metus quam mortis. Hanc adversus urbem gentemque Caesar Titus, quando inpetus et subita belli locus abnueret, aggeribus vineisque certare statuit. Dividuntur legionibus munia, et quies proeliorum fuit, donec cuncta expugnandis urbibus reperta apud veteres aut novis ingeniis struerentur.

At Civilis post malam in Treviris pugnam reparato per 14 Germaniam exercitu apud Vetera castra consedit, tutus loco, et ut memoria prosperarum illic rerum augescerent barbarorum animi. Secutus est eodem Cerialis, duplicatis copiis adventu secundae et sextae et quartae decimae legionum; cohortesque et alae iam pridem accitae post victoriam properaverant. Neuter ducum cunctator, sed arcebat latitudo

2 l̊azarum 8 c̃lucere *exin apertae : exptę̣ (et apertae *Haase*) 10 dõs 13 e Iudaea *fortasse* potirentur 14 praedixerant ⸗ : p̃dixerat uolgus 15 magnitudinẽ *G* : magnitudine 17 omnis *G* : hominis secus *pr*, sexus *corr* 26 malã *G* : mala treueris 30 sextae *Mercerus* : xuj. quartae decimae] xuj.

camporum suopte ingenio umentium; addiderat Civilis obliquam in Rhenum molem, cuius obiectu revolutus amnis adiacentibus superfunderetur. Ea loci forma, incertis vadis subdola et nobis adversa: quippe miles Romanus armis gravis et nandi pavidus, Germanos fluminibus suetos levitas armorum et proceritas corporum attollit. Igitur lacessentibus Batavis ferocissimo cuique nostrorum coeptum certamen; deinde orta trepidatio, cum praealtis paludibus arma equi haurirentur. Germani notis vadis persultabant, omissa plerumque fronte latera ac terga circumvenientes. Neque ut in pedestri acie comminus eminus certabatur, sed tamquam navali pugna, vagi inter undas aut, si quid stabile occurrebat, totis illic corporibus nitentes, vulnerati cum integris, periti nandi cum ignaris in mutuam perniciem inplicabantur. Minor tamen quam pro tumultu caedes, quia non ausi egredi paludem Germani in castra rediere. Eius proelii eventus utrumque ducem diversis animi motibus ad maturandum summae rei discrimen erexit. Civilis instare fortunae, Cerialis abolere ignominiam: Germani prosperis feroces, Romanos pudor excitaverat. Nox apud barbaros cantu aut clamore, nostris per iram et minas acta. Postera luce Cerialis equite et auxiliariis cohortibus frontem explet; in secunda acie legiones locatae; dux sibi delectos retinuerat ad inprovisa. Civilis haud porrecto agmine sed cuneis astitit: Batavi Gugernique in dextro, laeva ac propiora flumini Transrhenani tenuere. Exhortatio ducum non more contionis apud universos, sed ut quosque suorum advehebantur. Cerialis veterem Romani nominis gloriam, antiquas recentesque victorias; ut perfidum ignavum victum hostem in aeternum excinderent, ultione magis quam proelio opus esse. Pauciores nuper cum pluribus certasse, ac tamen fusos Germanos, quod roboris fuerit: superesse qui

1 umtiu 7 cęptum 8 armae haurirentur (h *vetere m.*) 11 comminus eminus *Iac. Gronovius*: cōmin; min; (commꝰnus ꝯ) 13 Vulnerati *G*: uolneratis 14 Inplicabantur (*sic*) 15 caedes *G*: ceres 18 cerealis, *perinde paulo post iterum et tertium* 24 Gugernique *Ernesti*: cugernique (*cf. H.* 4 26, 5 18) 25 flumini *Nipperdey*: fluminis 29 excĭderent *G*: excinderent

fugam animis, qui vulnera tergo ferant. Proprios inde stimulos legionibus admovebat, domitores Britanniae quartadecumanos appellans; principem Galbam sextae legionis auctoritate factum; illa primum acie secundanos nova signa novamque aquilam dicaturos. Hinc praevectus ad Germanicum exercitum manus tendebat, ut suam ripam, sua castra sanguine hostium recuperarent. Alacrior omnium clamor, quis vel ex longa pace proelii cupido, vel fessis bello pacis amor praemiaque et quies in posterum sperabantur. Nec Civilis 17 silentem struxit aciem, locum pugnae testem virtutis ciens. Stare Germanos Batavosque super vestigia gloriae, cineres ossaque legionum calcantes. Quocumque oculos Romanus intenderet, captivitatem clademque et dira omnia obversari. Ne terrerentur vario Trevirici proelii eventu: suam illic victoriam Germanis obstitisse, dum omissis telis praeda manus impediunt: sed cuncta mox prospera et hosti contraria evenisse. Quae provideri astu ducis oportuerit, provisa, campos madentes et ipsis gnaros, paludes hostibus noxias. Rhenum et Germaniae deos in aspectu; quorum numine capesserent pugnam, coniugum parentum patriae memores: illum diem aut gloriosissimum inter maiores aut ignominiosum apud posteros fore. Vbi sono armorum tripudiisque [ita illis mos] adprobata sunt dicta, saxis glandibusque et ceteris missilibus proelium incipitur, neque nostro milite paludem ingrediente et Germanis, ut elicerent, lacessentibus. Absumptis quae 18 iaciuntur et ardescente pugna procursum ab hoste infestius: inmensis corporibus et praelongis hastis fluitantem labantemque militem eminus fodiebant; simul e mole, quam eductam in Rhenum rettulimus, Bructerorum cuneus tranatavit. Turbata ibi res et pellebatur sociarum cohortium acies, cum

2 brittannie quarta decumanos 3 sexta| 5 p̃uectos (preuectus *G*) 9 sperabantur *G* : sperabatur 10 ciens *G* : sciens 12 quocūque 13 dyra oĩa (d. omina *Faernus*) 14 treuerici 16 contraria euenisse *G* : contrarie uenisse 17 ꝛuideri prouisa ꝛ : preuise *in loco correcto* 19 dõs capesceret (*sic;* capescerent *G*) 22 *[ita illis mos] : ita illis mox (mos *Puteolanus*) 23 missibus (li *vetere m.*) 24 ingredientē *pr* 25 lacessentibus *G* : lacescentibus absumptisq; iaciuntur 27 hastis *G* : astis 29 retulimus

legiones pugnam excipiunt suppressaque hostium ferocia proelium aequatur. Inter quae perfuga Batavus adiit Cerialem, terga hostium promittens, si extremo paludis eques mitteretur: solidum illa et Gugernos, quibus custodia obvenisset, parum intentos. Duae alae cum perfuga missae incauto hosti circumfunduntur. Quod ubi clamore cognitum, legiones a fronte incubuere, pulsique Germani Rhenum fuga petebant. Debellatum eo die foret, si Romana classis sequi maturasset: ne eques quidem institit, repente fusis imbribus et propinqua nocte.

19 Postera die quarta decima legio in superiorem provinciam Gallo Annio missa, Cerialis exercitum decuma ex Hispania legio supplevit: Civili Chaucorum auxilia venere. Non tamen ausus *Batavodurum*, oppidum Batavorum, armis tueri, raptis quae ferri poterant, ceteris iniecto igni, in insulam concessit, gnarus deesse naves efficiendo ponti, neque exercitum Romanum aliter transmissurum: quin et diruit molem a Druso Germanico factam, Rhenumque prono alveo in Galliam ruentem, disiectis quae morabantur, effudit. Sic velut abacto amne tenuis alveus insulam inter Germanosque continentium terrarum speciem fecerat. Transiere Rhenum Tutor quoque et Classicus et centum tredecim Trevirorum senatores, in quis fuit Alpinius Montanus, quem a Primo Antonio missum in Gallias superius memoravimus. Comitabatur eum frater D. Alpinius; simul ceteri miseratione ac donis auxilia conci-
20 bant inter gentes periculorum avidas. Tantumque belli superfuit, ut praesidia cohortium alarum legionum uno die Civilis quadripertito invaserit, decumam legionem Arenaci, secundam Batavoduri, et Grinnes Vadamque, cohortium alarumque castra, ita divisis copiis, ut ipse et Verax, sorore eius genitus, Classicusque ac Tutor suam quisque manum traherent, nec omnia patrandi fiducia, sed multa ausis aliqua in parte fortunam

12 gallo am|nio (*sic*) 13 cauco2ł 14 *Batauodurum : *om* oppidum Batauodurum *L* 17 diruit *G* : diluit 18 factã *G* : facta albeo, *mox* albeus 22 centum xiij. treuiro2ł 27 legionum *Agricola* : legionẽ modie (*sic*) ciuilis 28 quadripertito *Ernesti* : quadriptita 30 diuisis *G* : diuisi 31 traherent *G* : traheret

adfore: simul Cerialem, neque satis cautum et pluribus nuntiis huc illuc cursantem, posse medio intercipi. Quibus obvenerant castra decumanorum, obpugnationem legionis arduam rati egressum militem et caedendis materiis operatum turbavere, occiso praefecto castrorum et quinque primoribus centurionum paucisque militibus: ceteri se munimentis defendere. [a] Interim Germanorum manus Batavoduri rumpere inchoatum pontem nitebantur: ambiguum proelium nox diremit. Plus discriminis apud Grinnes Vadamque. Vadam Civilis, Grin- 21
nes Classicus obpugnabant; nec sisti poterant interfecto fortissimo quoque, in quis Briganticus, praefectus alae, ceciderat, quem fidum Romanis et Civili avunculo infensum diximus. Sed ubi Cerialis cum delecta equitum manu subvenit, versa fortuna praecipites Germani in amnem aguntur. Civilis dum fugientes retentat, agnitus petitusque telis relicto equo tranatavit; idem Veraci effugium: Tutorem Classicumque adpulsae luntres vexere. Ne tum quidem Romana classis pugnae adfuit; et iussum erat, sed obstitit formido, et remiges per alia militiae munia dispersi. Sane Cerialis parum temporis ad exequenda imperia dabat, subitus consiliis, set eventu clarus: aderat fortuna, etiam ubi artes defuissent; hinc ipsi exercituique minor cura disciplinae. Et paucos post dies, quamquam periculum captivitatis evasisset, infamiam non vitavit.

Profectus Novaesium Bonnamque ad visenda castra, 22
quae hiematuris legionibus erigebantur, navibus remeabat, disiecto agmine, incuriosis vigiliis. Animadversum id Germanis et insidias conposuere: electa nox atra nubibus, et prono amne rapti nullo prohibente *Veterum* vallum ineunt. Prima caedes astu adiuta: intercisis tabernaculorum fu-

1 pluribus *G*: pluris (*natum id ex* plurib; *Wurm* plurimis) 6 ceteri se munimentis *G*: ceteris eminentes *[a] (et ⸗) 7 rumpere *Iac. Gronovius*: Inrumpere (interrumpere *Kiessling*) 11 Briganticus *G*: brigantibus 12 diximus *G*: duximus 16 tnataũ (a *recenti m.*) *Veraci: germani (Veraci *Iac. Gronovius*, germanis *G*) 17 lyntres transuexere *Halm* 18 et iussum]ut iuss *ed. princeps* 20 Imperia 24 uitauit *G*: mutauit 25 nouesium bonamq; 28 c̄posuere 29 *Veterum uallum: uallum 30 *intercisis: incisis

nibus, suismet tentoriis coopertos trucidabant. Aliud agmen turbare classem, inicere vincla, trahere puppis; utque ad fallendum silentio, ita coepta caede, quo plus terroris adderent, cuncta clamoribus miscebant. Romani vulneribus exciti quaerunt arma, ruunt per vias, pauci ornatu militari, plerique circum brachia torta veste et strictis mucronibus. Dux semisomnus ac prope intectus errore hostium servatur: namque praetoriam navem vexillo insignem, illic ducem rati, abripiunt. Cerialis alibi noctu egerat, ut plerique credidere, ob stuprum Claudiae Sacratae, mulieris Vbiae. Et vigiles flagitium suum ducis dedecore excusabant, tamquam iussi silere, ne quietem eius turbarent; ita intermisso signo et vocibus se quoque in somnum lapsos. Multa luce revecti hostes captivis navibus praetoriam triremem flumine Lupia donum Velaedae traxere.

23 Civilem cupido inde incessit navalem aciem ostentandi. Complet quod biremium quaeque simplici *remorum* ordine agebantur; adiecta ingens luntrium vis. Tricenos quadragenosque ser. . ., armamenta Liburnicis solita; et simul captae luntres sagulis versicoloribus haud indecore pro velis iuvabantur. Spatium velut aequoris electum, quo Mosae fluminis os amnem Rhenum Oceano adfundit. Causa instruendae classis, super insitam genti vanitatem, ut eo terrore commeatus Gallia adventantes interciperentur. Cerialis miraculo magis quam metu derexit classem, numero inparem, usu remigum, gubernatorum arte, navium magnitudine potiorem. His flumen secundum, illi vento agebantur: sic praevecti, temptato levium telorum iactu, dirimuntur. Civilis nihil ultra ausus trans Rhenum concessit: Cerialis insu-

1 tentoriis ς : toriis 3 cepta cede 4 Romani *G* : romanis uolneribus 5 quer̃ ornatu *ed. princeps* : ornati 9 *alibi noctu : alibi naue (alibi noctem ς, alia in naue *Wurm*) 10 claudie sacrate 11 Vbiae. et uigiles *Walther* : ubi et uigiles (Vbiae. uigiles *R*) 13 labsos 15 Lupia ς : Inpia *Velaedae : uele de 16 inde incessit *Heinsius* : Inuasi Incessit (incessit ς) 17 queque̹ *remorum ordine : ordine 18 lyntrium uis. 19 *ser . . . : ser̃ (*explco* seruos illis imposuit, sed) solita ς : solite 20 lyntres 24 commeat; (*i. e. commeatus*) 26 remigum *G* : remigiū 29 hausus *pr*

lam Batavorum hostiliter populatus, agros villasque Civilis intactas nota arte ducum sinebat, cum interim flexu autumni et crebris peraeque imbribus superfusus amnis palustrem humilemque insulam in faciem stagni opplevit. Nec classis aut commeatus aderant, castraque in plano sita vi fluminis differebantur. Potuisse tunc opprimi legiones, et 24
voluisse Germanos, sed dolo a se flexos inputavit Civilis; neque abhorret vero, quando paucis post diebus deditio insecuta est. Nam Cerialis per occultos nuntios Batavis pacem, Civili veniam ostentans, Velaedam propinquosque monebat fortunam belli, tot cladibus adversam, opportuno erga populum Romanum merito mutare: caesos Treviros, receptos Vbios, ereptam Batavis patriam; neque aliud Civilis amicitia partum quam vulnera fugas luctus. Exulem eum et extorrem recipientibus oneri; et satis peccavisse quod totiens Rhenum transcenderint. Siquid ultra moliantur, inde iniuriam et culpam, hinc ultionem et deos fore. Miscebantur 25
minis promissa; et concussa Transrhenanorum fide inter Batavos quoque sermones orti: non prorogandam ultra ruinam, nec posse ab una natione totius orbis servitium depelli. Quid profectum caede et incendiis legionum nisi ut plures validioresque accirentur? si Vespasiano bellum navaverint, Vespasianum rerum potiri: sin populum Romanum armis vocent, quotam partem generis humani Batavos esse? respicerent Raetos Noricosque et ceterorum onera sociorum: sibi non tributa sed virtutem et viros indici. Proximum id libertati; et si dominorum electio sit, honestius principes Romanorum quam Germanorum feminas tolerari. Haec vulgus, proceres atrociora: Civilis rabie semet in arma trusos; illum domesticis malis excidium gentis obposuisse. Tunc infensos Batavis deos, cum obsiderentur legiones, interficerentur legati, bellum uni necessarium, ferale ipsis sumeretur. Ventum ad extrema, ni resipiscere incipiant et noxii capitis poena poenitentiam fateantur. Non fefellit Civilem ea in- 26

2 autūni 3 *peraeque : peq... (*sic*) annnis 11
pulum R 14 *partum : paratum 16 iniuriam
21 plures *G* : fures 28 uolgus 29 rabies 34

clinatio, et praevenire statuit, super taedium malorum etiam spe vitae, quae plerumque magnos animos infringit. Petito colloquio scinditur Nabaliae fluminis pons, in cuius abrupta progressi duces; et Civilis ita coepit. 'Si apud Vitellii legatum defenderer, neque facto meo venia neque dictis fides debebatur: cuncta inter nos inimica hostilia, ab illo coepta, a me aucta erant. Erga Vespasianum vetus mihi observantia, et cum privatus esset, amici vocabamur. Hoc primo Antonio notum, cuius epistulis ad bellum actus sum, ne Germanicae legiones et Gallica iuventus Alpes transcenderent. Quae Antonius epistulis, Hordeonius Flaccus praesens monebat; arma in Germania movi, quae Mucianus in Syria, Aponius in Moesia, Flavianus in Pannonia'.

2 *fortasse* infringit, perpulsus 4 Vitellianum *Doederlein* 6 cępta 7 aucta *G* : auctae 12 moui *G* : mouit 13 pannonia *G* : pan nia *Finis est in folio* 103b *in prima folii columna et ante eius finem.*

CORNELII TACITI

OPERA MINORA.

DE ORIGINE SITV MORIBVS AC POPVLIS GERMANIAE

LIBER.

BREVIARIVM. C. 1—27. De Germaniae situ et omnium Germanorum origine et moribus. Germaniae fines, populi contermini et Oceanus (1). Ipsi indigenae sunt, cuius rei argumenta tria, primum quod non terra olim sed classibus advehebantur qui novas sedes quaerebant, Oceanusque raris ab orbe nostro navibus aditur, alterum quod Germaniae solum caelumque allicere et tenere non potest nisi qui ibi nati sunt; idem carminibus antiquis Germanorum traditur. Germaniae vocabulum recens et nuper additum (2). Alia de primordiis Germanorum a Romanis auctoribus vulgata (3). Auctor libri eorum opinionibus accedit, qui Germaniae populos nullis aliarum nationum conubiis infectos propriam et sinceram et tantum sui similem gentem extitisse arbitrantur. Habitus corporum idem omnibus (4). Terrae facies et natura; pecora, fruges, metalla. (5). Arma. Hastas vel ipsorum vocabulo frameas gerunt pedites equitesque, pedites et missilia spargunt. In pedite robur. Centeni, pedestris militiae genus cum equitibus simul proeliantium (6). Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt. Pugnandi consuetudo. Pugnantibus in proximo pignora, uxores et liberi (7—8). Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanas hostias offerunt, Martem concessis animalibus placant, pars Suevorum etiam Isidem (Erthum) veneratur. Nulla deorum simulacra et templa (9). Auspicia et sortes (10). De minoribus rebus principes consultant, de maioribus omnes. Coeundi et consultandi modus (11). Licet apud concilium accusare et discrimen capitis intendere. Poenarum distinctio. Eliguntur ibidem principes qui iura per pagos vicosque reddunt (12). Omnia agunt in armis; arma sumit quem civitas suffecturum probavit. Nobiles et comites principum (13). Aemulatio principis et comitatus in acie, vivendi genus in pace (14—15). Vrbes nullae in Germania; colunt discreti aut vicos locant non conexis et cohaerentibus aedificiis: solent etiam subterraneos specus aperire (16). Tegumen omnibus sagum, locupletissimi stricta veste distinguuntur, mulieres saepius lineis amictibus velantur (17). Severa ibi matrimonia. Caste vivunt uxores et virgines (18—19). Liberorum educatio, lex successionis (20). Inimicitias aut amicitias patris suscipere necesse est, sed illae non implacabiles durant. Convictibus et hospitiis effuse indulgent (21). Vitae quotidianae forma et consuetudo (22). Potus et cibi; ad ebrietatem inclinant (23). Genus spectaculorum in omni coetu idem. Aleam exercendi rara temeritas (24). Servorum conditio, liberti non multum supra servos (25). Fenus agitare ignotum. Sedes figendi modus: agri pro numero cultorum ab universis occupantur, quos mox inter se secundum dignationem partiuntur. Arva per annos mutant (26). Funerum nulla ambitio (27).

C. 28—46. Singularum gentium instituta et ritus. Quae nationes e Gallia in Germaniam, e Germania ad Gallos commigraverint. Germanicae stirpis Treviri et Nervii, item Vangiones, Triboci, Nemetes ad ripam Rheni. Vbii quamquam libentius Agrippinenses vocantur, Germanica origine non erubescunt (28). Harum gentium virtute praecipui Batavi, Rheni insulam colentes, ex Chattis orti, fidi Romanis et exempti oneribus imperii. In eodem obsequio Mattiacorum gens ultra Rhenum. Agri decumates (29). Vltra hos Chatti agunt, populus inter Germanos corpore et animo egregius. Votivus apud eos obligatusque virtuti oris habitus (30—31). Proximi Chattis Vsipi ac Tenctēri; Tencteri equestris discipli-

nae arte praecellunt (32). Iuxta Tencteros Bructĕri olim, nunc Chamavi et Angrivarii (33). Dulgibini et Chasuarii, Frisii (34). In septentrionem Germania ingenti flexu (chersonesi Cimbricae) redit. Chauci a Frisiis incipiunt et usque in Chattos sinuantur, ob iustitiam et fortitudinem iuxta laudati (35). In latere Chaucorum Chattorumque Cherusci, olim ingenti bellorum gloria celebrati, nunc Chattis victoribus obedientes, item Fosi (36). Eundem Germaniae sinum (septentrionalem) proximi Oceano Cimbri tenent, parva nunc civitas, sed clara rebus olim gestis. Per eam occasionem de bellis Romanorum adversus Germanos et multis in vicem cladibus (37). Hi populi extra corpus Sueborum in Germania. Sed maiorem Germaniae partem Suebi obtinent, propriis nationibus et nominibus discreti. Insigne gentis obliquare crinem nodoque substringere (38). Primum genus Sueborum Semnōnes et Langobardi, septemque nationes Terram matrem venerantes (inter Albim Viadrumque usque ad Oceanum (39—40). Alterum genus Sueborum, quorum sedes Danubio praetexuntur, Hermundŭri, Naristi, Marcomăni, Quadi (41—42). Tertium genus Sueborum in oriente et septentrione Germaniae atque in Oceani insulis colentium (43—45). Nationes inter Sarmatas Germanosque ambiguae, Peucini, Veneti, Fenni. Fenni in foeda paupertate beati (46).

Germania omnis a Gallis Raetisque et Pannoniis Rheno 1
et Danuvio fluminibus, a Sarmatis Dacisque mutuo metu
aut montibus separatur: cetera Oceanus ambit, latos sinus
et insularum immensa spatia complectens, nuper cognitis
5 quibusdam gentibus ac regibus, quos bellum aperuit. Rhe-
nus, Raeticarum Alpium inaccesso ac praecipiti vertice or-
tus, modico flexu in occidentem versus septentrionali Oceano
miscetur. Danuvius, molli et clementer edito montis Abno-
bae iugo effusus, pluris populos adit, donec in Ponticum
10 mare sex meatibus erumpat: septimum os paludibus hauritur.

Ipsos [Germanos] indigenas crediderim minimeque alia- 2
rum gentium adventibus et hospitiis mixtos, quia nec terra
olim sed classibus advehebantur qui mutare sedes quaere-
bant, et immensus ultra utque sic dixerim adversus Oceanus
15 raris ab orbe nostro navibus aditur. Quis porro, praeter
periculum horridi et ignoti maris, Asia aut Africa aut Ita-
lia relicta Germaniam peteret, informem terris, asperam

Codices A et B, h. e. apographum Pontani et liber Vaticanus 1862. CORNELI. TACITI. DE ORIGINE. SITV. MORIBVS AC POPVLIS. GERMANORVM LIBER. INCIPIT. *A*, Cornelius Tacitus De origine et situ germanorum *B*. 1 Raetisque] Rhaetisque *Cellarius*: retiisque *B*, rhetiisque *A* (rętiisque *Vaticanus* 1518) 2 danubio *AB* mȯtuo *A* 3 seperatur *A* coetera *pro more suo A* 6 Reticarum *B*, rheticarum *A* 7 *fortasse* mox modico in *supra versum A* 8 danubius *AB* Abnobae *R*: arnobę *et in margine* arbonae *B*, Arbonę *A* 11 *[Germanos] 12 $\overset{h}{\text{o}}$spitiis *A* mistos *A* 16 ẹ horridi *A* peter̃t ? *A*

caelo, tristem cultu aspectuque, nisi si patria sit? Celebrant carminibus antiquis, quod unum apud illos memoriae et annalium genus est, Tristonem, deum terra editum, et filium Mannum originem gentis conditoresque. Manno tris filios assignant, e quorum nominibus proximi Oceano Ingaevones, medii Herminones, ceteri Istaevones vocentur.

Quidam, ut in licentia vetustatis, pluris deo ortos plurisque gentis appellationes, Marsos Gambrivios Suebos Vandilios affirmant, eaque vera et antiqua nomina. Ceterum Germaniae vocabulum recens et nuper additum, quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint ac nunc Tungri, tunc Germani vocati sint. Ita nationis nomen [non gentis] evaluisse paulatim, ut omnes primum e victore ob metum, mox etiam a se ipsi invento nomine Germani vocarentur. 3 Fuisse apud eos et Herculem memorant, primumque omnium virorum fortium ituri in proelia canunt. Sunt illis haec quoque carmina, quorum relatu [quem barditum vocant] accendunt animos futuraeque pugnae fortunam ipso cantu augurantur; terrent enim trepidantve, prout sonuit acies, nec tam voces illae quam virtutis concentus videntur. Affectatur praecipue asperitas soni et fractum murmur, obiectis ad os scutis, quo plenior et gravior vox repercussu intumescat. Ceterum et Vlixem quidam opinantur longo illo et fabuloso errore in hunc Oceanum delatum adisse Germaniae terras, Asciburgiumque, quod in ripa Rheni situm ho-

1 nisi si *B*: nisi (ni si *inde factum*) *A* 3 Tristonem (*in margine* Tuisman) *B*, Tui tristonem *A* et *B*: ei *pr* *A* 4 conditoresque *R*: conditorisque *AB* tris *AB*: tres ς 5 ingęuones *A*, ingeuones *B* 6 hermi,n ones *A*, hermiones *B* (*v. Müllenhoff in diurnis antiq. germ. VIIII p.* 249) Isteuones *B* 7 pluris—pluresque *AB* 8 Gābriuios *B*, gabrinvios *A* sueuos *AB* Vandilios *B*: uandalios *A* 9 caeterum *nunc A* 11 ac *B cum plerisque*: ut *A* 12 *[non gentis] 13 *e: a *codices; cf. v.* 5: e quorum nominibus—vocentur, *H.* 5 2: nomen e suo fecisse 14 etiam *AB*: et ς *ipsi: ipsis *codices* 17 *[quem barditum uocant] 20 uoces illę *A*, uoces ille *B* (uocis ille — uidetur *R*) 22 eos *pr B* 23 ulixen *Vaticanus* 1518: ulyssem (ss *in litura*) *A* 25 asciburgiumque *B*, astiburgiumque *A*

dieque incolitur, ab illo constitutum nominatumque; aram quin etiam Vlixi consecratam, adiecto Laertae patris nomine, eodem loco olim repertam, monumentaque et tumulos quosdam Graecis litteris inscriptos in confinio Germaniae Raetiaeque adhuc extare. Quae neque confirmare argumentis neque refellere in animo est: ex ingenio suo quisque demat vel addat fidem. Ipse eorum opinionibus accedo, qui Germaniae populos non aliis aliarum nationum conubiis infectos propriam et sinceram et tantum sui similem gentem extitisse arbitrantur. Vnde habitus quoque corporum, quamquam in tanto hominum numero, idem omnibus; truces et caerulei oculi, rutilae comae, magna corpora et tantum ad impetum valida: laboris atque operum non eadem patientia; minimeque sitim aestumque tolerare, frigora atque inediam caelo solove assuerunt. 4

Terra etsi aliquanto specie differt, in universum tamen aut silvis horrida aut paludibus foeda, umidior qua Gallias, ventosior qua Noricum ac Pannoniam aspicit, satis ferax, frugiferarum arborum impatiens, pecorum fecunda, sed plerumque improcera. Ne armentis quidem suus honor aut gloria frontis: numero gaudent, eaeque solae et gratissimae opes sunt. Argentum et aurum propitiine an irati dei negaverint dubito. Nec tamen affirmaverim nullam Germaniae venam argentum aurumve gignere: quis enim scrutatus est? Possessione et usu haud perinde afficiuntur. Est videre apud illos argentea vasa, legatis et principibus eorum muneri data, non in alia vilitate quam quae humo finguntur: quamquam proximi ob usum commerciorum aurum et argentum in pretio habent formasque quasdam nostrae pecuniae 5

1 nominatumque (*in margine* deest) *A* : nominatumque *ασκιπυργιον B* 2 ulyssi (ss *in litura*) *A* 4 Rętięque *B* : rhetiaeque *A* 8 *non aliis : nullis aliis *AB* (nec facile ullis *Ruodolfus Fuldensis*) nationibus *A* 10 conubiis *Ruodolfus* : connubiis *codices* 10 quãqã *A* : qq *B* 12 cęrulęi | *Vaticanus* 1518 : ceruli *B*, ceruli *A* 15 assuerunt *B* 17 feda *A* humidior *AB* (*cf. ad* 1 68) 19 pecudum *A* 21 eeque *B* 22 dapes *B* *dei : dii 25 et *A* : etiam *B* perinde *B* 27 fingutur *A*

agnoscunt atque eligunt; interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur. Pecuniam probant veterem et diu notam, serratos bigatosque. Argentum quoque magis quam aurum sequuntur, nulla affectione animi, sed quia numerus argenteorum facilior usui est promiscua ac vilia mercantibus.

6 Ne ferrum quidem superest, sicut ex genere telorum colligitur. Rari gladiis aut maioribus lanceis utuntur: hastas vel ipsorum vocabulo frameas gerunt angusto et brevi ferro, sed ita acri et ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel comminus vel eminus pugnent. Et eques quidem scuto frameaque contentus est, pedites et missilia spargunt, pluraque singuli, atque in immensum vibrant, nudi aut sagulo leves. Nulla cultus iactatio; scuta tantum lectissimis coloribus distinguunt. Paucis loricae, vix uni alterive cassis aut galea. Equi non forma, non velocitate conspicui. Sed nec variare gyros in morem nostrum docentur: in rectum aut uno flexu dextros agunt, ita coniuncto orbe ut nemo posterior sit. In universum aestimanti plus penes peditem roboris; eoque mixti proeliantur, apta et congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni iuventute delectos ante aciem locant. Definitur et numerus: centeni ex singulis pagis sunt, idque ipsum inter suos vocantur, et qui primo numerus fuit, iam nomen et honor est. Acies per cuneos componitur. Cedere loco, dummodo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur. Corpora suorum etiam in dubiis proeliis referunt. Scutum reliquisse praecipuum flagitium, nec aut sacris adesse aut concilium inire ignominioso fas; multique superstites bellorum infamiam laqueo
7 finierunt. Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt. Nec regibus infinita aut libera potestas, et duces exemplo potius

4 affectione *Vaticanus* 1518 : affectatione *AB* 11 cõminus *B* : cominus *A* 13 ı ımensum *Vaticanus* 1518 : ı mensum *B*, in ımensum *A* 15 distingũt *AB* 16 galea *R* : galę *AB* 17 uariare *B* : uarietate *A* 18 coniuncto *B* : coniuncto cuncto *A* 20 misti *A* 22 t di delectos *B* 24 *qui : quidem *B*, qdem (dem *in rasura*) *A*, quod ς 26 fortitumidinis *pr A* etiam *AB* : et ς 31 et ς : etiam *AB*

quam imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione praesunt. Ceterum neque animadvertere neque vincire, ne verberare quidem nisi sacerdotibus permissum, non quasi in poenam nec ducis iussu, sed velut deo imperante, quem adesse bellantibus credunt. Effigiesque et signa quaedam detracta lucis in proelium ferunt; quodque praecipuum fortitudinis incitamentum est, non casus nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiae et propinquitates; et in proximo pignora, unde feminarum ululatus [audiri], unde vagitus infantium. Hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores: ad matres, ad coniuges vulnera ferunt; nec illae numerare aut exigere plagas pavent, cibosque et hortamina pugnantibus gestant. Memoriae pro- 8
ditur quasdam acies inclinatas iam et labantes a feminis restitutas constantia precum et obiectu pectorum et monstrata comminus captivitate, quam longe impatientius feminarum suarum nomine timent, adeo ut efficacius obligentur animi civitatum, quibus inter obsides puellae quoque nobiles imperantur. Inesse quin etiam sanctum aliquid et providum putant, nec aut consilia earum aspernantur aut responsa neglegunt. Vidimus sub divo Vespasiano Velaedam, diu apud plerosque numinis loco habitam: sed et olim Auriniam et compluris alias venerati sunt, non adulatione nec tamquam facerent deas.

Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus 9
humanis quoque hostiis litare fas habent. Martem concessis animalibus placant [et Herculem]. Pars Sueborum et Isidi sacrificat. Vnde causa et origo peregrino sacro, parum com-

7 neque *A* 8 et prop. *B* : aut prop. *A* 9 foeminarum *A* 10 *[audiri] 12 enumerare *A* aut *AB* : et ꝯ 13 ortamina *A* ꝓditur, *non* pditur, *A* 14 foeminis *A*, *et sic porro* 16 cõminus *B* : cominus *A* 18 nobiles *B*, nobiles *A* 19 imperentur *A* 21 neglegunt *B* : negligunt *A* *Velaedam : Veledam *B*, uoledam *A* (*cf. H.* 4 61 *et* 65, 5 24) 22 Auriniam] ℓ albriniam *suprascriptum in A*, Auriniam *B*, Albrunam *Müllenhoff* 23 neque *A* 27 *[et Herculem] : et herculem *AB* (Martem et Herculem conc. anim. pl. ꝯ) sueuorum *A*, suenorum *B* (Suebi *cet. scribitur in Mediceis*)

peri, nisi quod signum ipsum in modum liburnae figuratum docet advectam religionem. Ceterum nec cohibere parietibus deos neque in ullam humani oris speciem adsimilare ex magnitudine caelestium arbitrantur: lucos ac nemora consecrant deorumque nominibus appellant secretum illud quod sola reverentia vident. Auspicia sortesque ut qui maxime observant: sortium consuetudo simplex. Virgam frugiferae arbori decisam in surculos amputant eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargunt. Mox, si publice consultetur, sacerdos civitatis, sin privatim, ipse pater familiae, precatus deos caelumque suspiciens, ter singulos tollit, sublatos secundum inpressam ante notam interpretatur. Si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem consultatio: sin permissum, auspiciorum adhuc fides exigitur. Et illud quidem etiam hic notum, avium voces volatusque interrogare: proprium gentis equorum quoque praesagia ac monitus experiri. Publice aluntur isdem *in* nemoribus ac lucis, candidi et nullo mortali opere contacti; quos pressos sacro curru sacerdos ac rex vel princeps civitatis comitantur hinnitusque ac fremitus observant. Nec ulli auspicio maior fides, non solum apud plebem, sed apud proceres, apud sacerdotes: se enim ministros deorum, illos conscios putant. Est et alia observatio auspiciorum qua graviùm bellorum eventus explorantur. Eius gentis, cum qua bellum est, captivum quoquo modo interceptum cum electo popularium suorum, patriis quemque armis, committunt. Victoria huius vel illius pro praeiudicio accipitur.

11 De minoribus rebus principes consultant, de maioribus omnes, ita tamen ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes pertractentur. Coeunt, nisi quid

3 adsimilare *Ruodolfus* : assimulare *A(B)* 10 consultetur *Halm* : consuletur *AB* (*cf. quod sequitur* consultatio, *tum c.* 11 *et* 22, *Ruodolfus* si publica consultatio fuit) 12 inpressam *Ruodolfus* : impressam *A* 18 *isdem in : iisdem *AB* 19 pressas *pr A* 21 sed *Vaticanus* 1518 : *om AB* (sed etiam *Ruodolfus*) 23 illos *Vat.* 1518 : illos istos *A*, istos *B* obseruatio *AB et Ruodolfus* : opseruatio *corr A* 24 explorãtur *pr A* : exploratur *B et corr A* (*cf. H.* 1 4) 31 praetractentur *Vaticanus* 1518

fortuitum et subitum incidit, certis diebus, cum aut inchoatur luna aut impletur: nam agendis rebus hoc auspicatissimum initium credunt. Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant. Sic constituunt, sic condicunt: nox ducere diem videtur. Illud ex libertate vitium, quod non simul nec ut iussi conveniunt, sed et alter et tertius dies cunctatione coeuntium absumitur. Vt turbae placuit, considunt armati. Silentium per sacerdotes, quibus tum et coercendi ius est, imperatur. Mox rex vel princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur, auctoritate suadendi magis quam iubendi potestate. Si displicuit sententia, fremitu aspernantur: sin placuit, frameas concutiunt. Honoratissimum assensus genus est armis laudare. Licet apud concilium accusare quoque et discrimen 12
capitis intendere. Distinctio poenarum ex delicto. Proditores et transfugas arboribus suspendunt, ignavos et imbelles et corpore infames caeno ac palude, iniecta insuper crate, mergunt. Diversitas supplicii illuc respicit, tamquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi. Sed et levioribus delictis pro modo poena: equorum pecorumque numero convicti mulctantur. Pars mulctae regi vel civitati, pars ipsi qui vindicatur vel propinquis eius exolvitur. Eliguntur in isdem conciliis et principes, qui iura per pagos vicosque reddunt. Centeni singulis ex plebe comites consilium simul et auctoritas assunt.

Nihil autem neque publicae neque privatae rei nisi ar- 13
mati agunt. Sed arma sumere non ante cuiquam moris quam civitas suffecturum probaverit. Tum in ipso concilio vel principum aliquis vel pater vel propinqui scuto frameaque iuvenem ornant. Haec apud illos toga, hic primus iuven-

1 inchoatur *A et Ruodolfus*: incohatur *B* 3 inicium *A* 7 turba *Gronovius* 8 tum *B*: tamen *A* 17 caeno] ceno *B*, coeno *A* (*cf.* 1 63 et 65, *ubi Mediceus tribus locis habet* caeno) 19 flagitia *B*: supplicia *A* (*in margine* flagitia) et̄ *A* 20 poena *Acidalius*: poenarum *AB* 21 multantur *B* 22 ipsis *pr A* uindicatur *Vaticanus* 1518: uindicatur *A*, uindicauit *B* 23 iisdem *AB* pnceps *A* 25 autoritas *A* adest adsunt *B* 28 tum *Vaticanus* 1518: cum *A*, cum *B* 29 propinqui *AB*: propinquus ς

tae honos; ante hoc domus pars videntur, mox rei publicae. Insignis nobilitas aut magna patrum merita principis dignationem etiam adulescentulis assignant: ceteri robustioribus ac iam pridem probatis aggregantur, nec rubor inter comites aspici. Gradus quin etiam ipse comitatus habet iudicio eius quem sectantur; magnaque et comitum aemulatio, quibus primus apud principem suum locus, et principum, cui plurimi et acerrimi comites. Haec dignitas, hae vires, magno semper electorum iuvenum globo circumdari; in pace decus in bello praesidium. Nec solum in sua gente cuique, sed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria est, si numero ac virtute comitatus emineat: expetuntur enim legationibus et muneribus ornantur et ipsa plerumque fama bella
14 profligant. Cum ventum in aciem, turpe principi virtute vinci, turpe comitatui virtutem principis non adaequare. Iam vero infame in omnem vitam ac probrosum superstitem principi suo ex acie recessisse. Illum defendere, *illum* tueri, sua quoque fortia facta gloriae eius assignare praecipuum sacramentum est: principes pro victoria pugnant, comites pro principe. Si civitas in qua orti sunt longa pace et otio torpeat, plerique nobilium adulescentium petunt ultro eas nationes, quae tum bellum aliquod gerunt, quia et ingrata genti quies et facilius inter ancipitia clarescunt magnumque comitatum non nisi vi belloque tuentur: exigunt enim principis sui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque frameam. Nam epulae et quamquam incompti, largi tamen apparatus pro stipendio cedunt. Materia munificentiae per bella et raptus. Nec arare terram aut expectare annum tam facile persuaseris quàm vocare hostem et vulnera mereri. Pigrum quin immo et iners videtur sudore
15 adquirere quod possis sanguine parare. Quotiens bella non ineunt, non multum venatibus, plus per otium transigunt,

2 dignitatem *A* 3 adolescentulis *A(B)* ceteri *L* : ceteris *AB* 5 etiam *AB* : ẽ *deletum Vaticanus* 1518 8 hęc uires *pr A* 16 uiro *A* 17 *illum tueri : tueri (*cf. *c.* 7 *et* 13 *et* 18 *et* 20 *et* 31 *et* 46, *H.* 4 72 *cet.*) 18 eius *om A* pcipuum *A* 24 tueare ꝙ 29 ostem *A* 30 uulnera *A* : uolnera *B* quin imo *B*, quinimo *A* 32 ocium *A*

dediti somno ciboque, fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agens, delegata domus et penatium et agrorum cura feminis senibusque et infirmissimo cuique ex familia: ipsi hebent, mira diversitate naturae, cum iidem homines sic ament inertiam et oderint quietem. Mos est civitatibus ultro ac viritim conferre principibus vel armentorum vel frugum, quod pro honore acceptum etiam necessitatibus subvenit. Gaudent praecipue finitimarum gentium donis, quae non modo a singulis sed et publice mittuntur, electi equi, magna arma, phalerae torquesque; iam et pecuniam accipere docuimus.

Nullas Germanorum populis urbes habitari satis notum 16
est, ne pati quidem inter se iunctas sedes. Colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant non in nostrum morem conexis et cohaerentibus aedificiis: suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium sive inscitia aedificandi. Ne caementorum quidem apud illos aut tegularum usus: materia ad omnia utuntur informi et citra speciem aut delectationem. Quaedam loca diligentius illinunt terra ita pura ac splendente, ut picturam ac lineamenta colorum imitentur. Solent et supterraneos specus aperire eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hiemi et receptaculum frugibus [quia rigorem frigorum eiusmodi locis molliunt]: et si quando hostis advenit, aperta populatur, abdita et defossa aut ignorantur aut eo ipso fallunt quod quaerenda sunt.

Tegumen omnibus sagum fibula aut, si desit, spina con- 17
sertum: cetera intecti totos dies iuxta focum atque ignem agunt. Locupletissimi veste distinguuntur, non fluitante, sic-

4 hebent *B*: habent *A* mira^{m} diuersitate^{m} *A* 7 etiam *AB*: et ς 8 finitimarum *supra versum A* 9 sed et *A*: sed *B* 10 phalerae] *cf. ad* 12 36 14 ℓ locant longant *B* 15 connexis *codices* 17 cementorum *A* 19 *fortasse* oblectationem (*cf. c.* 33) 21 lineamenta *B*: liniamenta *A* colorum] locorum *Nipperdey*, corporum *Köchly* 21 *imitentur: imitetur *codices* 22 supterraneos *AB*: subterraneos ς 23 *[quia—molliunt] 24 loci *Acidalius* hostis *A* 25 abdita *Muretus*: abdita autem *codices* 27 figula *A* 28 iusta *A* 29 distinguntur *A*

ut Sarmatae ac Parthi, sed stricta et singulos artus exprimente. Gerunt et ferarum pelles, proximi ripae neglegenter, ulteriores exquisitius, ut quibus nullus per commercia cultus. Eligunt feras et detracta velamina spargunt maculis pellibusque beluarum, quas exterior Oceanus atque ignotum mare gignit. Nec alius feminis quam viris habitus, nisi quod feminae saepius lineis amictibus velantur eosque purpura variant, partemque vestitus superioris in manicas non extendunt, nudae brachia ac lacertos; sed et proxima pars pectoris patet.

18 Quamquam severa illic matrimonia, nec ullam morum partem magis laudaveris. Nam prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem pluribus nuptiis ambiuntur.

Dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert; intersunt parentes ac propinqui ac munera probant, [munera] non ad delicias muliebres quaesita nec quibus nova nupta comatur, sed boves et frenatum equum et scutum cum framea gladioque. In haec munera uxor accipitur, atque in vicem ipsa armorum aliquid viro affert: hoc maximum vinculum, haec arcana sacra, hos coniugales deos arbitrantur. Ne se mulier extra virtutum cogitationes extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in proelio passuram ausuramque: hoc iuncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denuntiant. Sic vivendum, sic pereundum; accipere se quae liberis inviolata ac digna reddat, quae nurus accipiant rursusque ad nepotes re-
19 ferantur. Ergo septa pudicitia agunt, nullis spectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corruptae. Litterarum secreta viri pariter ac feminae ignorant. Paucissima

2 gerunt *Vaticanus* 1518 : ferunt *A*, ferunt *B* neglegenter *Vaticanus* 1518 : negligenter *AB* 11 ullarum *pr A* 14 pluribus *Halm* : plurimis *codices* 16 ac munera probant. munera *AB* *[munera] (propinqui; probant munera, non ad *Lachmann*) 19 inuicem *A pro more suo* (in uicem *Medicei in Annalibus et Historiis*) 20 offert ς 23 incipientibus *A* 27 pereundum *A* : pariendum *B* 28 reddat *AB* : reddant ς 29 septa] *v. ad* 1 5

in tam numerosa gente adulteria, quorum poena praesens et maritis permissa: abscisis crinibus, nudatam, coram propinquis expellit domo maritus ac per omnem vicum verbere agit..... publicatae enim pudicitiae nulla venia: non forma, non aetate, non opibus maritum invenerit. Nemo enim illic vitia ridet, nec corrumpere et corrumpi saeculum vocatur. Melius quidem adhuc eae civitates, in quibus tantum virgines nubunt et cum spe votoque uxoris semel transigitur: sic unum accipiunt maritum quomodo unum corpus unamque vitam, nẽ ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tamquam maritum, sed tamquam matrimonium ament. Numerum liberorum finire aut quemquam ex agnatis necare flagitium habetur, plusque ibi boni mores valent quam alibi bonae leges. In omni domo nudi ac sordidi in hos artus, in haec 20
corpora, quae miramur, excrescunt. Sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis aut nutricibus delegantur. Dominum ac servum nullis educationis deliciis dignoscas: inter eadem pecora, in eadem humo degunt, donec aetas separet ingenuos, virtus agnoscat. Sera iuvenum venus, eoque inexhausta pubertas. Nec virgines festinantur; eadem iuventa, similis proceritas; pares validaeque miscentur, ac robora parentum liberi referunt. Sororum filiis idem apud avunculum qui apud patrem honor. Quidam sanctiorem artioremque hunc nexum sanguinis arbitrantur et in accipiendis obsidibus magis exigunt, tamquam etiam animum firmius et domum latius teneant. Heredes tamen successoresque sui cuique liberi, et nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione fratres patrui avunculi. Quanto plus propinquorum, quo maior affinium numerus, tanto gratiosior senectus; nec ulla orbitatis pretia. Suscipere tam inimicitias 21
seu patris seu propinqui quam amicitias necesse est. Nec im-

2 abcisis ς : accisis *A*, adcisis *B* 4 ....*publicatae : publicatae (*explererim* puellae quoque caste uiuunt) 5 inuenerit *A* : inueniet *B* 6 seculum *A* (B?) 16 nec *B*, nᵉ *A* aut *A* : ac *B* 17 dinoscas *B* 18 pectora *A* 22 apud *A* : ad *B* 23 artioremque *B* : arctioremque *A* 25 etiam ς : et in *AB* 29 quo maior *corr A*, quo magis *pr A* : tanto maior *B* gratior gratiosior *B*

placabiles durant: luitur enim etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque satisfactionem universa domus, utiliter in publicum, quia periculosiores sunt inimicitiae iuxta libertatem.

Convictibus et hospitiis non alia gens effusius indulget. Quemcumque mortalium arcere tecto nefas habetur; pro fortuna quisque apparatis epulis excipit. Cum defecere, qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii et comes; proximam domum non invitati adeunt. Nec interest: pari humanitate accipiuntur. Notum ignotumque quantum ad ius hospitis nemo discernit. Abeunti, siquid poposcerit, concedere moris; et poscendi in vicem eadem facilitas. Gaudent muneribus, sed nec data imputant nec acceptis obligantur. [Victus inter hospites comis.]

22 Statim e somno, quem plerumque in diem extrahunt, lavantur, saepius calida, ut apud quos plurimum hiems occupat. Lauti cibum capiunt: separatae singulis sedes et sua cuique mensa. Tum ad negotia nec minus saepe ad convivia procedunt armati. Diem noctemque continuare potando nulli probrum. Crebrae, ut inter vinolentos, rixae raro conviciis, saepius caede et vulneribus transiguntur. Sed et de reconciliandis in vicem inimicis et iungendis affinitatibus et asciscendis principibus, de pace denique ac bello plerumque in conviviis consultant, tamquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus aut ad magnas incalescat. Gens non astuta nec callida aperit adhuc secreta pectoris licentia ioci. Ergo detecta et nuda omnium mens postera die retractatur; et salva utriusque temporis ratio est: deliberant, dum fingere nesciunt, constituunt, dum errare non

4 iusta *A* 5 ospiciis non aliqua *A* 8 ospes *pro more suo A* 11 siquid *A* poposcerit *Vaticanus* 1518 *et corr A*: poposceris *pr A*, poposcerunt *B* 13 [uictus — comis] *Ernesti*: uictus — comis *ABς*, uinclum — comitas *Lachmann* 15 e *Vaticanus* 1518 *et corr A*: eim *pr A*, enim *B* sono *A* 17 seperate *B* 21 transfiguntur *A* sed et *AB*: sed ς 26 adhuc *Vaticanus* 1518: adhec *A*, ad hec *B* 27 ioci *B*, ioci *A* [illegible] tur *A*

possunt. Potui umor ex hordeo aut frumento, in quandam 23
similitudinem vini corruptus: proximi ripae et vinum mercantur. Cibi simplices, agrestia poma, recens fera aut lac concretum: sine apparatu, sine blandimentis expellunt famem. Adversus sitim non eadem temperantia. Si indulseris ebrietati, suggerendo quantum concupiscunt, haud minus facile vitiis quam armis vincentur.

Genus spectaculorum unum atque in omni coetu idem. 24
Nudi iuvenes, quibus id ludicrum est, inter gladios se atque infestas frameas saltu iaciunt. Exercitatio artem paravit, ars decorem, non in quaestum tamen aut mercedem: quamvis audacis lasciviae pretium est voluptas spectantium. Aleam, quod mirere, sobrii inter seria exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate ut, cum omnia defecerunt, extremo ac novissimo iactu de libertate ac de corpore contendant. Victus voluntariam servitutem adit; quamvis iuvenior, quamvis robustior, alligari se ac venire patitur. Ea est in re prava pervicacia: ipsi fidem vocant. Servos conditionis huius per commercia tradunt, ut se quoque pudore victoriae exol- vant. Ceteris servis non in nostrum morem descriptis per 25
familiam ministeriis utuntur: suam quisque sedem, suos penates regit. Frumenti modum dominus aut pecoris aut vestis ut colono iniungit, et servus hactenus paret: cetera domus officia uxor ac liberi exequuntur. Verberare servum ac vinculis et opere coercere rarum: occidere solent, non disciplina et severitate, sed impetu et ira, ut inimicum, nisi quod impune est. Liberti non multum supra servos sunt, raro aliquod momentum in domo, numquam in civitate, exceptis dumtaxat iis gentibus quae regnantur. Ibi enim et super in-

1 humor *codices* 5 indulxeris *A* 12 expectantium *B* 14 defecerint *A* 18 condicionis *AB* 20 *fortasse* ceterum 21 ministeriis *Vaticanus* 1518: ministris *A*, ministris *B* utuntur *om B* 23 ut colono *B et corr A*: aut colono *pr A* et *B*: ut *A* 27 liberti — argumentum sunt *in fine capitis* 26 *post* ignorantur *habent AB, A etiam hic in margine cum admonitione* in hoc loco potius 29 et super ingenuos *hic (in margine) om A*

genuos et super nobiles ascendunt: apud ceteros impares libertini libertatis argumentum sunt.

26 Fenus agitare et in usuras extendere ignotum; ideoque magis servatur quam si vetitum esset. Agri pro numero cultorum ab universis [invicem] occupantur, quos mox inter se secundum dignationem partiuntur. Facilitatem partiendi camporum spatia praebent. Arva per annos mutant, et superest ager. Nec enim cum ubertate et amplitudine soli labore contendunt, ut pomaria conserant et prata separent, ut hortos rigent; sola terrae seges imperatur. Vnde annum quoque ipsum non in totidem digerunt species; hiems et ver et aestas intellectum ac vocabula habent, autumni perinde nomen ac bona ignorantur.

27 Funerum nulla ambitio. Id solum observant, ut corpora clarorum virorum certis lignis crementur. Struem rogi nec vestibus nec odoribus cumulant: sua cuique arma, quorundam igni et equus adicitur. Sepulcrum caespes erigit: monumentorum arduum et operosum honorem ut gravem defunctis aspernantur. Lamenta ac lacrimas cito, dolorem et tristitiam tarde ponunt. Feminis lugere honestum est, viris meminisse.

Haec in commune de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus: nunc singularum gentium instituta ritusque, quatenus differant [quae nationes e Germania in Gallias commigraverint], expediam.

28 Validiores olim Gallorum res fuisse summus auctor divus Iulius tradit; eoque credibile est etiam Gallos in Germaniam transgressos. Quantulum enim amnis obstabat quo minus, ut quaeque gens evaluerat, occuparet permutaretque sedes promiscuas adhuc et nulla regnorum potentia divisas?

4 seruatur] *immo* uitatur 5 *[inuicem] : inuicē *A*, in uices *B* (*cf. Caes. b. G.* 4 1) 7 prebent *A*, ł prebent prestant *B* 8 labore *B* (*in margine* ł laborare) : ł labore laborare 9 seperent *B* et ut hortos *A*, ut ortos *B* 14 obseruãt *A* : obseruatur *B* 17 adiicitur *AB* cespes *A* 24 [quae — commigrauerint] *Heimsoeth* 26 auctor *B*, autor *A* : auctorum ς 30 diuisas *B*, diuisas *A* (uer)

Igitur inter Hercyniam silvam Rhenumque et Moenum amnes *agros* Helvetii, ulteriora Boii, Gallica utraque gens, tenuere. Manet adhuc Boihaemi nomen signatque loci veterem memoriam quamvis mutatis cultoribus. Sed utrum Aravisci in Pannoniam ab Osis [Germanorum natione], an Osi ab Araviscis in Germaniam commigraverint, cum eodem adhuc sermone institutis moribus utantur, incertum est, quia pari olim inopia ac libertate eadem utriusque ripae bona malaque erant. Treviri et Nervii circa affectationem Germanicae originis ultro ambitiosi sunt, tamquam per hanc gloriam sanguinis a similitudine et inertia Gallorum separentur. Ipsam Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt, Vangiones Triboci Nemetes. Ne Vbii quidem, quamquam Romana colonia esse meruerint ac libentius Agrippinenses [conditoris sui nomine] vocentur, origine erubescunt, transgressi olim et experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocati, ut arcerent, non ut custodirentur.

Omnium harum gentium virtute praecipui Batavi non 29
multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis colunt, Chattorum quondam populus et seditione domestica in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani imperii fierent. Manet honos et antiquae societatis insigne: nam nec tributis contemnuntur nec publicanus atterit; exempti oneribus et collationibus et tantum in usum proeliorum sepositi velut tela atque arma bellis reservantur. Est in eodem obsequio et Mattiacorum gens: protulit enim magnitudo populi Romani

1 hirciniam *A*, hircyniam *B* (*cf. Caesar b. G.* VI 24 *et* 25) *amnes agros : amnes *codices* 2 utraque *om A* 3 boiemi *A*, boihemi *B* (*cf. Müllenhoff in Diurnis antiq. Germ. VIIII p.* 242) signatque *A* : significatque *B* (*cf. Vergil. Aen.* 7 4) 4 arauisci *A* 5 ab Osis] a boiis (osis *margo A*) *AB*; (*cf. Müllenhoff p.* 134) [Germanorum natione] *Passow* 7 quia *Vaticanus* 1518: qui *A*, qui *B* (*fortasse fuit* quippe) 9 Treueri *AB* Neruii *R* : neruli *B*, neruli *A* citra *A* germanice *B*, germanę *A* 13 ne Vbii *Gruter* : nubii *B*, nubii *A* 14 *[conditoris sui nomine] 18 batáui *A* : Batauii *B* 19 chattorum *Vaticanus* 1518: Cattorum *B*, cattorum *A* 22 tributis conteruntur *Vrsinus*

ultra Rhenum ultraque veteres terminos imperii reverentiam. Ita sede finibusque in sua ripa, mente animoque nobiscum agunt, cetera similes Batavis, nisi quod ipso adhuc terrae suae solo et caelo acrius animantur.

Non numeraverim inter Germaniae populos, quamquam trans Rhenum Danuviumque consederint, eos qui decumates agros exercent. Levissimus quisque Gallorum et inopia audax dubiae possessionis solum occupavere; mox limite acto promotisque praesidiis sinus imperii et pars provinciae habentur.

30 Vltra hos Chatti initium sedis ab Hercynio saltu inchoant, non ita effusis ac palustribus locis, ut ceterae civitates in quas Germania patescit, [durant] siquidem colles paulatim rarescunt et Chattos suos saltus Hercynius prosequitur simul ac deponit. Duriora genti corpora, stricti artus, minax vultus et maior animi vigor. Multum, ut inter Germanos, rationis ac sollertiae: praeponere electos, audire praepositos, nosse ordines, intellegere occasiones, differre impetus, disponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare, quodque rarissimum nec nisi Romanae disciplinae concessum, plus reponere in duce quam in exercitu. Omne robur in pedite, quem super arma ferramentis quoque et copiis onerant: alios ad proelium ire videas, Chattos ad bellum. Rari excursus et fortuita pugna. Equestrium sane virium id proprium, cito parare victoriam, cito cedere: velocitas iuxta formidinem, cunctatio propior
31 constantiae est. Et aliis Germanorum populis usurpatum raro et privata cuiusque audentia apud Chattos in consensum vertit, ut primum adoleverint, crinem barbamque sub-

3 batáuis *A* 6 danuuiumque *Vat.* 1518: danubiumque *AB* decumathes *B* 11 ultra *corr A*: ulera *B et pr A* chatti *B*: catti *A* hircynio *A*, Hircynio *B* inchoant *corr A*: incohant *B*, inchoatur *pr A* 13 *[durant]: durant *B*, durans *pr A* 14 rarerscunt *A* chattos *B*: cattos *A* hercinius *A*, hircynius *B* 15 ac *AB*: atque *corr A* 17 solertiae *A* 18 intelligere *AB* 21 romanę *A*, romane *B* 24 chattos *B*: cattos *A* 26 iusta *A* 28 raro *A*: rara *B* chattos *B*: cattos *A*

mittere, nec nisi hoste caeso exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum. Super sanguinem et spolia revelant frontem, seque tum demum pretia nascendi rettulisse dignosque patria ac parentibus ferunt: ignavis et imbellibus manet squalor. Fortissimus quisque ferreum insuper anulum [ignominiosum id genti] velut vinculum gestat, donec se caede hostis absolvat. Plurimis eorum hic placet habitus, iamque canent insignes et hostibus simul suisque monstrati. Omnium penes hos initia pugnarum; haec prima semper acies, visu nova: nam ne in pace quidem vultu mitiore mansuescunt. Nulli domus aut ager aut aliqua cura: prout ad quemque venere, aluntur, prodigi alieni, contemptores sui, donec exanguis senectus tam durae virtuti impares faciat.

Proximi Chattis certum iam alveo Rhenum quique ter- 32
minus esse sufficiat Vsipi ac Tencteri colunt. Tencteri super solitum bellorum decus equestris disciplinae arte praecellunt, nec maior apud Chattos peditum laus quam *in* Tencteris equitum. Sic instituere maiores: posteri imitantur. Hi lusus infantium, haec iuvenum aemulatio; perseverant senes. Inter familiam et penates et iura successionum equi traduntur: excipit filius, non ut cetera, maximus natu, sed prout ferox bello et melior.

Iuxta Tencteros Bructeri olim occurrebant: nunc Cha- 33
mavos et Angrivarios immigrasse narratur, pulsis Bructeris ac penitus excisis vicinarum consensu nationum, seu superbiae odio seu praedae dulcedine seu favore quodam erga nos deorum: nam ne spectaculo quidem proelii invidere. Super sexaginta milia non armis telisque Romanis, sed quod magnificentius est, oblectationi oculisque ceciderunt.

3 noscendi *B*, noscendi *A* retulisse *codices* 6 *[ignominiosum id genti] 7 absoluerit *A* *eorum : chattorum *B*, cattorum *A* 8 et *om pr A* 11 rura *A* 13 exangues *A* 15 chattis *B* : cattis *A* 18 chattos *B* : cattos *A* *quam in : quam 24 iusta *A* chamauos *B* : chamanos *A* (*in margine* chamaui) 25 angriuarios *B* : angrinarios *A* bructeriis *B* 29 milia *B*, milia *A*

Maneat, quaeso, duretque gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui, quando urgentibus in imperii fatis nihil iam praestare Fortuna maius potest quam hostium discordiam.

34 Angrivarios et Chamavos a tergo Dulgibini et Chasuarii cludunt aliaeque gentes haud perinde memoratae, a fronte Frisii excipiunt. Maioribus minoribusque Frisiis vocabulum est ex modo virium. Vtraeque nationes usque ad Oceanum Rheno praetexuntur ambiuntque immensos insuper lacus et Romanis classibus navigatos. Ipsum quin etiam Oceanum illa temptavimus: et superesse adhuc Herculis columnas fama vulgavit, sive adiit Hercules, seu quidquid ubique magnificum est, in claritatem eius referre consensimus. Nec defuit audentia Druso *ac* Germanico: sed obstitit Oceanus in se simul atque in Herculem inquiri. Mox nemo temptavit, sanctiusque ac reverentius visum de actis deorum credere quam scire.

35 Hactenus in occidentem Germaniam novimus: in septentrionem ingenti flexu redit. Ac primum statim Chaucorum gens, quamquam incipiat a Frisiis ac partem litoris occupet, omnium quas exposui gentium lateribus optenditur, donec in Chattos usque sinuetur. Tam immensum terrarum spatium non tenent tantum Chauci, sed et implent, populus inter Germanos nobilissimus quique magnitudinem suam malit iustitia tueri. Sine cupiditate, sine impotentia, quieti

2 *urgentibus in : urgentibus iam *AB* 4 angriuarios *B* : angrinarios *A* chamauos *B* : chamanos *A* dulgibini *Vaticanus* 1518, dulgibini *B* : dulgitubini *A* (Dulgubnii *Iac. Grimm, forma fortasse Germanica, sed ori Latino ad pronuntiandum inhabilis; cf.* Πρόκλος *et* Proculus, Ἀλκμήνη *et* Alcumena, Τέκμησσα *et* Tecumessa) chasuarii ς : tasuarii *A*, thasuarii *B* 5 cludunt *B* : cludunt *A* 6 frisii *B* : frisii *A* frisiis *A*, frisis *B* 10 tentauimus *AB* 11 uulgauit *A* : uolgauit *B* 12 magnificum *A* (*in margine* magnum) : magnus *B* 13 *ac : *om. codices* (*cf.* 13 55, *G.* 37; et *supplevit Freinsheim*) 14 tentauit *AB* 18 *primum : primo *codices* (*hoc natum ex* primũ) chaucorum *B* : caucorum *A* 19 frisis *AB* 20 optenditur *A* : obtenditur *B* 21 chattos *B* : cattos *A* nam *A* : nam *B* 23 malit *Vaticanus* 1518: maluit *B et pr A*, malint *corr A*

secretique nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur. Id praecipuum virtutis ac virium argumentum est, quod, ut superiores agant, non per iniurias assequuntur; prompta tamen omnibus arma ac, si res poscat, exercitus, plurimum virorum equorumque; et quiescentibus eadem fama.

In latere Chaucorum Chattorumque Cherusci nimiam 36
ac marcentem diu pacem inlacessiti nutrierunt: idque iucundius quam tutius fuit, quia inter inpotentes et validos falso quiescas: ubi manu agitur, modestia ac probitas nomina superioris sunt. Ita qui olim boni aequique Cherusci, nunc inertes ac stulti vocantur: Chattis victoribus fortuna in sapientiam cessit. Tracti ruina Cheruscorum et Fosi, contermina gens: adversarum rerum ex aequo socii sunt, cum in secundis minores fuissent.

Eundem Germaniae sinum proximi Oceano Cimbri te- 37
nent, parva nunc civitas, sed gloria ingens. Veterisque famae lata vestigia manent, utraque ripa castra ac spatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis et tam magni exitus fidem.

Sescentesimum et quadragesimum annum urbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma, Caecilio Metello ac Papirio Carbone consulibus. Ex quo si ad alterum imperatoris Traiani consulatum computemus, ducenti ferme et decem anni colliguntur: tam diu Germania vincitur. Medio tam longi aevi spatio multa in vicem damna. Non Samnis, non Poeni, non Hispaniae Galliaeve, ne Parthi quidem saepius admonuere: quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis quam caedem

ante Ch. 113.

P. Ch. 98

4 ac *B et Vaticanus* 1518 : et *A* 7 chattorumque *B* : cattorumque *A* 8 ilacessiti *A* iocundius *B* 9 inpotentes *A* : ipotentis *B* 10 nomina *Beroaldus (non Puteolanus)* : nomine *AB* 12 chattis *B* : cattis *A* 13 tracti *s* : tacti *AB* cheruscorum *A* : cheruschorum *B* fosi *Vaticanus* 1518: fusi *A*, fusi *B* 14 aduersarum rerum *AB* 16 sinum *B* : situm *A* cimbri *B* : cymbri *A* 19 ambitum *B* 21 sescentesimum *AB* 23 ac *B et Vaticanus* 1518: et *A* sapyrio *A*, Sapirio *B* 26 tam longi *pr A*

Crassi, amisso et ipse Pacoro infra Ventidium deiectus, Oriens obiecerit? At Germani Carbone et *L.* Cassio et Scauro Aurelio et Servilio Caepione, Cn. quoque Manlio fusis vel captis quinque simul consularis exercitus populo Romano, Varum trisque cum eo legiones etiam Caesari *Augusto* abstulerunt; nec impune C. Marius in Italia, divus Iulius in Gallia, Drusus ac Nero et Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. Mox ingentes C. Caesaris minae in ludibrium versae. Inde otium, donec occasione discordiae nostrae et civilium armorum expugnatis legionum hibernis etiam Gallias affectavere; ac rursus inde pulsi proximis temporibus triumphati magis quam victi sunt.

38 Nunc de Suebis dicendum est, quorum non una, ut Chattorum Tencterorumve, gens: maiorem enim Germaniae partem optinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quamquam in commune Suebi vocentur. Insigne gentis obliquare crinem nodoque substringere. Sic Suebi a ceteris Germanis, sic Sueborum ingenui a servis separantur. In aliis gentibus seu cognatione aliqua Sueborum seu, quod saepe accidit, imitatione, rarum et intra iuventae spatium: apud Suebos *omnes* usque ad canitiem horrentem [capillum] retro *crinem* sequuntur ac saepe in ipso vertice religant; principes et ornatiorem habent. Ea cura formae, sed innoxia: neque enim ut ament amenturve, in altitudinem quandam et terrorem adituri bella, compti ut hostium oculis, ornantur.

1 et ipse ς : et ipso.et ipse *AB* 2 *L. Cassio : cassio *codices* 3 Cn. *Ernesti* : Marco *AB* 4 ppti .ro. *pr A* i *in* o *mutato*: populi romani *B* 5 trisque *A* : tresque *B* *Caesari Augusto : caesari *A*, caesaris *B* (*cf.* 3 28, *tum* 2 2, *H.* 1 50) absperculerunt *pr A* 11 ac rursus inde pulsi ĩ proximis *A*, ac rursus pulsi ꝺnam inde proximis *B* 13 sueuis *AB* 16 quamquam *B* : quamᵘⁱˢ *A* sueui *AB*, *mox* sueui, *tum* sueuorum, *dein* sueuos 20 rarum id *potius* 21 *omnes usque : usque *codices* *[capillum] 22 *crinem : *om codices* in ipso solo uertice *A* : in ꝺipso solo uertice *B* (in ipso solo uertici *Lachmann*) religant ς : religatur *AB* 23 innoxia *Muretus* : innoxie *AB* 24 *fortasse* immo in 25 comptius hostium *Lachmann* 26 ornantur *A* : armantur *B*

Vetustissimos se nobilissimosque Sueborum Semnones 39
memorant; fides antiquitatis religione firmatur. Stato tempore in silvam, auguriis patrum et prisca formidine sacram, omnes eiusdem sanguinis populi legationibus coeunt, caesoque publice homine celebrant barbari ritus horrenda primordia. Est et alia luco reverentia: nemo nisi vinculo ligatus ingreditur, ut minor et potestatem numinis prae se ferens. Si forte prolapsus est, attolli et insurgere haud licitum; per humum evolvuntur. Eoque omnis superstitio respicit, tamquam inde initia gentis, ibi regnator omnium deus, cetera subiecta atque parentia. Adicit auctoritatem fortuna Semnonum: centum pagi iis habitantur, magnoque corpore efficitur ut se Sueborum caput credant.

Contra Langobardos paucitas nobilitat. Plurimis ac va- 40
lentissimis nationibus cincti non per obsequium, sed proeliis et periclitando tuti sunt. Reudigni deinde et Aviones et Anglii et Varini et Eudoses et Suarines et Nurtones fluminibus aut silvis muniuntur. Nec quicquam notabile in singulis, nisi quod in commune Erthum, id est Terram matrem, colunt eamque intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur. Est in insula Oceani castum nemus, dicatumque in eo vehiculum, veste contectum; attingere uni sacerdoti concessum. Is adesse penetrali deam intellegit, vectamque

1 sueuorum *AB* senones *A*, semones *B* 3 auguriis — sacràm *glossam esse credidit Ernesti, vere, ut videtur* patrum *corr A* : patrium *B et pr A* sacram *A* : sacrum *B* 4 omnes *superposito* t nominis t numinis *B* 8 plapsus *A* 11 parentia *A* adiicit *AB* 12 semnonum *Vaticanus* 1518: senonum *A*, semonum *B* pagi iis *Brotier* : pagis *codices* habitant *Ernesti* corpore *A*, tempore *B* officitur *A* 13 sueuorum *AB* 14 largobardos *B*, longobardos *A* nobilitat ς : nobilitas *AB* ac *A* : et *B* 16 reudigni ς : ueusdigni *A*, ueusdigni *B* auiones *B* : aniones *A* 17 suarines *B et Vaticanus* 1518 : suarines *A* nurtones *A*, Nurthones (*sic*) *B*, nuithones *Vaticanus* 1518 19 *Erthum : Nerthum (*sic*) *B*, nerthum *A*, nethum *Vaticanus* 1518 (n *adhaesit ex* commune) 22 eo *R* : ea *AB* 23 intelligit *codices*

bubus feminis multa cum veneratione prosequitur. Laeti tunc dies, festa loca, quaecumque adventu hospitioque dignatur. Non bella ineunt, non arma sumunt; clausum omne ferrum; pax et quies tunc tantum nota, tunc tantum amata, donec idem sacerdos satiatam conversatione mortalium deam templo reddat. Mox vehiculum et vestes et, si credere velis, numen ipsum secreto lacu abluitur. Servi ministrant, quos statim idem lacus haurit. Arcanus hinc terror sanctaque ignorantia, quid sit illud quod tantum perituri vident.

41 Et haec quidem pars Sueborum in secretiora Germaniae porrigitur. Propior (ut quomodo paulo ante Rhenum, sic nunc Danuvium sequar) Hermundurorum civitas, fida Romanis; eoque solis Germanorum non in ripa commercium, sed penitus atque in splendidissima Raetiae provinciae colonia. Passim sine custode transeunt; et cum ceteris gentibus arma modo castraque nostra ostendamus, his domos villasque patefecimus non concupiscentibus. In Hermunduris Albis oritur, flumen inclitum et notum olim; nunc tantum auditur.

42 Iuxta Hermunduros Naristi ac deinde Marcomani et Quadi agunt. Praecipua Marcomanorum gloria viresque, atque [etiam] ipsa sedes pulsis olim Bois virtute parta. Nec Naristi Quadive degenerant. Eaque Germaniae velut frons est, quatenus Danuvio peragitur. Marcomanis Quadisque usque ad nostram memoriam reges manserunt ex gente ipsorum, nobile Marobodui et Tudri genus: iam et externos patiuntur, sed vis et potentia regibus ex auctoritate Ro-

4 nota—amata] amata—nota *Lachmann* 7 nomen *A* 10 Sueuorum *R*: uerborum *codices* 12 danuuium *B*: danubium *A* 14 rhetię *A* (*fortasse* Raeticae) 15 passim sine *AB*: passim et sine ς 16 ostendamus *A*: ōndamus *B* 20 iusta *A* naristi *AB*: maristi ς, narisci *margo A* (Varisti *commendat Müllenhoff in Diurn. antiq. Germ.* VIIII 232) marcomani *B*: marcomāni *pr A*, marcománi corr *A* 21 marcomanorum *AB* 22 *[etiam] etiam ipsa *A*ς: ipsa etiam *B*ς bois *B*: boiis *A* parta ς: parata *AB* 24 danuuio *B*: danubio *A* peragitur] praecingitur *Tagmann* (*cf. c.* 28: acto limite, *c.* 44: frontem agit) marcomanis *B*: marcomānis *pr A* 25 manserunt *A*: mansere *B* 26 marobodui *A*: marabodui *B*

mana. Raro armis nostris, saepius pecunia iuvantur, nec minus valent.

Retro Marsigni Cotini Osi Buri terga Marcomanorum 43
Quadorumque claudunt. E quibus Marsigni et Buri sermone cultuque Suebos referunt: Cotinos Gallica, Osos Pannonica lingua coarguit non esse Germanos, et quod tributa patiuntur. Partem tributorum Sarmatae, partem Quadi ut alienigenis imponunt. Cotini, quo magis pudeat, et ferrum effodiunt. Omnesque hi populi pauca campestrium, ceterum saltus et vertices montium colliumque insederunt. Dirimit enim scinditque Suebiam continuum montium iugum, ultra quod plurimae gentes agunt, ex quibus latissime patet Ligiorum nomen in plures civitates diffusum. Valentissimas nominasse sufficiet, Harios Helveconas Manimos Elisios Nahanarvalos. Apud Nahanarvalos antiquae religionis lucus ostenditur. Praesidet sacerdos muliebri ornatu, sed deos interpretatione Romana Castorem Pollucemque memorant. Ea vis numini, nomen Alcis. Nulla simulacra, nullum peregrinae superstitionis vestigium: ut fratres tamen, ut iuvenes venerantur. Ceterum Harii super vires, quibus enumeratos paulo ante populos antecedunt, truces insitae feritati arte ac tempore lenocinantur. Nigra scuta, tincta corpora; atras ad proelia noctes legunt, ipsaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hostium sustinente novum ac velut infernum aspectum: nam primi in omnibus proeliis oculi vincuntur.

3 Cotini ς : gotini, *dein* gotinos, tum gotini *AB*, *Κοτινοί* Dio 71 12, *Κότνοι Ptolemaeus* 2 11 21; *cf. Müllenhoff p.* 243 *sq.* marcomanorum *B* : marcomānorum *pr A* 5 sueuos *AB* 10 *colliumque : iugumque *codices* (*Acidalius* [iugumque]) 11 sueuiam *AB* 12 legiorum *A* : legiorum *B* (*cf.* 12 29) 14 helueconas *A* : heluetonas *B*, Heluaeconas *Müllenhoff p.* 247 elisios *A* : Helysios *B* nahanarualos *Vaticanus* 1518, Nahanarualos *B* : naharualos *A* 15 apud naharualos *AB* 17 memorant *B* : noīat memorat *A* 18 alcis *B et Vaticanus* 1518: aleis *A* 20 Harii *Stutgardiensis* : alii *AB* 21 truces *Beroaldus* : trucis *B*, trucis *A*

Trans Ligios Gotones regnantur, paulo iam adductius quam ceterae Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. Protinus deinde ab Oceano Rugii et Lemovii; omniumque harum gentium insigne rotunda scuta, breves gladii et erga reges obsequium.

44 Suionum hinc civitates, ipso in Oceano, praeter viros armaque classibus valent. Forma navium eo differt quod utrimque prora paratam semper appulsui frontem agit. Nec velis ministrant nec remos in ordinem lateribus adiungunt: solutum, ut in quibusdam fluminum, et mutabile, ut res poscit, hinc vel illinc remigium. Est apud illos et opibus honos, eoque unus imperitat, nullis iam exceptionibus, non precario iure parendi. Nec arma, ut apud ceteros Germanos, in promiscuo, sed clausa sub custode, et quidem servo quia subitos hostium incursus prohibet Oceanus, otiosae porro armatorum manus facile lasciviunt: enimvero neque nobilem neque ingenuum, ne libertinum quidem armis praeponere regia utilitas est.

45 Trans Suionas aliud mare, pigrum ac prope immotum, quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides, quod extremus cadentis iam solis fulgor in ortum edurat adeo clarus, ut sidera hebetet; sonum insuper emergentis audiri, formasque deorum et radios capitis aspici persuasio adicit. [Illuc usque, et fama vera, tantum natura.]

Ergo iam dextro Suebici maris litore Aestiorum gentes adluuntur, quibus ritus habitusque Sueborum, lingua Britannicae propior. Matrem deum venerantur. Insigne superstí-

1 ligios *A*: lygios *B* Gotones] gothones *AB* (*v. Müllenhoff p.* 244) regnantur *B*: regnant *A* 3 protenus *B* lemouii *B*: lemonii *A* 6 ipso *Vaticanus* 1518: ipsę *A*, ipse *B* oceano *B*: oceanum *A* 9 ministrant *L*: ministrantur *codices* 15 otiosae *Coler*: ociosa *AB* 19 suionas *B*: suiones *A* 21 ortum *AB*: ortus ς 22 formaeque decorem *Heinsius* 23 adiicit *AB* 24 *[illuc—natura] 25 seuici *A*, saeuici *B* aestiorum *B*: estiorum *A* (*cf. Müllenhoff l. c. VIIII p.* 225) 26 adluuntur *Vaticanus* 1518: abluuntur *AB* sueuorum *AB*

tionis formas aprorum gestant: id pro armis omnique tutela securum deae cultorem etiam inter hostis praestat. Rarus ferri, frequens fustium usus. Frumenta *colere* ceterosque fructus patientius quam pro solita Germanorum inertia laborant. Sed et mare scrutantur, ac soli omnium sucinum, quod ipsi glesum vocant, inter vada atque in ipso litore legunt. Nec quae natura quaeve ratio gignat, ut barbaris, quaesitum compertumve; diu quin etiam inter cetera eiectamenta maris iacebat, donec luxuria nostra dedit nomen. Ipsis in nullo usu: rude legitur, informe perfertur, pretiumque mirantes accipiunt. Sucum tamen arborum esse intellegas, quia terrena quaedam atque etiam volucria animalia plerumque interlucent, quae implicata umore mox durescente materia cluduntur. Fecundiora igitur nemora lucosque, sicut Orientis secretis, ubi tura balsamaque sudantur, ita Occidentis insulis terrisque inesse crediderim. Quae vicini solis radiis expressa atque liquentia in proximum mare labuntur, ... ac vi tempestatum in adversa litora exundant. Si naturam sucini admoto igni temptes, in modum taedae accenditur alitque flammam pinguem et olentem; mox ut in picem resinamve lentescit.

Suionibus Sithonum gens continuatur. Cetera similes uno differunt quod femina dominatur: in tantum non modo a libertate sed etiam a servitute degenerant.

Hic Suebiae finis. Peucinorum Venetorumque et Fen- 46
norum nationes Germanis an Sarmatis ascribam dubito; quam-

1 omnique *L et liber Turicensis* : omniumque *AB* 2 ostis *A*, hostes *B* 3 *colere ceterosque : ceterosque *codices* 5 sucinum *B* : succinum *A* 11 sucum *B* : succum *A* intelligas *AB* 13 *umore : humore *codices* (*cf. ad* 1 68) 15 sudantur *B* : sudant *A* 16 radius *AB* 18 . . . *ac : ac *codices* (*expleas* concrescunt ac) 19 sucini *B* : succini *A* igni *A* : igne *B* tentes *AB* tede *AB* 22 siuionibus *B* sithonum *A* : sitonum *B* gens *B* : gens *A* continuatur *B* : continuantur *A* 23 dnãtur *A* 24 degenerant *B* : degnãtur *A* 25 hic *B* : hi *A* sueuię *AB* finis *Puteolanus et codex Hummelianus* : fines *AB* peucinorum (*in margine* peucini) *A*, peucinorum *B* thorumque, *mox* Venethi *B*

quam Peucini, quos quidam Bastarnas vocant, sermone cultu, sede ac domiciliis ut Germani agunt; sordes omnium ac torpor procerum. Conubiis mixtis nonnihil in Sarmatarum habitum foedantur. Veneti multum ex moribus traxerunt: nam quicquid inter Peucinos Fennosque silvarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant. Hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia et domos figunt et scuta gestant et peditum usu ac pernicitate gaudent: quae omnia diversa Sarmatis sunt in plaustro equoque viventibus. Fennis mira feritas, foeda paupertas: non arma, non equi, non penates; victui herba, vestitui pelles, cubile humus; sola in sagittis spes, quas inopia ferri ossibus asperant. Idemque venatus viros pariter ac feminas alit: passim enim comitantur partemque praedae petunt. Nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur: huc redeunt iuvenes, hoc senum receptaculum. Sed beatius arbitrantur quam ingemere agris, inlaborare domibus, suas alienasque fortunas spe metuque versare: securi adversus homines, securi adversus deos rem difficillimam assecuti sunt, ut illis ne voto quidem opus esset. Cetera iam fabulosa: Hellusios et Oxionas ora hominum vultusque, corpora atque artus ferarum gerere; quod ego ut incompertum in medio relinquam.

3 connubiis *AB* mistos *A*, mixtos *B* (mixti *Coler; fortasse* mixti iis) non nichil *B* 5 quicquid *A* 7 figunt *A*: fingunt *B* peditum *corr A et* ς: pecudum *B et pr A* (pedum *L*) 14 hymbriumque *B* 16 hoc senum *A* 17 ĩlaborare *A*: illaborare *B* 19 difficillimam *Vaticanus* 1518: difficilem *AB* 20 esset] sit *R* 21 uultusque *A*: uoltusque *B* corpora *AB*: et corpora ς 22 medio *Halm*: medium *codices*

CORNELII TACITI
DE VITA ET MORIBUS
IULII AGRICOLAE
LIBER.

BREVIARIVM. C. 1—3. Prooemium. Ad prodendam virtutis memoriam prioris aevi ingenia, sine gratia aut ambitione, bonae tantum conscientiae pretio ducebantur, ac plerique suam vitam narrare fiduciam potius morum quam arrogantiam arbitrati sunt: Tacito defuncti hominis vitam scripturo venia legentium opus fuisset, quam petere noluit, saevitiam temporum incusaturus (1—2). Nunc Nerva Caesar et Traianus novi ac laetissimi saeculi primordia ostendunt, auctoremque libri iam non pigebit vel incondita voce memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse; interim edita Agricolae soceri sui vita pietatis officio satisfacere intendit (3).

C. 4—17. Agricolae vita ante Britanniae administrationem. Ei patria Foroiuliensium colonia, avus eques Romanus, pater senatorii ordinis, studio eloquentiae sapientiaeque notus. Ipse post praematuram patris mortem in sinu et indulgentia matris per omnem honestarum artium cultum educatus est, statim parvulus sedem ac magistram studiorum nactus Massiliensium coloniam. Prima in iuventa studium philosophiae acrius hausurum coercuit prudentia matris, mox mitigavit ratio et aetas, sed retinuit ex sapientia modum (4). Prima castrorum rudimenta in Britannia Suetonio Paulino tribunus militum approbavit, in dubiis rebus intentus cautusque. Ibi animum eius intravit militaris gloriae cupido (5). In urbem regressus Domitiam, splendidis natalibus ortam, sibi iunxit. Sors quaesturae provinciam Asiam, proconsulem Salvium Titianum dedit. Tribunatum plebis et praeturam quiete et otio transiit, gnarus sub Nerone temporum. Mox a Galba delectus ad recognoscenda templorum dona diligentissima conquisitione bono publico consuluit (6). Sequens annus matrem abstulit. Agricola ad sollemnia pietatis profectus in Liguriam nuntio affectati a Vespasiano imperii deprehensus et statim in partes transgressus est. A Muciano vicesimae legioni Britannicae praepositus sub Vettio Bolano, consulari legato, vim suam ardoremque compescuit, dein sub Ceriale strenuus et clarus bello egit (7—8). In urbem reversus inter patricios assumitur, tum Aquitaniae provinciae praeficitur, quam pari iustitia et lenitate rexit. Ad spem consulatus revocatus et post consulatum Britanniae praepositus est (9). Britanniae situs et populi (10—11). In pedite robur; quaedam nationes et curru proeliantur. Rarus duabus tribusve civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus. Caelum insulae et fruges (12). Britanni tributa et dilectus impigre obeunt, iniurias aegre tolerant. Divus Iulius primus Romanorum cum exercitu Britanniam ingressus ostendit posteris, non tradidit. Auctor patrati operis divus Claudius (13). Legatorum consularium primus impositus est A. Plautius, subinde Ostorius Scapula; redacta in provinciae formam proxima pars Britanniae. Ostorium Gallus excepit,

hunc Veranius; post quem Suetonius Paulinus per biennium prosperas res habuit, sed Monam insulam aggressus occasioni terga patefecit. Paulinus propere subveniens primo de salute, mox pro victoria certavit. Paulino successor Petronius Turpilianus; is compositis prioribus nihil ultra ausus Trebellio Maximo provinciam tradidit. Sub eo militari seditione laboratum, nec Vettius Bolanus agitavit Britanniam disciplina (14—16). Successor Petilius Cerialis, strenuus bello, Brigantum civitatem, dein Iulius Frontinus Silurum gentem armis subegit (17).

C. 18—38. Agricolae legatio Britannica. Media iam aestate in Britanniam transgressus, quamquam tarda et contraria bellum inchoaturo omnia offendit, contractis modicis viribus Ordovices hostes aggreditur, caesaque prope universa gente in Monam sine classe copias transmisit insulamque in potestatem redegit. Quibus factis clarus et magnus habetur; ipse famae dissimulatione famam auxit (18). Iustitia et aequitate causas bellorum excindere statuit (19). Vbi aestas advenit, contracto exercitu praesidia promovit; multae civitates datis obsidibus iram posuere (20). Sequens hiems saluberrimis consiliis absumpta. Britanni Romana consuetudine pacati et delenimentis vitiorum illecti (21). Tertius expeditionum annus novas gentes aperuit. Agricolae prudentia in tuendis iis quae subiecerat (22). Quarta aestate ad Clotam usque et Bodotriam duxit exercitus (23). Quinto expeditionum anno Clotam navibus transgressus ignotas ad id tempus nationes crebris ac prosperis proeliis domuit, de Hibernia intranda et subigenda cogitavit (24). Aestate qua sextum officii annum inchoabat, amplexus est civitates trans Bodotriam sitas, comitante classe in partem virium assumpta. Conciti ad arma Caledoniam incolentes populi; pluribus agminibus cum irrupturi essent, diviso in tres partes exercitu Agricola incessit (25). Quod ubi cognitum hosti, mutato repente consilio universi nonam legionem noctu aggressi sunt. Sed Agricola propere subveniens legionem discrimini exemit, hostes in fugam coniecit. Mox irritatis utrimque animis discessum (26—27). Eadem aestate cohors Vpsiporum magnum et memorabile facinus ausa est (28). Sequentis aestatis initio Agricola praemissa classe cum expedito exercitu ad montem Graupium pervenit, quem Caledonii duce Calgaco magno exercitu insederant (29). Vtriusque ducis ad suos adhortatio (30—34). Proelium atrox et Britannis funestum (35—37). Dux Romanus praefecto classis Britanniam circumvehi praecipit; ipse obsidibus acceptis peditem atque equitem in hiberna reducit (38).

C. 39—46. Agricolae postrema. Domitianus ob Agricolae gloriam variis curis exercitus, quas hic noster sollerter recludit (39). Nihilo minus triumphalia ornamenta multo verborum honore cumulata decerni Caesar in senatu iubet, addique opinionem Syriam provinciam Agricolae destinari. Regreditur Agricola; in urbe de ea re rumores. Otium penitus auxit, claritudinem celavit (40). Ob virtutes et gloriam suspectus Domitiano (41). Memorabile eius suspitionis et metus argumentum. Agricola prudentia et moderatione saevitiam principis lenivit (42). Finis vitae suis luctuosus, amicis tristis, etiam ignotis non sine cura. Augebat miserationem constans rumor veneno interceptum esse. Rei non certae quaedam signa (43). De moribus viri defuncti postrema (44). Opportunitas mortis, insequentium temporum saevitia (45). Verus honos erga mortuum, coniunctissimi cuiusque pietas aemulatio sunt et laudes (46).

Clarorum virorum facta moresque posteris tradere, antiquitus usitatum, ne nostris quidem temporibus quamquam 1

Codices Γ et Δ, h. e. Vaticanus 3429 *et* 4498. Cornelii Taciti de uita et moribus Iulii Agricolae *Γ*, Cai Corneli Taciti de uita et moribus Iulii Agricolae. prohemium *Δ*

incuriosa suorum aetas omisit, quotiens magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac supergressa est vitium parvis magnisque civitatibus commune, ignorantiam recti et invidiam. Sed apud priores ut agere digna memoratu pronum magisque in aperto erat, ita celeberrimus quisque ingenio ad prodendam virtutis memoriam, sine gratia aut ambitione, bonae tantum conscientiae pretio ducebatur. Ac plerique suam ipsi vitam narrare fiduciam potius morum quam arrogantiam arbitrati sunt; nec id Rutilio et Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit: adeo virtutes isdem temporibus optime aestimantur, quibus facillime gignuntur. At nunc narraturo mihi vitam 2
defuncti hominis venia opus fuit, quam non petissem, incusaturus tam saeva et infesta virtutibus tempora. Legimus, cum Aruleno Rustico Paetus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse, neque in ipsos modo auctores sed in libros quoque eorum saevitum, delegato triumviris ministerio ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur. Scilicet illo igne vocem populi Romani et libertatem senatus et conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur, expulsis insuper sapientiae professoribus atque omni bona arte in exilium acta, ne quid usquam honestum occurreret. Dedimus profecto grande patientiae documentum; et sicut vetus aetas vidit quid ultimum in libertate esset, ita nos quid in servitute, adempto per inquisitiones etiam loquendi audiendique commercio. Memoriam quoque ipsam cum voce perdidisse- 3
mus, si tam in nostra potestate esset oblivisci quam tacere. Nunc demum redit animus: set quamquam primo statim beatissimi saeculi ortu Nerva Caesar res olim dissociabiles miscuerit, principatum ac libertatem, augeatque quotidie felicitatem temporum Nerva Traianus, nec spem modo ac votum securitas publica sed ipsius voti fiduciam ac robur as-

10 optimę $\Delta\Gamma$ 9 nunc] nuper *Niebuhr* 12 petijssem Γ: petiissem Δ 13 saeuia et infelicia Δ 14 Petus $\Delta\Gamma$ thrasea Δ: Trasea Γ herhennio Δ Senecioni R: senetioni $\Delta\Gamma$ 17 monumenta Γ: monimenta Δ 19 uocem *om* Δ 22 occurrẽ Δ 23 grande *om* Δ 26 cõmertio Δ, comertio Γ 28 rediit *Spengel* sed *Bipontini*: et $\Delta\Gamma$ 29 seculi ($\Delta\Gamma$) olym Γ dissotiabiles Γ, dissolubiles Δ

sumserit, natura tamen infirmitatis humanae tardiora sunt remedia quam mala; et ut corpora nostra lente augescunt, cito extinguuntur, sic ingenia studiaque oppresseris facilius quam revocaveris. Subit quippe etiam ipsius inertiae dulcedo, et invisa primo desidia postremo amatur. Quid? si per quindecim annos, grande mortalis aevi spatium, multi fortuitis casibus, promptissimus quisque saevitia principis interciderunt, pauci et, uti dixerim, non modo aliorum sed etiam nostri superstites, *super*sumus, exemptis e media vita tot annis, quibus iuvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactae aetatis terminos per silentium venimus. Non tamen pigebit vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse. Hic interim liber, honori Agricolae soceri mei destinatus, professione pietatis aut laudatus erit aut excusatus.

4 Cn. Iulius Agricola, vetere et illustri Foroiuliensium p. Ch. 40 colonia ortus, utrumque avum procuratorem Caesarum habuit, quae equestris nobilitas est. Pater *eius* Iulius Graecinus, senatorii ordinis, studio elequentiae sapientiaeque notus, iisque ipsis virtutibus iram C. Caesaris meritus: namque M. Silanum accusare iussus et, quia abnuerat, interfectus est. Mater Iulia Procilla fuit, rarae castitatis. In huius sinu indulgentiaque educatus per omnem honestarum artium cultum pueritiam adulescentiamque transegit. Arcebat eum ab illecebris peccantium, praeter ipsius bonam integramque naturam, quod statim parvulus sedem ac magistram studiorum Massiliam habuit, locum Graeca comitate et provinciali parsimonia mixtum ac bene compositum. Memoria teneo solitum ipsum narrare se prima in iuventa studium philosophiae acrius, ultra quam concessum Romano ac senatori, hausisse,

3 extinguntur $\Delta\Gamma$ 5 XV Δ 6 multi L : multis $\Delta\Gamma$ 9 * superstites. supersumus : superstites sumus $\Delta\Gamma$ 12 seruitutis *Vrsinus et* L : senectutis 16 Cn. Δ : Gneus Γ uetere Γ : uotim Δ foriuliensium Δ 17 Caesarum Γ : Caesaris Δ 18 *eius : Iulii Γ, Iuli Δ, *om* L Grecinus Δ, Grecinus Γ 20 C. Δ : Cai Γ Marcum Sillanum Γ, M. Sullanum Δ 23 honestarum Γ : honestatis Δ cultum Δ 24 puericiam Γ eum] tamen Δ 27 habuit Δ, hũit Γ (= *habuit*) 28 mistum $\Delta\Gamma$ 29 in *om* Δ

ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum coercuisset. Scilicet sublime et erectum ingenium pulchritudinem ac speciem magnae excelsaeque gloriae vehementius quam caute appetebat. Mox mitigavit ratio et aetas, retinuitque, quod est difficillimum, ex sapientia modum.

Prima castrorum rudimenta in Britannia Suetonio Paulino, diligenti ac moderato duci, approbavit, electus quem contubernio aestimaret. Nec Agricola licenter, more iuvenum qui militiam in lasciviam vertunt, neque segniter ad voluptates et commeatus titulum tribunatus et inscitiam rettulit: sed noscere provinciam, nosci exercitui, discere a peritis, sequi optimos, nihil appetere in iactationem, nihil ob formidinem recusare, simulque et anxius et intentus agere. Non sane alias exercitatior magisque in ambiguo Britannia fuit: trucidati veterani, incensae coloniae, intercepti exercitus; tum de salute, mox de victoria certavere. Quae cuncta etsi consiliis ductuque alterius agebantur, ac summa rerum et recuperatae provinciae gloria in ducem cessit, artem et usum et stimulos addidere iuveni, intravitque animum militaris gloriae cupido, ingrata temporibus quibus sinistra erga eminentes interpretatio nec minus periculum ex magna fama quam ex mala. 5 P. Ch. 61

Hinc ad capessendos magistratus in urbem digressus Domitiam Decidianam, splendidis natalibus ortam, sibi iunxit; idque matrimonium ad maiora nitenti decus ac robur fuit. Vixeruntque mira concordia, per mutuam caritatem et invicem se anteponendo, nisi quod in bona uxore tanto maior laus quanto in mala plus culpae est. Sors quaesturae provinciam Asiam, proconsulem Salvium Titianum dedit, quorum neutro corruptus est, quamquam et provincia dives ac parata peccantibus, et proconsul in omnem aviditatem pronus quantalibet facilitate redempturus esset mutuam dissimulationem 6 P. Ch. 64

1 cohercuisset *A* 4 retinuit *A* 6 Brittannia *A*, *perinde paulo post* 9 neque *Γ*: nec *A* 10 iustitiam *A* rettulit *Puteolanus*: retulit *ΓA* 11 prouintiam *Γ* 14 exercitator *A* 15 intercepti *Puteolanus*: intersepti *AΓ* 16 et si *AΓ* 23 digressus *A*: degressus *Γ* 27 anteponendo *Γ*: appetendo *A* 29 procōs. *A* 30 ac] et *A* 31 quantilibet fęlicitate *A*

mali. Auctus est ibi filia, in subsidium simul et solacium: nam filium ante sublatum brevi amisit. Mox inter quaesturam ac tribunatum plebis atque ipsum etiam tribunatus annum quiete et otio transiit, gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit. Idem praeturae otium et silentium: nec enim iurisdictio obvenerat. Ludos et inania honoris medio rationis atque abundantiae duxit, uti longe a luxuria, ita famae propior. Tum electus a Galba ad dona templorum recognoscenda diligentissima conquisitione fecit, ne cuius alterius sacrilegium res publica quam Neronis sensisset.

7 Sequens annus gravi vulnere animum domumque eius
p. Ch. 69 afflixit. Nam classis Othoniana licenter vaga dum Intemelios [Liguriae pars est] hostiliter populatur, matrem Agricolae in praediis suis interfecit, praediaque ipsa et magnam patrimonii partem diripuit, quae causa caedis fuerat. Igitur ad sollemnia pietatis profectus Agricola nuntio affectati a Vespasiano imperii deprehensus ac statim in partes transgressus est. Initia principatus ac statum urbis Mucianus regebat, iuvene admodum Domitiano et ex paterna fortuna tantum licentiam usurpante. Is missum ad dilectus agendos Agricolam integreque ac strenue versatum vicesimae legioni, tarde ad sacramentum transgressae, *in Britannia* praeposuit, ubi decessor seditiose agere narrabatur: quippe legatis quoque consularibus nimia ac formidolosa erat, nec legatus praetorius ad cohibendum potens, incertum suo an militum ingenio. Ita successor simul et ultor electus rarissima mo-
8 deratione maluit videri invenisse bonos quam fecisse. Praeerat tunc Britanniae Vettius Bolanus, placidius quam feroci

1 solatium $\Delta\Gamma$ 2 praeturam quaesturam ac tribunatum Γ: quaesturam et tribunatum Δ 4 quietis Δ transiit Δ: transit Γ 5 *otium: certior $\Delta\Gamma$, tenor R 7 medio rationis Γ: medio luxuriae Δ, modo rationis *Puteolanus* 8 proprior Δ 9 effecit *Heinsius* 10 cuius Γ: cuiuis Δ 13 Intemelios L: in templo $\Delta\Gamma$ 14 [Liguriae pars est] *Bach:* Liguriae pars est $\Delta\Gamma$, L. urbs est *Vrsinus* 17 solemnia Δ, soleñia Γ 18 ac Γ: est ac Δ 19 Mutianus Γ 22 uigesimae Δ 23 *in Britannia: *om* $\Delta\Gamma$ 27 ulctor $\Delta\Gamma$ 28 donos Δ 29 Vettius Bolanus Δ: Vectius Volanus Γ

provincia dignum est. Temperavit Agricola vim suam, ardoremque compescuit, ne increscerent, peritus obsequii eruditusque utilia honestis miscere. Brevi deinde Britannia consularem Petilium Cerialem accepit. Habuerunt virtutes spatium exemplorum: sed primo Cerialis labores modo et discrimina, mox et gloriam communicabat; saepe parti exercitus in experimentum, aliquando maioribus copiis ex eventu praefecit. Nec Agricola umquam in suam famam gestis exultavit: ad auctorem ac ducem ut minister fortunam referebat. Ita virtute in obsequendo, verecundia in praedicando extra invidiam, nec extra gloriam erat.

Revertentem ab legatione legionis divus Vespasianus 9
inter patricios adscivit, ac deinde provinciae Aquitaniae praeposuit, splendidae imprimis dignitati administratione ac spe consulatus [cui destinarat]. Credunt plerique militaribus ingeniis subtilitatem deesse, quia castrensis iurisdictio secura et obstusior ac plura manu agens calliditatem fori non exerceat. Agricola naturali prudentia, quamvis inter togatos, facile iusteque agebat. Iam vero tempora curarum remissionumque divisa: ubi conventus ac iudicia poscerent, gravis intentus severus, et saepius misericors; ubi officio satis factum, nulla ultra potestatis persona. Tristitiam et arrogantiam et avaritiam exuerat; nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem aut severitas amorem deminuit. [Integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre iniuria virtutum fuerit.] Ne famam quidem, cui saepe etiam boni indulgent, ostentanda virtute aut per artem quaesivit: procul ab aemulatione adversus collegas, procul a contentione adversus procuratores et vincere inglorium et atteri sordidum

2 *obsequii : obsequi 4 Cerialem Δ : Cęrialem Γ 7 *fortasse* ex eventu eum 9 fortunam *om* Γ 11 ex͂ inuidiam nec ex^{a} gloriam Δ 13 adsciuit $\Delta\Gamma$ Aquitaniae Γ : aequitaniae Δ proposuit Δ 14 splendide Δ *dignitati : dignitatis $\Delta\Gamma$ *vitio assimilandi* 15 *[cui destinarat] 16 deesse Γ : adesse Δ 17 fori non Γ : foreñ Δ 19 temporis et curarum Δ 22 nulla — persona R : nullam — personam $\Delta\Gamma$ 24 facultas Δ deminuit L : diminuit $\Delta\Gamma$ 25 *[integritatem — fuerit] 26 firtutum *pr* Γ saepe etiam Γ : etiam saepe Δ 27 ostentanda R : ostentandam $\Delta\Gamma$ (ostentando uirtutem *Bosius*) 29 acteri Δ

arbitrabatur. Minus triennium in ea legatione detentus ac statim ad spem consulatus revocatus est, comitante opinione Britanniam ei provinciam dari, nullis in hoc suis sermonibus, sed quia par videbatur. Haud semper errat fama; ali-
p. Ch. 77 quando et elegit. Consul egregiae *iam* tum spei filiam iuveni mihi despondit ac post consulatum collocavit; et statim Britanniae praepositus est, adiecto pontificatus sacerdotio.

Britanniae situm populosque multis scriptoribus memoratos non in comparationem curae ingeniive referam, sed quia tum primum perdomita est. Ita quae priores nondum comperta eloquentia percoluere, rerum fide tradentur. Britannia, insularum quas Romana notitia complectitur maxima, spatio ac caelo in orientem Germaniae, in occidentem Hispaniae obtenditur; Gallis in meridiem etiam inspicitur; septentrionalia eius, nullis contra terris, vasto atque aperto mari pulsantur. Formam totius Britanniae *T.* Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi auctores, oblongae scutulae vel bipenni assimilavere. Et est ea facies citra Caledoniam [unde et in universum fama est transgressis], sed immensum et enorme spatium procurrentium extremo iam litore terrarum velut in cuneum tenuatur. Hanc oram novissimi maris tunc primum Romana classis circumvecta insulam esse Britanniam affirmavit, ac simul incognitas ad id tempus insulas, quas Orcadas vocant, invenit domuitque. Dispecta est et Thyle, quia hactenus iussum, et hiems appetebat. Sed mare pigrum et grave remigantibus perhibent; ne ventis quidem perinde attolli, credo quod rariores terrae montesque, causa ac materia tempestatum, et profunda moles continui

1 *fortasse* triennio 4 aut semper erat *A* 5 egregiae *Puteolanus*: greçię *Γ*, grate *A* *iam tum: tum *AΓ* 6 et post *A* 10 ingeniiue *Γ*: ingemine *A* 11 ita quae *A*: itaque *pr Γ* 12 fide *A*: fidē *pr Γ* 17 *T.: *om AΓ* (*cf.* 4 34) 18 oblonga *Γ* 19 scupulae *A* assimilauere *Γ*: adsim. *A* 20 [unde — transgressis] *G. V. Busch* in *A*: *om Γ* transgressis *Γ*: transgressus *A*, transgressa *R* 21 enorme *R*: inorme *AΓ* pro currentium *A* *fortasse* tamquam extremo 25 dispecta *Γ*: despecta *A* 26 Thyle *Γ*: Tyle *A* quia *A*, qꝛ *Γ* (*num* quippe?) 27 remigrantibus *A* perhibent: ne *Γ*: perhibent ne *A* 28 perinde *Grotius*: proinde *AΓ*

maris tardius impellitur. Naturam Oceani atque aestus neque quaerere huius operis est, ac multi rettulere. Vnum addiderim, nusquam latius dominari mare, multum fluminum huc atque illuc ferre, nec litore tenus accrescere aut resorberi, sed influere penitus atque ambire, et iugis etiam ac montibus inseri velut in suo.

Ceterum Britanniam qui mortales initio coluerint, in- 11
digenae an advecti, ut inter barbaros, parum compertum. Habitus corporum varii atque ex eo argumenta. Namque rutilae Caledoniam habitantium comae, magni artus Germanicam originem asseverant. Silurum colorati vultus, torti plerumque crines et posita contra Hispania Hiberos veteres traiecisse easque sedes occupasse fidem faciunt. Proximi Gallis et similes sunt, seu durante originis vi, seu procurrentibus in diversa terris positio caeli corporibus habitum dedit. In universum tamen aestimanti Gallos vicinam insulam occupasse credibile est. Eorum sacra deprehendas, superstitionum persuasionem; sermo haud multum diversus; in deposcendis periculis eadem audacia et, ubi advenere, in detrectandis eadem formido. Plus tamen ferociae Britanni praeferunt, ut quos nondum longa pax emollierit. Nam Gallos quoque in bellis floruisse accepimus; mox segnitia cum otio intravit, amissa virtute pariter ac libertate. Quod Britannorum olim victis evenit: ceteri manent quales Galli fuerunt. In pe- 12
dite robur; quaedam nationes et curru proeliantur. Honestior auriga, clientes propugnant. Olim regibus parebant, nunc per principes factionibus et studiis distrahuntur. Nec aliud adversus validissimas gentis pro nobis utilius quam quod in commune non consulunt. Rarus duabus tribusve

1 nec *A* 2 rettulere *Putcolanus* : retulere *AΓ* 3 dominari *Puteolanus* : dañari *AΓ* 7 quia *A* 10 Caledoniam *A* : Calydoniam *pr Γ* arcus *A* germanam *A* 12 Hispania *Muretus* : hispaniam *AΓ* hiberos *Γ*, Iberas *A* 13 occupasse *A* : hĩtasse (*in margine* occupasse) *Γ* 14 ui *R* : usu *AΓ* 16 estimanti *A* : estimati *Γ* 18 *persuasionem : persuasione *AΓ* (*hoc pro* persuasionẽ) 19 detractandis ea formido *A* 24 uictis euenit *A* : euenit uictis *Γ* impedite *A*, impedite *Γ*, 27 distrahuntur *Heinsius* : trahuntur *AΓ* 28 gentis *A* : gentes (*Γ*) 29 tribusue *A* : tribusque *Γ*

civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus; ita singuli pugnant, universi vincuntur. Caelum crebris imbribus ac nebulis foedum; asperitas frigorum abest. Dierum spatia ultra nostri orbis mensuram; nox clara et extrema Britanniae parte brevis, ut finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas. Quod si nubes non officiant, aspici per noctem solis fulgorem, nec occidere aut exsurgere, sed transire affirmant. Scilicet extrema et plana terrarum humili umbra non erigunt tenebras, infraque caelum et sidera nox cadit. Solum, praeter oleam vitemque et cetera calidioribus terris oriri sueta, *pomorum* patiens, frugum fecundum; tarde mitescunt, cito proveniunt, eademque utriusque rei causa, multus umor terrarum caelique. Fert Britannia aurum et argentum et alia metalla, pretium victoriae. Gignit et Oceanus margarita, sed subfusca ac liventia. Quidam artem abesse legentibus arbitrantur: nam in rubro mari viva ac spirantia saxis avelli, in Britannia, prout expulsa sint, colligi: ego facilius crediderim naturam margaritis deesse quam nobis avaritiam.

13 Ipsi [Britanni] dilectum ac tributa et iniuncta imperii munera impigre obeunt, si iniuriae absint; has aegre tolerant, iam domiti ut pareant, nondum ut serviant. Igitur primus omnium Romanorum divus Iulius cum exercitu Britanniam ingressus, quamquam prospera pugna terruerit incolas ac litore potitus sit, potest videri ostendisse posteris, non tradidisse. Mox bella civilia et in rem publicam versa principum arma, ac longa oblivio Britanniae etiam in pace. Consilium id divus Augustus vocabat, Tiberius praeceptum. Agitasse Gaium Caesarem de intranda Britannia satis constat,

3 hymbribus *Γ* fedum *Δ* frigorum est *Δ* 5 Britanniae parte *Γ*: parte Brit. *Δ* 7 *aut exsurgere: et exsurgere *Γ*, nec exurgere *Δ* (*cf. c.* 10: nec litore tenus accrescere aut resorberi) 9 ac sydera *Γ* 11 *pomorum patiens: patiens *ΔΓ* foecundum *Γ* 13 humor *ΔΓ*? (*cf. ad* 1 68) terrarumque *Δ* 14 uictoria *Δ* 15 suffusa *Δ* liuenta *Δ* 20 *[Britanni] delectum *ΔΓ*? 21 subeunt *Nipperdey* 27 etiam] iam *Δ* 28 praeceptum *l. Δ*, precipue *Γ* (*in margine* praeceptum) 29 Caium *ΔΓ*

ni velox ingenio, mobilis poenitentia, et ingentes adversus Germaniam conatus frustra fuissent. Divus Claudius auctor *patrati* operis, transvectis legionibus auxiliisque et assumpto in partem rerum Vespasiano, quod initium venturae mox fortunae fuit. Domitae gentes, capti reges, et monstratus fatis Vespasianus. Consularium primus A. Plautius praepositus ac subinde Ostorius Scapula, uterque bello egregius; redactaque paulatim in formam provinciae proxima pars Britanniae. Addita insuper veteranorum colonia. Quaedam civitates Cogidumno regi donatae (is ad nostram usque memoriam fidissimus mansit), vetere ac iam pridem recepta populi Romani consuetudine, ut haberet instrumenta servitutis et reges. Mox Didius Gallus parta a prioribus continuit, paucis admodum castellis in ulteriora promotis, per quae fama aucti officii quaereretur. Didium *Q.* Veranius excepit, isque intra annum extinctus est. Suetonius hinc Paulinus biennio prosperas res habuit, subactis nationibus firmatisque praesidiis; quorum fiducia Monam insulam ut vires rebellibus ministrantem aggressus terga occasioni patefecit. Namque absentia legati remoto metu, Britanni agitare inter se mala servitutis, conferre iniurias et interpretando accendere. Nihil profici patientia nisi ut graviora tamquam ex facili tolerantibus imperentur. Singulos sibi olim reges fuisse, nunc binos imponi, e quibus legatus in sanguinem, procurator in bona saeviret. Aeque discordiam praepositorum, aeque concordiam subiectis exitiosam. Alterius manum *ac* centuriones, alterius servos vim et contumelias miscere. Nihil iam cupiditati, nihil libidini exceptum. In proelio for-

1 ingenii *A* mobilis *A*: mobili *Γ* (*est error assimilandi*) poenitentia *Puteolanus*: penitentiae *AΓ* 2 *auctor patrati: auctoritate *AΓ* (auctor *Puteolanus*, auctor iterati *Wex et Doederlein*, auctor tandem *Fröhlich*) 5 domitae gentes *Puteolanus*: Domitiae gentis *AΓ* 6 A. *A*: Aulus *Γ* Plautius *R*: Plantius *AΓ* 10 Cogidumno *Γ*: Cogidunno *A* 11 uetere — ut haberet *R*: ut uetere — consuetudine haberet *AΓ* 12 et reges *R*: et Regis *Γ*, Regis *A* 15 *Q. Veranius: Veranius 18 e quorum *A* Monam *Γ*: Nomam *A* (*A perinde* c. 18) 22 patientia *Γ*: sapientia *A* 23 imperātur *A* 26 *manum ac: manum *A*, manus *Γ* 27 centuriones *R*: centurionis *AΓ*

tiorem esse qui spoliet: nunc ab ignavis plerumque et imbellibus eripi domos, abstrahi liberos. Iniungi dilectus, tamquam mori tantum pro patria nescientibus: quantulum enim transisse militum, si sese Britanni numerent? Sic Germanias excussisse iugum, et flumine, non Oceano defendi. Sibi patriam coniuges parentes, illis avaritiam et luxuriam causas belli esse. Recessuros, ut divus Iulius recessisset, modo virtutem maiorum suorum aemularentur, neve proelii unius aut alterius eventu pavescerent: plus impetus, maiorem constantiam penes miseros esse. Iam Britannorum etiam deos misereri, qui Romanum ducem absentem, qui relegatum in alia insula exercitum detinerent; iam ipsos, quod difficillimum fuerit, deliberare. Porro in eiusmodi consiliis periculosius
16 esse deprehendi quam audere. His atque talibus in vicem instincti, Boudicca, generis regii femina duce (neque enim sexum in imperiis discernunt), sumpsere universi bellum: ac sparsos per castella milites consectati, expugnatis praesidiis ipsam coloniam invasere ut sedem servitutis. Nec ullum in barbaris saevitiae genus omisit ira et victoria. Quod nisi Paulinus cognito provinciae motu propere subvenisset, amissa Britannia foret; quam unius proelii fortuna veteri patientiae restituit, tenentibus arma plerisque, quos conscientia defectionis et proprius ex legato timor agitabat, ne, quamquam egregius cetera, arroganter in deditos et ut suae cuiusque iniuriae ultor durius consuleret. Missus igitur Petronius Turpilianus tamquam exorabilior. Et delictis hostium novus eoque poenitentiae mitior, compositis prioribus nihil ultra ausus Trebellio Maximo provinciam tradidit. Trebellius segnior et nullis castrorum experimentis comitate quadam curandi provinciam tenuit. Didicere iam barbari quoque

1 imbellibus *A*: imbecillibus *Γ* 2 abstrahi liberos. iniungi] *vulgo* abstr. liberos, iniungi delectus *AΓ*? 8 emularentur *AΓ* aemularentur, neue] aemularentur. neue *vulgo* 14 in uicem *AΓ*? 15 Boudicca] Voadicca *Γ*, Voaduca *A* (*cf. ad* 14 31) nec enim *A* 22 *fortasse* tenentibus tamen (etsi tenentibus. *Nipperdey*) plerisque *Γ*: plerique *A* 23 proprius *R*: propius *AΓ* ne, quamquam *amicus Walchii*: nequaquam *AΓ* (*cf. ad H.* 4 68) 24 cuiusque *Wex.*: eiusque *AΓ* (quisque *Nipperdey*) 26 nouus *Γ*: nouis *A* 28 ausis *A*

ignoscere vitiis blandientibus, et interventus civilium armorum praebuit iustam segnitiae excusationem. Sed discordia laboratum, cum assuetus expeditionibus miles otio lasciviret. Trebellius, fuga ac latebris vitata exercitus ira, indecorus atque humilis, precario mox praefuit; ac velut pacti *essent*, exercitus licentiam, dux salutem, ea seditio sine sanguine stetit. Nec Vettius Bolanus, manentibus adhuc civilibus bellis, agitavit Britanniam disciplina: eadem inertia erga hostis, similis petulantia castrorum, nisi quod innocens Bolanus et nullis delictis invisus caritatem paraverat loco auctoritatis. Sed ubi cum cetero orbe Vespasianus et Britanniam recu- 17
peravit, magni ducēs, egregii exercitus, minuta hostium spes. Et terrorem statim intulit Petilius Cerialis, Brigantum civitatem, quae numerosissima provinciae totius perhibetur, aggressus. Multa proelia, et aliquando non incruenta; magnamque Brigantum partem aut victoria amplexus est aut bello. Et Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruisset ..... Sustinuitque molem Iulius Frontinus, vir magnus, quantum licebat, validamque et pugnacem Silurum gentem armis subegit, super virtutem hostium locorum quoque difficultates eluctatus.

Hunc Britanniae statum, has bellorum vices media iam 18
aestate transgressus Agricola invenit, cum et milites velut p. Ch. 78
omissa expeditione ad securitatem et hostes ad occasionem verterentur. Ordovicum civitas haud multo ante adventum eius alam in finibus suis agentem prope universam obtriverat, eoque initio erecta provincia; et quibus bellum volentibus erat, probare exemplum, ac recentis legati animum

2 seuitię accusationem *A* 3 lasciueret *A* 4 indecorus *Puteolanus*: indecoris *AΓ* 5 praefuit *Γ*: fuit *A* *essent, exercitus: exercitus *AΓ* 6 salutẽ *Γ*: salute *A* ea *Doederlein*: et *AΓ* 7 Vectius Bolanus *A*, Vectius Volanus *Γ* 8 eadem *Γ*: et eadem *A* hostis *A*: hostes (*Γ*) 11 reciperauit *L* 13 Cerealis *A*, Caerealis *Γ*, *mox* Cerealis *ΓA* (*cf. c.* 8) Brigantum *Puteolanus*: Bregantum *AΓ* 14 perhiberet *A* 15 agressus *A* 16 Bregantum *corr Γ*, Bregantium *A et pr Γ* (*cf. H.* 3 45) 18 obruisset .....] *lacunam in codicibus haud notatam sic fere explererim*: sed illa aetas pacis bellique decora multa tulit Substinuitque *A* 20 locorum quoque *Γ*: locorumque *A* 25 uerterentur *A*: uterentur *Γ*

opperiri, cum Agricola, quamquam transvecta aestas, sparsi per provinciam numeri, praesumpta apud militem illius anni quies, tarda et contraria bellum inchoaturo (et plerisque custodiri suspecta potius videbatur), ire obviam discrimini statuit; contractisque legionum vexillis et modica auxiliorum manu, quia in aequum degredi Ordovices non audebant, ipse ante agmen, quo ceteris par animus simili periculo esset, erexit aciem. Caesaque prope universa gente, non ignarus instandum famae ac, prout prima cessissent, terrorem ceteris fore, Monam insulam, cuius possessione revocatum Paulinum rebellione totius Britanniae supra memoravi, redigere in potestatem animo intendit. Sed ut in dubiis consiliis naves deerant; ratio et constantia ducis transvexit. Depositis omnibus sarcinis lectissimos auxiliarium, quibus nota vada et patrius nandi usus, quo simul seque et arma et equos regunt, ita repente immisit, ut obstupefacti hostes, qui classem, qui navis, qui mare expectabant, nihil arduum aut invictum crediderint sic ad bellum venientibus. Ita petita pace ac dedita insula clarus ac magnus haberi Agricola, quippe cui ingredienti provinciam, quod tempus alii per ostentationem et officiorum ambitum transigunt, labor et periculum placuisset. Nec Agricola prosperitate rerum in vanitatem usus expeditionem aut victoriam vocabat victos continuisse; ne laureatis quidem gesta prosecutus est, sed ipsa dissimulatione famae famam auxit, aestimantibus quanta futuri spe
19 tam magna tacuisset. Ceterum animorum provinciae prudens, simulque doctus per aliena experimenta parum profici armis, si iniuriae sequerentur, causas bellorum statuit excindere. A se suisque orsus primum domum suam coercuit, quod plerisque haud minus arduum est quam provinciam

3 incoaturo *Γ*, incohaturo *Δ* 6 degredi *Acidalius* : digredi *ΔΓ* 10 a cuius *Bipontini* 12 potestate *Δ* dubiis] subitis *Gronovius* 13 trãsuexit. depositis *Puteolanus* : tranuex depositis *Γ*, tranare extra depositis *Δ* 15 patrius *Puteolanus* : prius *ΔΓ* 17 nauis *ΔΓ* 18 potita *Δ* 24 nec laureatis *Δ* *fortasse* laureatis litteris (*cf. Liv.* 5 28, 45 1) 27 experimenta *Δ* : exempla experimenta *Γ* 28 iniuriae *Puteolanus* : incuriae *ΔΓ* excindere] excidere *ΔΓ* (exscindere *Aldus*) 29 primum *Δ* : primam *Γ* cohercuit *ΔΓ*

regere. Nihil per libertos servosque publicae rei, non studiis privatis nec ex commendatione aut precibus centurionem militesve ascire, sed optimum quemque fidissimum putare. Omnia scire, non omnia exsequi. Parvis peccatis veniam, magnis severitatem accommodare; nec poena semper, sed saepius poenitentia contentus esse; officiis et administrationibus potius non peccaturos praeponere, quam damnare cum peccassent. Frumenti et tributorum exactionem aequalitate munerum mollire, circumcisis quae in quaestum reperta ipso tributo gravius tolerabantur. Namque per ludibrium assidere clausis horreis et emere ultro frumenta ac recludere pretio cogebantur. Divortia itinerum et longinquitas regionum indicebantur, ut civitates proximae hibernis in remota et avia deferrent, donec quod omnibus in promptu erat, paucis lucrosum fieret.

Haec primo statim anno comprimendo egregiam fa- 20
mam paci circumdedit, quae vel incuria vel tolerantia priorum haud minus quam bellum timebatur. Sed ubi aestas ad- p. Ch. 79
venit, contracto exercitu multus in agmine laudare modestiam, disiectos coercere; loca castris ipse capere, aestuaria ac silvas ipse praetemptare; et nihil interim apud hostis quietum pati, quo minus subitis excursibus popularetur; atque ubi satis terruerat, parcendo rursus irritamenta pacis ostentare. Quibus rebus multae civitates, quae in illum diem ex aequo egerant, datis obsidibus iram posuere; et

1 libertos *Puteolanus* : liberos $\Delta\Gamma$ 2 priuatis Γ, priuatius Δ 3 militesue ascire *Wex* : milites nescire $\Delta\Gamma$, milites ascire *Puteolanus* fidelissimum *Puteolanus* 5 *accommodare: commodare (*cf. c.* 32, 15 53) 7 praeponere potius non peccaturos *Vrsinus et Muretus* 8 exactionem Δ : auctionem Γ (Γ *in margine* exactionem, Δ *ibidem* .. auctionem) aequalitate *Puteolanus* : in aequalitate $\Delta\Gamma$ 9 circumcisis, quae R : circumcisisque $\Delta\Gamma$ 11 hordeis Γ recludere *Kritz* : ludere $\Delta\Gamma$ 12 deuortia L 13 *indicebantur : indicebatur $\Gamma\Delta$ *proximae : proximis $\Delta\Gamma$ (*assimilando erratum;* pro proximis *Bezzenberger*) 17 tolerantia *Ricius* : intolerantia $\Delta\Gamma$ 19 multus Γ, multũ Δ (militum R) 20 cohercere $\Delta\Gamma$ 21 praetemptare Γ : praetentare Δ hostis Δ : hostes (Γ) 22 popularẽt Δ 23 inuitamenta *Acidalius*

praesidiis castellisque circumdatae et tanta ratione curaque.., ut nulla ante Britanniae nova pars *perinde* illacessita transierit.

21 Sequens hiems saluberrimis consiliis absumpta. Namque ut homines dispersi ac rudes eoque in bella faciles quieti et otio per voluptates assuescerent, hortari privatim, adiuvare publice, ut templa fora domos extruerent, laudando promptos et castigando segnes. Ita honoris aemulatio pro necessitate erat. Iam vero principum filios liberalibus artibus erudire, et ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre, ut qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent. Inde etiam habitus nostri honor et frequens toga; paulatimque discessum ad delenimenta vitiorum, porticus et balineas et conviviorum elegantiam; idque apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset.

22 Tertius expeditionum annus novas gentis aperuit, vastatis usque ad Tavum (aestuario nomen est) nationibus. Qua formidine territi hostes quamquam conflictatum saevis tempestatibus exercitum lacessere non ausi; ponendisque insuper castellis spatium fuit. Adnotabant periti non alium ducem opportunitates locorum sapientius legisse: nullum ab Agricola positum castellum aut vi hostium expugnatum aut pactione aut fuga desertum. Crebrae eruptiones [nam adversus moras obsidionis annuis copiis firmabantur]. Ita intrepida ibi hiems, et sibi quisque praesidio, irritis hostibus eoque desperantibus, quia soliti plerumque damna aestatis hiber-

P. Ch. 80

1 et tanta] tanta *R* *curaque . . : curaque (*expleo* habitae sunt) 2 *pars perinde : pars *AΓ* (pars pariter *Fröhlich et Weissenborn*, pars, illa *Wex;* pīn (= *perinde*) *post* pars *et ante ceterem scripturam* inlacessita *periit*) 4 saluberrimus *A* absumpta *Puteolanus* : adsumpta *AΓ* 5 in bella *Bosius* : in bello *AΓ*, bello *aut* in bellum *R* 8 emulatō *A* 13 delenimenta *Dronke et Walther* : deliniamenta *AΓ*, delinimenta *Puteolanus* 14 *balineas : balneas *A*, balnea *Γ*, balnea *Puteolanus* 17 gentis *A* : gentes (*Γ*) 18 *Tavum : Tanaum *AΓ* (*Ταούα Ptolemaeus*, Taus siue Tanaus *in margine Γ*) 24 aut fuga *A* : ac f. *Γ* *[nam — firmabantur] 25 obsidionis *A* : eruptionis obsidionis *Γ* 26 pressidio *Γ* 27 soliti *A* : soluti *Γ*

nis eventibus pensare tum aestate atque hieme iuxta pellebantur. Nec Agricola umquam per alios gesta avidus intercepit; seu centurio seu praefectus, incorruptum facti testem habebat. Apud quosdam acerbior in conviciis narrabatur; ut erat comis bonis, ita adversus malos iniucundus. Ceterum ex iracundia nihil supererat; secretum vel silentium eius non timeres: honestius putabat offendere quam odisse.

Quarta aestas obtinendis quae percurrerat insumpta; ac si virtus exercituum et Romani nominis gloria pateretur, inventus in ipsa Britannia terminus. Namque Clota et Bodotria, diversi maris aestibus per immensum revectae, angusto terrarum spatio dirimuntur; quod tum praesidiis firmabatur, atque omnis propior sinus tenebatur, summotis velut in aliam insulam hostibus. 23 [A.D. 81 Ch.]

Quinto expeditionum anno nave prima transgressus ignotas ad id tempus gentis crebris simul ac prosperis proeliis domuit; eamque partem Britanniae quae Hiberniam aspicit copiis instruxit, in spem magis quam ob formidinem, siquidem Hibernia medio inter Britanniam atque Hispaniam sita et Gallico quoque mari opportuna valentissimam imperii partem magnis in vicem usibus miscuerit. Spatium eius, si Britanniae comparetur, angustius, nostri maris insulas superat. Solum caelumque et ingenia cultusque hominum haud multum a Britannia differunt. In.... melius aditus portusque per commercia et negotiatores cogniti. Agricola expulsum seditione domestica unum ex regulis gentis exceperat ac specie amicitiae in occasionem retinebat. Saepe ex eo audivi legione una et modicis auxiliis debellari obtinerique Hiberniam posse: idque etiam adversus Britanniam profuturum, si Romana ubique arma et velut e conspectu libertas tolleretur. 24 [A.D. 82 Ch.]

2 auidus Γ: auidius Δ 4 conuiciis *Puteolanus*: conuiuiis Γ, conuiuiis Δ 5 iniocundus Γ 6 uel *Fr. Iacob*: ut $\Delta\Gamma$, et *Puteolanus* 7 hodisse Γ 8 percurrerat Δ: percucurrerat Γ 9 gloria *om* Δ *potius* paterentur 13 proprior Δ sinus sinus Γ 16 gentis Δ: gentes (Γ) 18 instruxit Δ: intruxit Γ ob Γ: in Δ 24 differunt R: differt $\Delta\Gamma$ (*debuere* differ̃ = *differunt*) *in.... : In $\Delta\Gamma$ (*explevere* interiora nondum explorata sunt, melius) 25 per Γ: et Δ

25 Ceterum aestate qua sextum officii annum inchoabat, p. Ch. 83 amplexus civitates trans Bodotriam sitas, quia motus universarum ultra gentium et infesta hostili exercitu itinera timebat, portus classe exploravit; quae ab Agricola primum assumpta in partem virium sequebatur, egregia specie, cum simul terra simul mari bellum impelleretur, ac saepe isdem *in* castris pedes equesque et nauticus miles, mixti copiis et laetitia, sua quisque facta, suos casus attollerent, ac modo silvarum ac montium profunda, modo tempestatum ac fluctuum adversa, hinc terra et hostis, hinc victus Oceanus militari iactantia compararentur. Britannos quoque, ut ex captivis audiebatur, visa classis obstupefaciebat, tamquam aperto maris sui secreto ultimum victis perfugium clauderetur. Ad manus et arma conversi Caledoniam incolentes populi, paratu magno, maiore fama, uti mos est de ignotis [oppugnasse ultro] castella adorti metum ut provocantes addiderant; regrediendumque citra Bodotriam et excedendum potius quam pellerentur, ignavi specie prudentium admonebant, cum *ipse* interim cognoscit hostis pluribus agminibus irrupturos. Ac ne superante numero et peritia locorum circumiretur, diviso et ipse in tris partes exercitu incessit.

26 Quod ubi cognitum hosti, mutato repente consilio universi nonam legionem, ut maxime invalidam, nocte aggressi, inter somnum ac trepidationem caesis vigilibus irrupere. Iamque in ipsis castris pugnabatur, cum Agricola iter hostium ab exploratoribus edoctus et vestigiis insecutus, velocissimos equitum peditumque assultare tergis pugnantium iubet, mox ab universis adici clamorem; et propinqua luce fulsere

1 inchoabat *Puteolanus* : incohabat *Γ*, cohabat *Δ* 3 hostili exercitu *R* : hostilis exercitus *ΔΓ* *timebat : timebant *ΔΓ*, timebantur *Puteolanus* 5 sequebatur. Egregia *ΔΓ* specie *Puteolanus* : spẽ *ΔΓ* 6 impelleretur *R* : impellitur *ΔΓ* 7 *isdem in : iisdem *ΔΓ* mixti *Γ* : misti *Δ* 10 *potius* inde uictus 14 Calidoniam *ΔΓ* incolentes *Puteolanus* : incolentis *ΔΓ* 15 *[oppugnasse ultro] : oppugnasse ultro *ΔΓ* (oppugnare ultro *Rhenanus et Vrsinus*) 16 castella *Δ* : castellaum *Γ* 19 *ipse : *om.* (*cf. c.* 18) 20 irruptoros *Γ* 21 tris *Δ* : tres *Γ* 23 noctẽ *Δ* (*malim* noctu) 24 irrupere *Δ* : irrumpere *Γ*

signa. Ita ancipiti malo territi Britanni; et Romanis rediit animus, ac securi pro salute de gloria certabant. Vltro quin etiam erupere, et fuit atrox in ipsis portarum angustiis proelium, donec pulsi hostes, utroque exercitu certante, his, ut tulisse opem, illis, ne eguisse auxilio viderentur. Quod nisi paludes et silvae fugientes texissent, debellatum illa victoria foret. Cuius conscientia ac fama ferox exercitus nihil vir- 27
tuti suae invium, et penetrandum in Caledoniam inveniendumque tandem Britanniae terminum continuo proeliorum cursu fremebant. Atque illi modo cauti ac sapientes prompti post eventum ac magniloqui erant. Iniquissima haec bellorum conditio est: prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur. At Britanni, non ut virtute sed occasione et arte ducis superati, nihil ex arrogantia remittere, quo minus iuventutem armarent, coniuges ac liberos in loca tuta transferrent, coetibus ac sacrificiis conspirationem civitatium sancirent. Atque ita irritatis utrimque animis discessum.

Eadem aestate cohors Vsiporum, per Germanias conscripta 28
et in Britanniam transmissa, magnum ac memorabile facinus ausa est. Occiso centurione ac militibus, qui ad tradendam disciplinam inmixti manipulis exemplum et rectores habebantur, tris liburnicas adactis per vim gubernatoribus ascendere; et uno remigante, suspectis duobus eoque interfectis, nondum vulgato rumore ut miraculum praevehebantur. Mox ad aquam atque utilia, raptis secum ..... *cum* plerisque Britannorum sua defensantium proelio congressi, ac saepe victores, aliquando pulsi, eo ad extremum inopiae venere, ut infirmissimos suorum, mox sorte ductos vescerentur. Atque ita circumvecti Britanniam, amissis per inscitiam regendi

1 Britannii *A* rediit *Wex*: redit *AΓ* 4 ut tulisse *Puteolanus*: intulisse *AΓ* 6 texissent *Γ*: rexissent *A* 8 penetrandum in *Dronke*: penetrandum *AΓ*, penetrandam *Puteolanus* Calidoniam *AΓ* 9 praeliorum *R*, praelium *AΓ* 12 uindicant *A*: uendicant *Γ* 13 non ut — superati *L*: non — rati *AΓ* 16 cetibus *A* ciuitatium *A*: ciuitatum (*Γ*) 18 Vsipiorum *AΓ*? 21 immixti *Puteolanus*: inmistis *AΓ* 22 tris *A*: tres (*Γ*) 25 aquam atque] aquã. Atque *AΓ* utilia *Selling*: ut illa *AΓ* *raptis secum ..... cum plerisque: raptis secum plerisque *AΓ* (*explererim* raptis secum quae obvia, egressi et cum plerisque; *cf. H.* 3 80: raptis quod cuique obvium telis)

navibus, pro praedonibus habiti primum a Suebis, mox a Frisiis intercepti sunt. Ac fuere quos per commercia venundatos et in nostram usque ripam mutatione ementium adductos indicium tanti casus illustravit.

29 Initio aestatis Agricola domestico vulnere ictus anno p. Ch. 84 ante natum filium amisit. Quem casum neque ut plerique fortium virorum ambitiose, neque per lamenta rursus ac maerorem muliebriter tulit. Et in luctu bellum inter remedia erat. Igitur praemissa classe, quae pluribus locis praedata magnum et incertum terrorem faceret, expedito exercitu, cui ex Britannis fortissimos et longa pace exploratos addiderat, ad montem Graupium pervenit, quem iam hostis insederat. Nam Britanni, nihil fracti pugnae prioris eventu et ultionem aut servitium expectantes, tandemque docti commune periculum concordia propulsandum, legationibus et foederibus omnium civitatium vires exciverant. Iamque super triginta milia armatorum aspiciebantur, et adhuc affluebat omnis iuventus et quibus cruda ac viridis senectus, clari bello et sua quisque decora gestantes, cum inter plures duces virtute et genere praestans, nomine Calgacus, apud contractam multitudinem proelium poscentem in hunc modum locutus fertur.

30 Quotiens causas belli et necessitatem nostram intueor, magnus mihi animus est hodiernum diem consensumque vestrum initium libertatis toti Britanniae fore: nam et universi servitutis expertes et nullae ultra terrae, ac ne mare quidem securum imminente nobis classe Romana. Ita proelium atque arma, quae fortibus honesta, eadem etiam ignavis tutissima sunt. Priores pugnae, quibus adversus Romanos varia fortuna certatum est, spem ac subsidium in nostris manibus habebant, quia nobilissimi totius Britanniae eoque in ipsis

1 primum *Γ*: p'modum *Δ* Suebis *Γ*: Sueuis *Δ* mox *Γ*: mo2ꝯ *Δ* 2 Frisiis *Γ*: Phrisiis *Δ* comertia *ΔΓ* uenundatos *ΔΓ* 4 iudicium *Δ* 6 neque — neque *Γ*: nec — nec *Δ* 7 merorem *Δ* 9 predata *Δ*, predatam *Γ* 12 Graupium *Δ*: Graupiam *Γ*, Grampium *Puteolanus* 14 commune periculum *Δ*: periculum commune *Γ* (*c.* 12: commune periculum) 16 ciuitatium *Δ*: ciuitatum (*Γ*) 20 Calgacus *Δ et corr Γ*: Galgacus *pr* 22 intuero *Δ* 23 consensumque *Γ*: consensusque *Δ* 24 totius *Puteolanus* 29 manibus *Γ*: nauibus *Δ*

penetralibus siti nec servientium litora aspicientes, oculos quoque a contactu dominationis inviolatos habebamus. Nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus famae in hunc diem defendit: nunc terminus Britanniae patet. [Atque omne ignotum pro magnifico est.] Sed nulla iam ultra gens, nihil nisi fluctus et saxa, et infestiores Romani, quorum superbiam frustra per obsequium ac modestiam effugeris. Raptores orbis, postquam cuncta vastantibus defuere terrae, et mare scrutantur; si locuples hostis est, avarisi pauper, ambitiosi, quos non Oriens, non Occidens satiaverit. Soli omnium opes atque inopiam pari affectu concupiscunt. Auferre trucidare rapere falsis nominibus imperium, atque ubi solitudinem faciunt, pacem appellant. Liberos 31
cuique ac propinquos suos natura carissimos esse voluit: hi per dilectus alibi servituri auferuntur, coniuges sororesque, etiam si hostilem libidinem effugiant, nomine amicorum atque hospitum polluuntur. Bona fortunaeque in tributum, ager atque annus in frumentum *corripiuntur*. Corpora ipsa ac manus silvis ac paludibus emuniendis inter verbera ac contumelias conteruntur. Nata servituti mancipia semel veneunt, atque ultro a dominis aluntur; Britannia servitutem suam quotidie emit, quotidie pascit. Ac sicut in familia recentissimus quisque servorum etiam conservis ludibrio est, sic in hoc orbis terrarum vetere famulatu novi nos et viles in excidium petimur. Neque enim arva nobis aut metalla aut portus sunt, quibus exercendis reservemur. Virtus porro ac ferocia subiectorum ingrata imperantibus; et longinquitas ac secretum ipsum quo tutius, eo suspectius. Ita sublata spe veniae tandem sumite animum, tam quibus salus quam quibus gloria carissima est. Trinobantes femina duce exurere coloniam, expugnare castra, ac nisi felicitas in socordiam

5 [atque — est] *Marctus* 7 exfugeris *A* 9 terrae *R*: terram *AΓ* 14 carissimos *Γ* 15 delectus *AΓ*? 16 ēt si *AΓ* 17 fortunę quę *AΓ* (*Γ in margine habet* q:) 18 ager atque *Iacob* (ager et *Seyffert*): aggerat *AΓ* *corripiuntur. corpora: corpora *codices* 20 conteruntur *Iacob et Fröhlich*: conterunt *AΓ* 23 etiam *Γ*: *om. A* 25 nec enim *A* 29 sūmite *Γ* 30 charissima *Γ*, clarissima *A* Trinobantes *Camden*: Brigantes *AΓ* 31 et expugnare *A*

vertisset, exuere iugum potuere: nos integri et indomiti et in libertatem, non in poenitentiam laturi *arma* primo statim congressu ostendamus, quos sibi Caledonia viros seposuerit. 32 An eandem Romanis in bello virtutem quam in pace lasciviam adesse creditis? Nostris illi dissensionibus ac discordiis clari vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt; quem contractum ex diversissimis gentibus ut secundae res tenent, ita adversae dissolvent, nisi si Gallos et Germanos et (pudet dictu) Britannorum plerosque, licet dominationi alienae sanguinem commodent, diutius tamen hostes quam servos, fide et affectu teneri putatis. Metus ac terror est, infirma vincla caritatis; quae ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipient. Omnia victoriae incitamenta pro nobis sunt: nullae Romanos coniuges accendunt, nulli parentes fugam exprobraturi sunt; aut nulla plerisque patria aut alia est. Paucos numero, trepidos ignorantia, caelum ipsum ac mare et silvas, ignota omnia circumspectantes, clausos quodammodo ac vinctos dei nobis tradiderunt. Ne terreat vanus aspectus et auri fulgor atque argenti, quod neque tegit neque vulnerat. In ipsa hostium acie inveniemus nostras manus. Agnoscent Britanni suam causam, recordabuntur Galli priorem libertatem, deserent illos ceteri Germani, tamquam nuper Vsipi reliquerunt. Nec quicquam ultra formidinis: vacua castella, senum coloniae, inter male parentes et iniuste imperantes aegra municipia et discordantia. Hic dux, hic exercitus: ibi tributa et metalla et ceterae servientium poe-

2 *laturi arma (arma laturi *Wex*) : laturi *AΓ* (*cf.* 4 48, Liv. 7 25) 3 ostendamus *corr Γ* : hostendamus *pr Γ*, ōndamus *A* Caledonia *A* : Calidonia *Γ* 5 dissensionibus *R* : dissentionibus *AΓ* 7 contractum *Γ* : contactum *A* 10 commodent *Puteolanus* : commendent *AΓ* hostes *A* : seruos hostes *Γ* 11 est] sunt *Beroaldus* 12 uincula *Puteolanus* 15 exprobraturi *A* : exprobaturi *Γ* 16 trepidos *Heumann* : circum trepidos *Γ*, circumtrepidos *A*, locorum trepidos *Iacob et Fröhlich* 17 siluis *A* circumspectantes *AΓ* : circum spectantes *Beck* 18 *dei : dii *AΓ* 19 neque — neque *Γ et Puteolanus* : nec — nec *A* 23 Vsipi *Γ* : Vsipii (*A*) nec quicquam *Puteolanus* : nequicquam *Γ*, nequaquam *A* 24 senium *A* 25 aegra *R* : Egra *AΓ*, erga *Puteolanus* tetra mancipia *in margine Γ* 26 ibi] illic *Kritz*

nae, quas in aeternum perferre aut statim ulcisci in hoc campo est. Proinde ituri in aciem et maiores vestros et posteros cogitate.'

Excepere orationem alacres *atque*, ut barbaris moris, cantu 33
fremituque et clamoribus dissonis. Iamque agmina et armorum fulgores audentissimi cuiusque procursu; simul instruebatur acies, cum Agricola, quamquam laetum et vix munimentis coercitum militem accendendum adhuc ratus, ita disseruit. 'Octavus annus est, commilitones, ex quo virtute et auspiciis imperii Romani, fide atque opera vestra Britanniam vicistis. Tot expeditionibus, tot proeliis, seu fortitudine adversus hostis seu patientia ac labore paene adversus ipsam rerum naturam opus fuit, neque me militum neque vos ducis poenituit. Ergo egressi, ego veterum legatorum, vos priorum exercituum terminos, finem Britanniae non fama nec rumore sed castris et armis tenemus. Inventa Britannia et subacta. Equidem saepe in agmine, cum vos paludes montesve et flumina fatigarent, fortissimi cuiusque voces audiebam: 'quando dabitur hostis, quando acies?' Veniunt, e latebris suis extrusi, et vota virtusque in aperto, omniaque prona victoribus atque eadem victis adversa. Nam ut superasse tantum itineris, silvas evasisse, transisse aestuaria pulchrum ac decorum in frontem, ita fugientibus periculosissima quae hodie prosperrima sunt. Neque enim nobis aut locorum eadem notitia aut commeatuum eadem abundantia, sed manus et arma et in his omnia. Quod ad me attinet, iam pridem mihi decretum est neque exercitus neque ducis terga tuta esse. Proinde et honesta mors turpi vita potior, et incolumitas ac decus eodem loco sita sunt; nec inglorium

4 *atque, ut : ut *AΓ* (et ut *Walther*) 6 pro cursu *AΓ* 7 munimentis *A et Γ in margine* : monitis *Γ (hoc ortum ex compendio* munimtis) 8 militem *A* : militum *Γ* 9 septimus annus *Acidalius, sed cf. mea in ed. Cantabrigiensi* 10 uestra *Puteolanus* : ũra *A* (*Γ*) 12 hostis *A* : hostes (*Γ*) 13 neque uos *Γ et Puteolanus* : nec uos *A* 14 ego uet. *Puteolanus* (*Γ*) : ergo uet. *A* 17 cum *A* : quom *Γ* 19 acies *R* : animus *AΓ* 22 transisse *Γ* : transiisse *A* 23 ita *R* : item *AΓ* (ita eadem *Liep Crucenacensis*) 25 locorum *A* : decorum *Γ* 27 neque exercitus *Γ et Puteolanus* : nec ex. *A*

34 fuerit in ipso terrarum ac naturae fine cecidisse. Si novae gentes atque ignota acies constitisset, aliorum exercituum exemplis vos hortarer: nunc vestra decora recensete, vestros oculos interrogate. Hi sunt, quos proximo anno unam legionem furto noctis aggressos clamore debellastis; hi ceterorum Britannorum fugacissimi ideoque tam diu superstites. Quomodo silvas *nobis* saltusque penetrantibus fortissimum quodque animal contra ruere .., pavida et inertia ipso agminis sono pellebantur, sic acerrimi Britannorum iam pridem ceciderunt, reliquus est numerus ignavorum et metuentium. Quos quod tandem invenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt: novissimae res et extremo metu torpor defixere aciem in his vestigiis, in quibus pulchram et spectabilem victoriam ederetis. Transigite cum expeditionibus, imponite quinquaginta annis magnum diem, approbate rei publicae numquam exercitui imputare *eam* potuisse aut moras belli aut causas rebellandi.'

35 Et alloquente adhuc Agricola militum ardor eminebat, et finem orationis ingens alacritas consecuta est, statimque ad arma discursum. Instinctos ruentesque ita disposuit, ut peditum auxilia, quae octo milia erant, mediam aciem firmarent, equitum tria milia cornibus affunderentur. Legiones pro vallo stetere, ingens victoriae decus citra Romanum sanguinem bellanti, et auxilium, si pelleretur. Britannorum acies in speciem simul ac terrorem editioribus locis constiterat ita, ut primum agmen in aequo, ceteri per acclive iugum, conexi velut, insurgerent; media campi covinnarius eques

4 interogate *Γ* 7 *siluas nobis : siluas *ΔΓ* fortiss *Δ* 8 quodque *Puteolanus et Γ in margine* : quoque *ΔΓ* *ruere . . : ruere *ΔΓ* (*expleo* properabat *vel* pergebat) 9 pellebantur *ΔΓ* : pelluntur *Puteolanus* 11 restiterunt *Γ* : restituerunt *Δ* 12 *torpor : corpora *ΔΓ* (nouissimi haesere et extremo metu ac torpore d. a. *Bezzenberger*) 16 *imputare eam : imputare *ΔΓ*, imputari *Puteolanus* 21 milia *Puteolanus* : milium *ΔΓ* 24 bellanti *R* : bellandi *ΔΓ* *pelleretur : pellerentur 26 agmen in aequo *Bekker* : agmine quo *ΔΓ* (= *agm̄ in equo*), agmen aequo *R* (*cf. v.* 26 *et c.* 36: in aequo) 27 conexi] connexi *Δ*, conuexi *Γ* couinnarius] conuinnarius *Γ*, couinarius *Δ*; *c.* 36 couinnarii *Δ*, conuinnarii *Γ* et eques *R*

strepitu ac discursu complebat. Tum Agricola superante hostium multitudine veritus, ne simul in frontem, simul in latera suorum pugnaretur, diductis ordinibus, quamquam porrectior acies futura erat et arcessendas plerique legiones admonebant, promptior in spem et firmus adversis, dimisso equo pedes ante vexilla constitit. Ac primo congressu emi- 36
nus certabatur; simulque constantia, simul arte Britanni ingentibus gladiis et brevibus caetris missilia nostrorum vitare vel excutere, atque ipsi magnam vim telorum superfundere, donec Agricola Batavorum cohortes *quinque* ac Tungrorum duas cohortatus est, ut rem ad mucrones ac manus adducerent; quod et ipsis vetustate militiae exercitatum et hostibus inhabile [parva scuta et enormes gladios gerentibus]: nam Britannorum gladii sine mucrone complexum armorum et in arto pugnam non tolerabant. Igitur ut Batavi miscere ictus, ferire umbonibus, ora fodere, et stratis qui in aequo adstiderant, erigere in colles aciem coepere, ceterae cohortes aemulatione et impetu conisae proximos quosque caedere; ac plerique semineces aut integri festinatione victoriae relinquebantur. Interim equitum turmae [fugere covinnarii] peditum se proelio miscuere. Et quamquam recentem terrorem intulerant, densis tamen hostium agminibus et inaequalibus locis haerebant; minimeque eques tres ..... (ea

2 *in lat.: et lat. *AΓ* (et in *I. M. Gesner; cf. c.* 36: simulque constantia. simul arte, *c.* 41: simul suis virtutibus, simul vitiis aliorum) latera *Γ*: altera *A* 8 caetris] coetris *Γ*, cetris *A* 10 Batauorum *A*: B. Vatauorum *Γ* *quinque ac: ac *AΓ* (*cf.* VAC *i. e.* quinque ac) 11 ac manus *A*: ac et m. *Γ* 13 [parua — gerentibus] *Wex* 14 armorum *A*: armarum *Γ* 15 arto *Francesco dei Medici*: aperto *AΓ* Batui *A*: uatavi *Γ* 16 ictus, ferire *A*: ictus ferire ictus *Γ* fodere *Gesner*: fedare *A*, foedare *Γ* (*cf.* 2 21) stratis *Ernesti*: tratis *AΓ* in equo *A* 17 coepere *Γ*: capere *A* cętęre *AΓ* 18 conisae] connisae *AΓ* cędere *A*: cedere *Γ* 20 *[fugere covinnarii]: fugẽ: couinnarii *AΓ* (ut fugere couin. *Doederlein*) 21 quaquam *A* recentem *Γ*: recentes *A* 22 in ęqualibus *A* 23 miẽque *AΓ* *eques tres .....: equestres (*expleverim:* minimeque eques tres superimpendentes ordines peruasit aut perrupit, primum cohortium, alterum tertiumque hostilem) ea *A*, ea *Γ*

enim pugnae facies erat), cum e gradu aut stantes .. simul equorum corporibus impellerentur, ac saepe vagi currus, exterriti sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat,
37 transversos aut obvios incursabant. Et Britanni, qui adhuc pugnae expertes summa collium insederant et paucitatem nostrorum vacui spernebant, degredi paulatim et circumire terga vincentium coeperant, ni id ipsum veritus Agricola quattuor equitum alas, ad subita belli retentas, venientibus opposuisset, quantoque ferocius accucurrerant, tanto acrius pulsos in fugam disiecisset. Ita consilium Britannorum in ipsos versum, transvectaeque praecepto ducis a fronte pugnantium alae aversam hostium aciem invasere. Tum vero patentibus locis grande et atrox spectaculum: sequi vulnerare capere, atque eosdem oblatis aliis trucidare. Iam hostium, prout cuique ingenium erat, catervae armatorum paucioribus terga praestare, quidam inermes ultro ruere ac se morti offerre. Passim arma et corpora et laceri artus et cruenta humus; et aliquando etiam victis ira virtusque. Postquam silvis appropinquaverunt, inde primos sequentium, incautos collecti et locorum gnari circumveniebant. Quod ni frequens ubique Agricola validas et expeditas cohortes *instruxisset* indaginis modo, et sicubi *arbusta* artiora erant, parte equitum dimissis equis, simul rariores silvas equite persultari iussisset, acceptum aliquod vulnus per nimiam fiduciam foret. Ceterum ubi compositos firmis ordinibus sequi rursus videre, in fugam versi, non agminibus, ut prius, nec alius alium respectantes, rari et vitabundi in vicem longinqua atque avia petiere. Finis sequendi nox et satietas

1 *e gradu : egra diu $\Delta\Gamma$ *stantes .. (stantes *Brotier*) : stante $\Delta\Gamma$ (*expleo* stantes suorum cohortes simul) 5 expertes Δ : expertis Γ summa Δ : summam Γ 6 degredi Γ (Δ?) circuire Δ 7 uincentium Γ : uicentium Δ ni Γ : in Δ 9 accucũrerant Γ : occurrerant (adcucurrit *est H.* 3 12) 14 oblatis R : ablatis $\Delta\Gamma$ 15 pro ut Δ 19 *inde : itẽ $\Delta\Gamma$ 20 *gnari : ignari $\Delta\Gamma$ 21 ni frequens Γ : infrequens Δ 22 *instruxisset indaginis : indaginis $\Delta\Gamma$ sic ubi Δ *arbusta artiora : artiora Δ, arctiora Γ 23 *parte : partem *codices* equite persultari Γ : equites perlustrari Δ, equitem persultare R 26 uersis Δ 28 sacietas Γ, sauetas Δ

fuit. Caesi hostium ad decem milia: nostrorum trecenti sexaginta cecidere, in quis A. Atticus, praefectus cohortis, iuvenili ardore et ferocia equi hostibus illatus. Et nox 38
quidem gaudio praedaque laeta victoribus: Britanni palantes, mixtoque virorum mulierumque ploratu, trahere vulneratos, vocare integros, deserere domos ac per iram ultro incendere; eligere latebras et statim relinquere; miscere in vicem consilia aliqua, deinde separare; aliquando frangi aspectu pignorum suorum, saepius concitari. Satisque constabat saevisse quosdam in coniuges ac liberos, tamquam misererentur. Proximus dies faciem victoriae latius aperuit; vastum ubique silentium, secreti colles, fumantia procul tecta, nemo exploratoribus obvius. Quibus in omnem partem dimissis, ubi incerta fugae vestigia neque usquam conglobari hostes compertum (et exacta iam aestate spargi bellum nequibat), in finis Borestorum exercitum deducit. Ibi acceptis obsidibus, praefecto classis circumvehi Britanniam praecipit. Datae ad id vires, et praecesserat terror. Ipse peditem atque equites lento itinere, quo novarum gentium animi ipsa transitus mora terrerentur, in hibernis locavit. Et simul classis secunda tempestate ac fama Trutulensem portum tenuit, unde proximo Britanniae latere lecto omni redierat.

Hunc rerum cursum, quamquam nulla verborum ia- 39
ctantia epistulis Agricolae auctum, [ut Domitianus erat] fronte laetus, pectore anxius excepit. Inerat conscientia derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum, emptis per

1 *caesi : caesa $\Delta\Gamma$ (*eadem macula in libris H.* 1 63) decem] X., *mox* CCCLX $\Delta\Gamma$ 2 queis Δ A. Δ : Aulus Γ praefectus Γ : praes. Δ 4 Britanni *Puteolanus* : Britannique $\Delta\Gamma$ palantes Γ 5 proratu Δ 7 inuicem $\Delta\Gamma$? 11 misererentur Γ : misererẽt Δ 12 secreti] deserti *Ernesti* 14 nec usquam Δ 17 praefecto Γ : profecto Δ 20 terrerentur Γ : terrentur Δ 21 trutulensem *Puteolanus* : trutulens est Δ, trucculensem Γ 22 praelecta (*voluit* praelecto) *margo* Γ (*cf.* 2 79, 6 7 (1) 24 nulla Γ : in illa Δ 25 epistolis $\Delta\Gamma$? auctum L : actum $\Delta\Gamma$ [ut—erat] *Liep* : ut Domitianus erat Δ, ut Domitiano moris erat Γ, ut erat Domitianus Γ *in margine* 26 excepit Γ : cępit Δ

commercia, quorum habitus et crinis in captivorum speciem formarentur: at nunc veram magnamque victoriam tot milibus hostium caesis ingenti fama celebrari. Id sibi maxime formidolosum, privati hominis nomen supra principis *altitudinem* attolli. Frustra studia fori et civilium artium decus in silentium acta, si militarem gloriam alius occuparet; et cetera utcumque facilius dissimulari, ducis boni imperatoriam virtutem esse. Talibus curis exercitus, quodque saevae cogitationis indicium erat, secreto suo satiatus, optimum in praesentia statuit reponere odium, donec impetus famae et favor exercitus languesceret: nam etiam tum Agricola Britanniam obtinebat. Igitur triumphalia ornamenta et illustris statuae honorem, et quicquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulata, decerni in senatu iubet, addique insuper opinionem, Syriam provinciam Agricolae destinari, vacuam tum morte Atilii Rufi consularis et maioribus reservatam. Credidere plerique libertum ex secretioribus ministeriis missum ad Agricolam codicillos, quibus ei Syria dabatur, tulisse, cum praecepto ut, si in Britannia foret, traderentur; eumque libertum, in ipso freto Oceani obvium Agricolae, ne appellato quidem eo ad Domitianum remeasse, sive verum istud, sive ex ingenio principis fictum ac compositum est. Tradiderat interim Agricola successori suo provinciam quietam tutamque. Ac ne notabilis celebritate et frequentia occurrentium introitus esset, vitato amicorum officio noctu in urbem, noctu in Palatium, ita ut praeceptum erat, venit: exceptusque brevi osculo et nullo sermone turbae servientium immixtus est. Ceterum uti militare nomen, grave inter otiosos, aliis virtutibus temperaret, tranquillitatem atque otium penitus auxit, cultu modicus, sermone facilis, uno aut altero amicorum co-

p. Ch. 85

1 crinis $A\Gamma$: crines *Puteolanus* (*cf. G.* 31: crinem submittere, 38: obliquare crinem *H.* 4 61; *contra A.* 11: torti crines) 4 *altitudinem attolli: attolli *codices* 6 et *om Wex, fortasse* set 8 quodque Γ: quodue A saeuae Γ: seuę A 11 *nonne* languescerent? 16 Atilii *Puteolanus*: Atili Γ, Actilii A 18 eis A 19 Britannia *Puteolanus*: Britanniam $A\Gamma$ 26 praeceptum Γ: praetemptum A 27 turbae Γ: *om* A immixtus Γ: immistus A 29 penitus Γ: pęnitus A auxit] hausit *Wex*

mitatus, adeo ut plerique, quibus magnos viros per ambitionem aestimare mos est, viso aspectoque Agricola quaererent famam, pauci interpretarentur.

41 Crebro per eos dies apud Domitianum absens accusatus, absens absolutus est. Causa periculi non crimen ullum aut querella laesi cuiusquam, sed infensus virtutibus princeps et gloria viri ac pessimum inimicorum genus, laudantes. Et ea insecuta sunt rei publicae tempora, quae sileri Agricolam non sinerent: tot exercitus in Moesia Daciaque et Germania et Pannonia temeritate aut per ignaviam ducum amissi, tot militares viri cum tot cohortibus expugnati et capti; nec iam de limite imperii et ripa, sed de hibernis legionum et possessione dubitatum. Ita cum damna damnis continuarentur atque omnis annus funeribus et cladibus insigniretur, poscebatur ore vulgi dux Agricola, comparantibus cunctis vigorem et constantiam et expertum bellis animum cum inertia et formidine eorum, *quibus* ..... Quibus sermonibus satis constat Domitiani quoque aures verberatas, dum optimus quisque libertorum amore et fide, pessimi malignitate et livore pronum deterioribus principem extimulant. Sic Agricola simul suis virtutibus, simul vitiis aliorum in ipsam gloriam praeceps agebatur. P. Ch. 84

42 Aderat iam annus, quo proconsulatum Asiae [et Africae] sortiretur, et occiso Civica nuper nec Agricolae consilium deerat nec Domitiano exemplum. Accessere quidam cogitationum principis periti, qui iturusne esset in provinciam ultro Agricolam interrogarent. Ac primo occultius quietem et otium laudare, mox operam suam in approbanda excusatione offerre, postremo non iam obscuri suadentes simul terrentesque pertraxere ad Domitianum. Qui paratus simu- P. Ch. 90

2 quererent $\Delta\Gamma$ 6 querella] querela $\Delta\Gamma$? 9 Moesia L: Misia $\Delta\Gamma$ 11 uiri] uici *Gronovius, sed cf. H.* 3 19) 13 possessione Γ: possessionum Δ daña dannis Δ 16 uigorem et Δ: uigorem Γ 17 *quibus ..... Quibus: quibus $\Delta\Gamma$ (*expleverim* quibus ducibus male pugnatum erat) 18 Domitiani Γ: Domitianum Δ 21 *extimulant: exstimulabant $\Delta\Gamma$ (*haesit iam Ernesti*) 23 *Asiae [et Africae]: Asiae et Aphricae Δ, Aphricae et Asiae Γ 25 deerat Γ: aderat Δ 29 iam R: tam $\Delta\Gamma$

latione, in arrogantiam compositus, et audiit preces excusantis et, cum annuisset, agi sibi gratias passus est, nec erubuit beneficii invidia. Salarium tamen, proconsulari solitum offerri et quibusdam a se ipso concessum, Agricolae non dedit, sive offensus non petitum, sive ex conscientia, ne quod vetuerat videretur emisse. Proprium humani ingenii est odisse quem laeseris: Domitiani vero natura praeceps in iram, et quo obscurior, eo inrevocabilior, moderatione tamen prudentiaque Agricolae leniebatur, quia non contumacia neque inani iactatione libertatis famam fatumque provocabat. Sciant, quibus moris est illicita mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse, obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor assint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, sed in nullum rei publicae usum, ambitiosa morte inclaruerunt.

43 Finis vitae eius nobis luctuosus, amicis tristis, extraneis
P. Ch. 93 etiam ignotisque non sine cura fuit. Vulgus quoque et hic aliud agens populus et ventitavere ad domum et per fora et circulos locuti sunt; nec quisquam audita morte Agricolae aut laetatus est aut statim oblitus. Set augebat miserationem constans rumor veneno interceptum: nobis nihil comperti *aut quod* affirmare ausim. Ceterum per omnem valitudinem eius crebrius quam ex more principatus, per nuntios visentis, et libertorum primi et medicorum intimi venere, sive cura illud sive inquisitio erat. Supremo quidem die momenta ipsa deficientis per dispositos cursores nuntiata constabat, nullo credente sic accelerari quae tristis audiret. Speciem tamen doloris ore vultuque prae se tulit, securus iam odii et qui facilius dissimularet gaudium quam metum.

1 audiuit *potius* 3 proconsulari Γ, procos Δ, proconsulare *de la Bleterie* 8 inreuocabilior $\Delta\Gamma$ 9 nec inani Δ 13 eorum laudes *Wex* excedere] escendere *L* 14 in nullum rei p. *Muretus et Vrsinus*: in ullum rei post $\Delta\Gamma$ 19 circulos Γ: per circ. Δ 20 *oblitus. set: oblitus est $\Delta\Gamma$ (oblitus. et *Fröhlich et Wex*) 21 nobis Δ: nobis Γ 22 *aut quod affirmare: affirmare $\Delta\Gamma$ (quod aff. *Acidalius*) 23 principis *Muretus et Vrsinus* 24 uisentis Γ: uiseritis Δ 27 constabat *R*: constabant $\Delta\Gamma$ 28 ore *Halm*: animo *codices* (*cf.* ore *et* 11 16: ore uultuque tristi; *Schoemann* sermone)

Satis constabat lecto testamento Agricolae, quo coheredem optimae uxori et piissimae filiae Domitianum scripsit, laetatum eum velut honore iudicioque. Tam caeca et corrupta mens assiduis adulationibus erat, ut nesciret a bono patre non scribi heredem nisi malum principem.

Natus erat Agricola C. Caesare tertium consule idi- 44
bus Iuniis: excessit tertio et quinquagesimo anno, decimo
kalendas Septembris Collega Priscoque consulibus. Quod si
habitum quoque eius posteri noscere velint, decentior quam
sublimior fuit; nihil motus et impetus in vultu: gratia oris supererat. Bonum virum facile crederes, magnum libenter. Et ipse quidem, quamquam medio in spatio integrae aetatis ereptus, quantum ad gloriam, longissimum aevum peregit. Quippe et vera bona, quae in virtutibus sita sunt, impleverat, et consulari ac triumphalibus ornamentis praedito quid aliud adstruere Fortuna poterat? Opibus nimiis non gaudebat: speciosae contigerant. Filia atque uxore superstitibus, potest videri etiam beatus incolumi dignitate, florente fama, salvis affinitatibus et amicitiis futura effugisse. Nam sicuti durare in hanc beatissimi saeculi lucem ac principem Traianum videre, quodam augurio votisque apud nostras auris ominabatur, ita festinatae mortis grande solacium tulit evasisse postremum illud tempus, quo Domitianus non iam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo et velut uno ictu rem publicam exhausit. Non vidit Agricola obsessam 45
curiam et clausum armis senatum et eadem strage tot consularium caedes, tot nobilissimarum feminarum exilia et fugas. Vna adhuc victoria Carus Metius censebatur, et intra

6 tertium *Vrsinus* : ter *ΔΓ* (*pro* tert.) Cos *ΔΓ* 7 *tertio et quinquagesimo : VI° et L^mo *ΔΓ* (*cf.* III *et* III), quarto et quinq. *Petavius et Brotier* 8 Septembris *Γ*, Septembr. *Δ* Priscoque *Γ* : Piscoque *Δ* 10 *motus et impetus : mętus et impetus *Δ*, impetus *Γ qui in margine* metus Al' 14 sunt *Γ* : *om Δ* 17 speciosae contigerant. filia *R* : speciose (spetiose *Δ*) non contigerant (contingerant *Δ*) filia *ΔΓ*, speciose contigerat filia *Puteolanus* 19 amiciis *Γ* 20 hanc—lucem *Acidalius* : hac—luce *ΔΓ* seculi *ΔΓ*? 21 quodam *Bipontini* : quod *ΔΓ* 26 clausum *Δ et Puteolanus* : clusum *Γ* 28 Carus Metius *R* : charus mitius *Γ*, clarus mitius *Δ*

Albanam arcem sententia .. Messalini strepebat, et Massa Baebius tum reus erat. Mox nostrae duxere Helvidium in carcerem manus; nos Maurici Rusticique visus, nos innocenti sanguine Senecio perfudit. Nero tamen subtraxit oculos suos iussitque scelera, non spectavit: praecipua sub Domitiano miseriarum pars erat videre et aspici, cum suspiria nostra subscriberentur, cum denotandis tot hominum palloribus sufficeret saevus ille vultus et rubor *oris*, quo se contra pudorem muniebat. Tu vero felix, Agricola, non vitae tantum claritate sed etiam opportunitate mortis. Vt perhibent qui interfuerunt novissimis sermonibus tuis, constans et libens fatum excepisti, tamquam pro virili portione innocentiam principi donares. Sed mihi filiaeque eius praeter acerbitatem parentis erepti auget maestitiam, quod assidere valitudini, fovere deficientem, satiari vultu complexuque non contigit. Excepissemus certe mandata vocesque, quas penitus animo figeremus. Noster hic dolor, nostrum vulnus, nobis tam longae absentiae conditione ante quadriennium amissus est. Omnia sine dubio, optime parentum, assidente amantissima uxore superfuere honori tuo: paucioribus tamen lacrimis comploratus es, et novissima in luce disideravere aliquid oculi tui.

46 Si quis piorum manibus locus, si, ut sapientibus placet, non cum corpore extinguuntur magnae animae, placide quiescas, nosque, domum tuam, ab infirmo desiderio et muliebribus lamentis ad contemplationem virtutum tuarum voces, quas neque lugeri neque plangi fas est. Admiratione te potius, te immortalibus laudibus et, si natura suppeditet, aemulatu decorabimus: is verus honos, ea coniunctissimi cu-

1 ..*Messalini : Messalini $\Delta\Gamma$ (*excidit aut* A. *aut* M.) 2 Baebius] Bebius Γ, Boebius Δ (*cf. H.* 4 50) tum Δ : iam tum Γ 4 Senecio R : Senetio $\Delta\Gamma$ 8 *rubor oris : rubor a $\Delta\Gamma$ (*L* rubor; *cf. H.* 4 40, *Plin. paneg.* 48) 10 perhibent *Puteolanus* : perhiberent $\Delta\Gamma$ 16 excepissemus *Acidalius et Pichena* : excepissem $\Delta\Gamma$ 17 figeremus Δ : pin $\Delta\Gamma$ figeremus Γ nobis Γ : *om.* Δ 18 longa Γ, ĩrę Δ 20 lachrymis Δ 21 desyderauere Γ 24 extinguntur $\Delta\Gamma$ 25 muliebribus Γ : mulieribus Δ 27 neque—neque] nec — nec Δ 28 te immortalibus L : temporalibus 29 aemulatu *Heinsius* : militum Γ, multum Δ *decorabimus : decoramus $\Delta\Gamma$

iusque pietas. Id filiae quoque *eius* uxorique praeceperim, sic patris, sic mariti memoriam venerari, ut omnia facta dictaque eius secum revolvant, famamque .. ac figuram animi magis quam corporis complectantur, non quia intercedendum putem imaginibus quae marmore aut aere finguntur, sed, ut vultus hominum, ita simulacra vultus imbecilla ac mortalia sunt, forma mentis aeterna, quam tenere et exprimere non per alienam materiam et artem, sed tuis ipse moribus possis. Quicquid ex Agricola amavimus, quicquid mirati sumus, manet mansurumque est in animis hominum, in aeternitate temporum [fama rerum]. Nam multos veterum velut inglorios et ignobiles oblivio obruet: Agricola posteritati narratus et traditus superstes erit.

1 *quoque eius : quoque (*cf. c.* 45: mihi filiaeque eius) 3 *famamque .. : famamque *codices* (*expleveris* famamque uiri; *Muretus* formamque) 6 imbecilla *Γ* : imbecillia *Λ* 11 *[fama rerum] 12 ignobiles *Λ* : ignobilis *Γ* obruit *M. Haupt* 13 Τέλος *Γ*

CORNELII TACITI
DIALOGVS
DE ORATORIBVS.

BREVIARIUM. C. 1—15. Praeparatio sermonis. Iusto Fabio saepe ex Tacito requirenti, cur sua potissimum aetas laude eloquentiae orbata vix nomen oratoris retineat, ita satisfaciendum hic putat, ut disertissimorum suis temporibus hominum sermonem repetat, quos ipse eandem hanc quaestionem pertractantes iuvenis admodum audivit (1). Nam postero die quam Curiatius Maternus Catonem recitaverat, venerunt ad eum M. Aper et Iulius Secundus, celeberrima tum fori ingenia, cum ipsis etiam scriptor huius sermonis (2). Aper Materno nimium amorem carminum exprobrat, ipsum a Musarum commercio in forum retrahere cupiens: ille iudicem adesse Secundum laetatur, qui se vel in futurum vetet versus facere, vel sua quoque auctoritate compellat, ut omissis forensibus causis sanctiorem illam et augustiorem eloquentiam colat (3—4). Adversandi occasionem nactus Aper eloquentiam oratoriam prae poesi laudat ab utilitate, voluptate, dignitate, fama in urbe et nomine apud exteras nationes, propositis exemplis Vibii Crispi et Eprii Marcelli (5—8). Carmina et versus eodem iudice neque dignitatem auctoribus suis conciliant, neque utilitate eos alunt, voluptatem brevem, laudem inanem et infructuosam afferunt. Accedit quod poetarum studium magis quam oratorum offensis obnoxium est (9—10). Contra Maternus dicit, quicquid in se notitiae ac nominis sit, magis carminum quam orationum gloria partum. Mittere se velle vanam causas orantium speciem, statum autem ac securitatem innocentia melius quam eloquentia defendi (11). Poetae magis et verius celebrantur quam oratores (12). Fortuna vatum et felix cum Musis contubernium superat inquietam et anxiam oratorum vitam (13). Intervenit Vipstanus Messala, ac statim forensia sui temporis negotia et declamatorium studium oblique insectatur, veteres oratores multum praestare professus (14—15).

C. 16—23. Novi oratores laudantur, antiqui postponuntur. Ceteris in laudem veteris eloquentiae consentientibus, Aper diversam partem suscipiens primum nullo iure distingui novos oratores et antiquos conatur probare (16—17), tum mutari monet cum temporibus formas quoque et genera dicendi, nec statim deterius esse quod ab antiquo diversum (18). Cassius (Severus), quem antiquorum admiratores velut terminum antiquitatis constituerunt, a vetere dicendi via deflexit non infirmitate ingenii nec inscitia litterarum, sed iudicio et intellectu se ad aliud dicendi genus transtulit. Prior auditor iudiciorum et populus infirmitatem et impexam simplicitatem antiquitatis patienter tulit, mediocria laude prosecutus est et assensu: nunc illa pervulgata sunt omnia, iam novis et exquisitis eloquentiae itineribus opus est, per quae orator fastidium aurium effugiat et severis iudicibus satisfaciat. Antiquis oratoribus cultus et laetitia huius saeculi defuit. Sordes verborum, hians et iners compositio apud plerosque deprehenditur, etiam in Ciceronis orationibus (19—23).

C. 24—41. Antiquorum eloquentia laudata, nova postposita. Apro respondet Messala et primum refutat ab illo exposita (24—25). Veterum

oratorum simplicitas et vis praeferenda fucatis et meretriciis novorum ornamentis. Nova quae Cassius Severus invenit, vitia sunt, non virtutes, quamquam ipse proximos oratores superavit (26). Messalam deflectentem a via admonet Maternus, ut causas cur eloquentia in tantum ab antiqua virtute recesserit, exponat (27). Iam Messala demonstrat tam eloquentiam quam ceteras artes a vetere gloria descivisse desidia iuventutis, neglegentia parentum, inscientia praecipientium, oblivione moris antiqui (28—29). Nunc rhetores in scholis eloquentiam prave tradunt, fictis controversiis linguam modo et vocem exercentes. Antiqui oratores infinito labore et quotidiana meditatione et plurimis artibus consecuti sunt, ut de omni quaestione pulchre et ornate et ad persuadendum apte dicere possent (30—32). Cum finem fecisset Messala, Materno susceptum a se munus nondum visus est peregisse, sed quibus instrui artibus veteres oratores soliti sint, postquam docuerit, differentiamque praesentis desidiae et inscientiae ostenderit, reliquum esse ut exponat, quibus exercitationibus iuvenes iam forum ingressuri ingenia confirmaverint et alendo provexerint (33). Messala igitur expleturus quod restabat, de more vetere, quo iuvenes ad eum oratorem deducebantur qui principem in civitate locum obtinebat, disserere pergit. Hunc illi sectabantur, huius omnibus dictionibus tam in iudiciis quam in contione interesse assuescebant. Ita nec praeceptor deerat, qui faciem eloquentiae, non imaginem praestaret, nec adversarii et aemuli, ferro non rudibus dimicantes. Sic iuvenis ille oratorum discipulus, fori auditor, sectator iudiciorum solus statim et unus cuicumque causae par erat (34). Nunc adulescentuli deducuntur in scenas scholasticorum qui rhetores vocantur, ubi et locus ipse et genus studiorum plurimum damni ingeniis afferunt (35).

Iam cum in eo esset Messala ut mala ex controversiarum et suasoriarum declamationibus redundantia persequeretur, oratio eius clade veteris cuiusdam libri nobis truncata est. Deest enim clausula orationis Messalae et principium alterius quam inchoavit Maternus. Maternus professus erat se consentire Messalae de veteris eloquentiae gloria et flore, sed diversas eius rei causas sese cognovisse. Scilicet magna et nobilis eloquentia, sicut flamma, materia alitur et motibus excitatur et urendo clarescit. Hoc antiquorum eloquentiam auxit et provexit. Cum obtinuit omnium rerum perturbatio, cum dominabatur extrema licentia, oratores summa consecuti sunt. Quaecumque distrahebant rem publicam, eadem eloquentiam exercebant. Ad summa eloquentiae praemia apud veteres etiam necessitas accedebat: nam mutum et elinguem videri deforme habebatur (36). Principes viri non viribus modo aut armis, sed ingenio quoque et oratione valebant. Plurimum eloquentiae praestabat splendor reorum et magnitudo causarum (37). Forma et consuetudo iudiciorum nunc astricta veritati aptior, sed prior et laxa eloquentiam magis excitabat. Causae centumvirales, quae nunc primum obtinent locum, olim adeo splendore aliorum iudiciorum obruebantur, ut nullius magni oratoris antiqui liber apud centumviros dictus legatur (38). Alia dignitati iudiciorum nunc adversa, paenulae circumstantium, tum auditoria et tabularia: olim sub diu et concursu totius civitatis nobiles rei et accusati sunt et defensi (39). Iam vero contiones assiduae et datum ius potentissimum quemque vexandi ardorem ingeniis, faces oratoribus antiquis admovebant. Nimirum magna et notabilis eloquentia non probitate et modestia gaudet, sed est alumna licentiae, quam stulti libertatem vocabant, quae in bene constitutis civitatibus non oritur (40). Etiam quod nunc superest ex antiquitate, defensiones et accusationes reorum, hoc non emendatae nec usque ad votum compositae civitatis argumentum est. Inter innocentes orator supervacuus, sicut inter sanos medicus (41). Amice disceditur (42).

Quo consilio et quando hoc de oratore colloquium a Tacito editum sit, in Prooemio (c. 4—5) editionis meae Cantabrigiensis disputatum est; ibidem refutare operam dedi temerarias de auctore dubitationes. Primum

adulescentis ingeniosi specimen a ceteris eiusdem libris differt ubertate dicendi aliquando ad vitium prope accedente, tum usu pronominis ipse persaepe positi, postremo particula autem liberius admissa quam in operibus matura aetate compositis.

1 Saepe ex me requiris, Iuste Fabi, cur, cum priora saecula tot eminentium oratorum ingeniis gloriaque floruerint, nostra potissimum aetas deserta et laude eloquentiae orbata vix nomen ipsum oratoris retineat: neque enim ita appellamus nisi antiquos: horum autem temporum diserti causidici et advocati et patroni et quidvis potius quam oratores vocantur. Cui percunctationi tuae respondere et tam magnae quaestionis pondus excipere, ut aut de ingeniis nostris male existimandum sit, si idem assequi non possumus, aut de iudiciis, si nolumus, vix Hercule auderem, si mihi mea sententia proferenda ac non disertissimorum, ut nostris temporibus, hominum sermo repetendus esset, quos eandem hanc quaestionem pertractantes iuvenis admodum audivi. Ita non ingenio sed memoria et recordatione opus est, ut quae a praestantissimis viris et excogitata subtiliter et dicta graviter accepi, cum singuli diversas, sed easdem probabiles causas afferrent, dum formam sui quisque et animi et ingenii redderent, isdem nunc numeris isdemque rationibus persequar, servato ordine disputationis. Neque enim defuit qui diversam quoque partem susciperet, ac multum vexata et irrisa vetustate nostrorum temporum eloquentiam antiquorum inge-
2 niis anteferret. Nam postero die quam Curiatius Maternus Catonem recitaverat, cum offendisse potentium animos diceretur, tamquam in eo tragoediae argumento sui oblitus tan-

Codices AB, ut in Germania, tum C, h. e. Vaticanus 3429, *qui in annotatione Agricolae Γ signatur.* CORNELII. TACITI. DIALOGVS. DE ORATORIBVS. INCIPIT. *A*, CORNELI TACITI INCIPIT DIALOGVS DE ORATORIBVS *B*, C. Cornelii Taciti Dialogus de Oratoribus *C* 1 Aepe *cum spatio pro SC* 4 appellamus *Puteolanus*: appellemus *ABC* 7 percunctationi *A*, percũctationi *B* 9 sit, si *L*: si *AB*, sit ς 15 suptiliter *A* 16 sed easdem *C. L. Roth*: uel easdem sed *AB* 17 redderent *A(B)*: redderet *C* 18 iisdem—iisdemque *A pro more suo, et sic etiam, ut videtur, BC* persequar *Puteolanus*: prosequar *ABC* 22 anteferrent *A*, antefere *C* 24 tragediae *A*

tum Catonem cogitasset, eaque de re per urbem frequens sermo haberetur, venerunt ad eum M. Aper et Iulius Secundus, celeberrima tum ingenia fori nostri, quos ego in iudiciis non [utrosque] modo studiose audiebam, sed domi quoque et in publico assectabar mira studiorum cupiditate et quodam ardore iuvenili, ut fabulas quoque eorum et disputationes et arcana semotae dictionis penitus exciperem, quamvis maligne plerique opinarentur, nec Secundo promptum esse sermonem et Aprum ingenio potius et vi naturae quam institutione et litteris famam eloquentiae consecutum. Nam et Secundo purus et pressus et, in quantum satis erat, profluens sermo non defuit, et Aper omni eruditione imbutus contemnebat potius litteras quam nesciebat, tamquam maiorem industriae et laboris gloriam habiturus, si ingenium eius nullis alienarum artium adminiculis inniti videretur. Igitur ut intravimus cubiculum Materni, sedentem ipsum quemque pridie recitaverat librum intra manus habentem deprehendimus. 3

Tum Secundus 'Nihilne te, inquit, 'Materne, fabulae malignorum terrent, quo minus offensas Catonis tui ames? an ideo librum illum apprehendisti, ut diligentius retractares et, sublatis si qua pravae interpretationi materiam dederunt emitteres Catonem non quidem meliorem sed tamen securiorem?'

Tum ille 'Leges tu .... quid Maternus sibi debuerit, et agnosces quae audisti. Quod si qua omisit Cato, sequenti recitatione Thyestes dicet: hanc enim tragoediam disposui iam et intra me ipse formavi. Atque ideo maturare libri huius editionem festino, ut dimissa priore cura novae cogitationi toto pectore incumbam.'

'Adeo te tragoediae illae non satiant,' inquit Aper, 'quo

4 *[utrosque] (ego utrosque non in iud. *Schopen*) 5 affectabar *C* 9 asperum *C* 10 litteris] lris *A*, *mox* lrãs 12 omni ς : cum *AB* cõtẽndebat *A* 15 ad inniti *AB* 16 quemque *Schopen* : quem *ABC* 20 *illum : istum *A et vulgo* retrectares *A* 24 *tu .... : tu *ABC* (*explco* tu, inquit, si tibi curae, quid) 25 omisit *BC* : emisit *pr A* 26 thiestes *A*, *mox* thiestem tragediam *AB* 27 ipse] iste *A* 30 *illae : istae *A et vulgo*

minus omissis orationum et causarum studiis omne tempus modo circa Medeam, ecce nunc circa Thyestem consumas, cum te tot amicorum causae, tot coloniarum et municipiorum clientelae in forum vocent, quibus vix suffeceris, etiamsi non novum tibi ipse negotium importasses, Domitium et Catonem, id est nostras quoque historias et Romana nomina Graecorum fabulis aggregare.'

4 Et Maternus: 'perturbarer hac tua severitate, nisi frequens et assidua nobis contentio iam prope in consuetudinem vertisset. Nam nec tu agitare et insequi poetas intermittis, et ego, cui desidiam advocationum obicis, quotidianum hoc patrocinium defendendae adversus te poeticae exerceo. Quo laetor magis oblatum nobis iudicem, qui me vel in futurum vetet versus facere, vel, quod iam pridem opto, sua quoque auctoritate compellat, ut omissis forensium causarum angustiis, in quibus mihi satis superque sudatum est, sanctiorem illam et augustiorem eloquentiam colam.'

5 'Ego vero', inquit Secundus, 'antequam me iudicem Aper recuset, faciam quod probi et moderati iudices solent, ut in iis cognitionibus se excusent, in quibus manifestum est alteram apud eos partem gratia praevalere. Quis enim nescit neminem mihi coniunctiorem esse et usu amicitiae et assiduitate contubernii quam Saleium Bassum, cum optimum virum tum absolutissimum poetam? porro si poetica accusatur, non alium video reum locupletiorem.'

'Securus sit', inquit Aper, 'et Saleius Bassus et quisquis alius studium poeticae et carminum gloriam fovet, cum causas agere non possit. Ego enim, quatenus arbitrum litis huius inveni, non patiar Maternum societate plurium defendi, sed ipsum solum apud eum arguam, quod natus ad eloquen-

6 i. nostras *C* 7 Graecorum *A*(*C*) : Graeculorum *B* aggregare *Pithoeus* : aggregares *ABC* 11 obiicis *A pro more suo* (*BC*) 15 autoritate *A* 17 illam *liber Farnesianus* : istam *AB* angustiorem *C* 19 moderati *AB* : modesti *C* 20 iis ς : his *AB* cogitationibus *C* se *Pithoeus* : *om. codices* 23 Saleium *in margine A* : Galerium *A*, Salerũ *B* 26 Salerius *A* 28 ego *Pithoeus* : et ego *codices* 29 inueni *Pithoeus* : inueniri *codices* plurium *Pithoeus* : plurimum *codices* 30 eum *Spengel* : eos *ABC*, ipsos ς

tiam virilem et oratoriam, qua parere simul et tueri amicitias, asciscere necessitudines, complecti provincias possit, omittit studium, quo non aliud in civitate nostra vel ad utilitatem fructuosius, *vel ad voluptatem dulcius*, vel ad dignitatem amplius, vel ad urbis famam pulchrius, vel ad totius imperii atque omnium gentium notitiam illustrius excogitari potest. Nam si ad utilitatem vitae omnia consilia factaque nostra dirigenda sunt, quid est tutius quam eam exercere artem, qua semper armatus praesidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus, invidis vero et inimicis metum et terrorem ultro feras, ipse securus et quadam velut perpetua potentia ac potestate munitus? cuius vis et utilitas rebus prospere fluentibus aliorum perfugio et tutela intellegitur: sin proprium periculum increpuit, non Hercule lorica et gladius in acie firmius munimentum quam reo et periclitanti eloquentia praesidium simul ac telum, quo propugnare pariter et incessere vel in iudicio sive in senatu sive apud principem possis. Quid aliud infestis patribus nuper Eprius Marcellus quam eloquentiam suam opposuit? qua accinctus et minax disertam quidem, sed inexercitatam et eiusmodi certaminum rudem Helvidii sapientiam elusit. Plura de utilitate non dico, cui parti minime contradicturum Maternum meum arbitror. Ad voluptatem oratoriae eloquentiae transeo, cuius iucunditas non uno aliquo momento sed omnibus prope diebus ac prope omnibus horis contingit. Quid enim dulcius libero et ingenuo animo et ad voluptates honestas 6

2 asciscere *A* necessitudines ς : necessitates *AB* 3 omittit *R* : amitti *codices* 5 uel ad uoluptatem iucundius *Classen* : *om codices* (*cf. c.* 6; *pro* iucundius *ego* dulcius *praetuli*; *cf. c.* 6: quid enim dulcius libero — animo et ad honestas voluptates nato) pulcrius *A* 7 fataq; per nostra *BC* 8 utilius *Acidalius* 11 feras *L* : ferat *codices* (ultor ferat *Steiner*) quadam uelut *A*(*C*) : uelut quadam *B* 12 maiestate *Steiner* 13 perfugio ς : profugio *B*(*C*), praesidio profugio *A* intelligitur *A* 14 increpuit *A* irrepat lorica et *Seebode* : loricae *codices* 17 uel in senatu *Nipperdey* 18 eprius *A* : prius *BC* 19 qua *Vrsinus* : qui *codices* 21 Heluidi *B* 22 parti *liber Farnesianus* : partim *B* 24 iucunditas ς : iucunditatis *A*, iucunditatis *B*

nato quam videre plenam semper et frequentem domum suam concursu splendidissimorum hominum? idque scire non pecuniae, non orbitati, non officii alicuius administrationi, sed sibi ipsi dari? ipsos quin immo orbos et locupletes et potentes venire plerumque ad iuvenem et pauperem, ut aut sua aut amicorum discrimina commendent. Vllane tanta ingentium opum ac magnae potentiae voluptas quam spectare homines veteres et senes et totius urbis gratia subnixos in summa rerum omnium abundantia confitentes, id quod optimum sit se non habere? Iam vero qui togatorum comitatus et egressus, quae in publico species, quae in iudiciis veneratio? quod ibi gaudium consurgendi assistendique inter tacentes et in unum conversos? coire populum et circumfundi coronam et accipere affectum quemcumque orator induerit. Vulgata dicentium gaudia et imperitorum quoque oculis exposita percenseo; illa secretiora et tantum ipsi oranti nota maiora sunt: sive accuratam meditatamque profert orationem, est quoddam sicut ipsius dictionis, ita gaudii pondus et constantia; sive novam et recentem curam non sine aliqua trepidatione animi attulerit, ipsa sollicitudo commendat eventum et lenocinatur voluptati. Sed extemporalis audāciae atque ipsius temeritatis vel praecipua iucunditas est: nam in ingenio quoque, sicut in agro, quamquam alia diu serantur atque elaborentur, gratiora tamen quae sua sponte
7 nascuntur. Equidem, ut de me ipse fatear, non eum diem laetiorem egi, quo mihi latus clavus oblatus est, vel quo homo novus et in civitate minime favorabili natus quaesturam aut tribunatum aut praeturam accepi, quam eos, quibus mihi pro mediocritate huius quantulaecumque in dicendo facultatis

3 administrationi *A* : administrationis *BC* 4 ipsos *Haase* : istos *AB*, illos *C* imo *A* 8 ueteres et senatores *Haupt* urbis *Pithoeus* : orbis *codices* 9 suma *A* 12 *quod ibi : quod id *ABC* 14 coronam *Acidalius* : coram *codices* quemcunque *Farnesianus* : quādocūque *A*, quandocunque *B* induerit *A* : indueret *B* 16 ipsi oranti *corr A* : ipsis orantibus *ceteri* 17 fert *C* 20 animi *Pichena* : animus *codices* solicitudo *A* 23 ingenio *A* : ingenio *B* 25 ipse *A* : ipso *B*

aut reum prospere defendere aut apud centumviros causam aliquam feliciter orare aut apud principem ipsos illos libertos et procuratores principum tueri et defendere datur. Tum mihi supra tribunatus et praeturas et consulatus ascendere videor, tum habere quod [, si non in alio oritur,] nec codicillis datur nec cum gratia venit. Quid? fama et laus cuius artis cum oratorum gloria comparanda est? qui enim illustres et *in* ... in urbe non solum apud negotiosos et rebus intentos, sed etiam apud vacuos et adulescentes, quibus modo et recta indoles est et bona spes sui? Quorum nomina prius parentes liberis suis ingerunt? Quos saepius vulgus quoque imperitum et tunicatus hic populus transeuntes nomine vocat et digito demonstrat? Advenae quoque et peregrini iam in municipiis et coloniis suis auditos, cum primum urbem attigerunt, requirunt ac velut agnoscere concupiscunt. Ausim contendere Marcellum hunc, de quo modo 8
locutus sum, et Crispum Vibium (libentius enim novis et recentibus quam remotis et obliteratis exemplis utor) non minus esse *inlustres* in extremis partibus terrarum quam Caputae aut Vercellis, ubi nati dicuntur. Nec hoc illis ... alterius ter milies sestertium praestat, quamquam ad has ipsas opes possunt videri eloquentiae beneficio venisse [, ipsa

1 aut apud iudicem reum *Spengel* 2 foeliciter *A* 5 habere *Muretus* : abire *codices* *[si non in alio oritur] innatum *pro* in alio *Steiner* 6 codicillis *A* 7 *enim : non *codices* (*cf.* .n. = *enim et* n. = *non*) 8 illustres *superposito* aꝑ *A* *et in ... in : et in *AC*, et nō in *B*, (*expleo* illustres et in ore hominum magis in urbe) urbe solum *B* nō solum apud negociosos *A* (*linea recens subducta vocibus* nō *et* apud) 9 uacuos *A* : iuuenes *BC* adolescentes *AB ut solent* 10 modo *A* et recta] recta (et *eadem manu*) *A* : recta et *BC* quorum nomina] quorum non nomina *B*, quorum nō (*post* quorum et quorū nō prius) *A* 13 uocat *A* 14 coloniis et prouinciis *Nipperdey* 16 *hunc : hunc e propum *A*, hunc eproprium *B*, hunc eprium = (*cf. c.* 8 *et* 13 *cum c.* 5) 17 bibium *A* 19 *inlustres in : in *codices* 20 *illis ....: illis *codices* (*suppleveris* ampla Marcelli praedia, nec alterius 21 millies *A* 22 sed ipsa *Pithoeus* *[ipsa eloquentia] : Ipsa eloquentia *A*, ipsa eloquentia *ceteri*

eloquentia], cuius numen et caelestis vis multa quidem omnibus saeculis exempla edidit, ad quam usque fortunam homines ingenii viribus pervenerint, sed haec, ut supra dixi, proxima et quae non auditu cognoscenda, sed oculis spectanda habemus. Nam quo sordidius et abiectius nati sunt, quoque notabilior paupertas et angustiae rerum nascentes eos circumsteterunt, eo clariora et ad demonstrandam oratoriae eloquentiae utilitatem illustriora exempla sunt, quod sine commendatione natalium, sine substantia facultatum, neuter moribus egregius, alter habitu quoque corporis contemptus, per multos iam annos potentissimi sunt civitatis ac, donec libuit, principes fori, nunc principes in Caesaris amicitia agunt feruntque cuncta, atque ab ipso principe cum quadam reverentia diliguntur, quia Vespasianus, venerabilis senex et patientissimus veri, bene intellegit ceteros quidem amicos suos iis niti, quae ab ipso acceperint quaeque ipsi accumulare et in alios congerere promptum est, Marcellum autem et Crispum attulisse ad amicitiam suam quod non a principe acceperint nec accipi possit. Minimum inter tot ac tanta locum optinent imagines ac tituli et statuae, quae neque ipsa tamen negleguntur, tam Hercule quam divitiae et opes, quas facilius invenies qui vituperet quam qui fastidiat. His igitur et honoribus et ornamentis et facultatibus refertas domos eorum videmus, qui se ab ineunte adulescentia causis forensibus et oratorio studio dederunt. Nam carmina et versus, quibus totam vitam Maternus insumere optat (inde enim omnis fluxit oratio), neque dignitatem ullam auctoribus suis conciliant, neque utilitate eos alunt, voluptatem autem brevem, laudem inanem et infructuosam consequuntur.

2 seculis *A* hominibus *C* 5 haberemus *A*, haberemus *BC* quosque *BC* 6 angustiae *L*: angustia *codices* rerum *Puteolanus*: ereptum *BC*, ereptū parentum *A* 8 utilitatem] *immo* ubertatem 11 permultos *A* ac *AB*: et ς 13 atque] cum *pr B* 15 intelligit *Puteolanus*: intelligit et *AB* coeteros *A pro more suo* 16 his *A*, his iis *B* ipsi *L*: ipsis *codices* 17 congere *C* 19 possint *C* 23 referctas *A* 27 autoribus *A* 28 *utilitate eos: utilitates *codices* 29 consequentur *C*

Licet haec ipsa et quae deinceps dicturus sum aures tuae, Materne, respuant, cui bono est, si apud te Agamemnon aut Iason diserte loquitur? quis ideo domum defensus et tibi obligatus redit? quis Saleium nostrum, egregium poetam vel, si hoc honorificentius est, praeclarissimum vatem, deducit aut salutat aut prosequitur? Nempe si amicus eius, si propinquus, si denique ipse in aliquod negotium inciderit, ad hunc Secundum recurret aut ad te, Materne, non quia poeta es, neque ut pro eo versus facias: hi enim Basso domi nascuntur, pulchri quidem et iucundi, quorum tamen hic exitus est, ut cum toto anno, per omnes dies, magna noctium parte unum librum excudit et elucubravit, rogare ultro et ambire cogatur, ut sint qui dignentur audire, et ne id quidem gratis: nam et domum mutuatur et auditorium extruit et subsellia conducit et libellos dispergit. Et ut beatissimus recitationem eius eventus prosequatur, omnis illa laus intra unum aut alterum diem, velut in herba vel flore praecepta, ad nullam certam et solidam pervenit frugem, nec aut amicitiam inde refert aut clientelam aut mansurum in animo cuiusquam beneficium, sed clamorem vagum et voces inanes et gaudium volucre. Laudavimus nuper ut miram et eximiam Vespasiani liberalitatem, quod quingenta sestertia Basso donasset. Pulchrum id quidem, indulgentiam principis ingenio mereri: quanto tamen pulchrius, si ita res familiaris exigat, se ipsum colere, suum genium propitiare, suam experiri liberalitatem. Adice quod poetis, si modo dignum aliquid elaborare et efficere velint, relinquenda conversatio amicorum et iucunditas urbis, deserenda cetera officia, utque ipsi dicunt, in nemora et lucos, id est in solitudinem, recedendum est. Ne opinio quidem et fama, cui soli inserviunt et quod unum esse pretium laboris sui fatentur, aeque poe-

1 deinde *C* 4 Coeleium *A*, Caeleium *B* 6 eius *Farnesianus* : est *AB* 7 negocium *A* 12 extudit *B* 16 ista *AB* 17 praecepta *C* : percepta *AB*, praecerpta *Schele* 23 pulcrum — pulcrius *A* 25 genium *L* : ingenium *codices* 26 liberalitatem *L* : libertatem *codices* adiice *A pro more* 28 utque *BC* : et ut *A* 29 secedendum *Schele* 30 *inseruiunt : seruiunt *codices* 31 precium *A* laboris *A* : omnes laboris *BC*= aeque *Puteolanus* : atque *AB*

tas quam oratores sequitur, quoniam mediocris poetas nemo novit, bonos pauci. Quando enim clarissimarum recitationum fama in totam urbem penetrat? nedum ut per tot provincias innotescat. Quotus quisque, cum ex Hispania vel Asia, ne quid de Gallis nostris loquar, in urbem venit, Saleium Bassum requirit? atque adeo siquis requirit, ut semel vidit, transit et contentus est, ut si picturam aliquam vel statuam vidisset. Neque hunc meum sermonem sic accipi volo, tamquam eos, quibus natura sua oratorium ingenium denegavit, deterream a carminibus, si modo in hac studiorum parte oblectare otium et nomen inserere possunt famae. Ego vero omnem eloquentiam omnesque eius partes sacras et venerabiles puto, nec solum cothurnum vestrum aut heroici carminis sonum, sed lyricorum quoque iucunditatem et elegorum lascivias et iamborum amaritudinem et epigrammatum lusus, et quamcumque aliam speciem eloquentia habet, anteponendam ceteris aliarum artium studiis credo. Sed tecum mihi, Materne, res est, quod, cum natura te tua in ipsam arcem eloquentiae ferat, errare mavis et summa adeptus in levioribus subsistis. Vt si in Graecia natus esses, ubi ludicras quoque artis exercere honestum est, ac tibi Nicostrati robur ac vires dei dedissent, non paterer immanes illos et ad pugnam natos lacertos levitate iaculi aut iactu disci vanescere, sic nunc te ab auditoriis et theatris in forum et ad causas et ad vera proelia voco, cum praesertim ne ad illud quidem confugere possis, quod plerisque patrocinatur, tamquam minus obnoxium sit offendere poetarum quam oratorum studium. Effervescit enim vis pulcherrimae naturae tuae, nec pro amico aliquo, sed, quod periculosius est, pro Catone offendis. Nec excusatur offensa

1 sequitur *corr B*: insequitur *A cum plerisque* 2 clarissimarum *Steiner*: rarissimarum *codices* 3 medium ut *B* 5 Salerium *A* 6 ut *Acidalius*: et *codices* 10 criminibus *C* 13 coturnum *AB* 14 lyricos *C* elegiorum *AB* 15 et *ante* epigr. *adiecit Acidalius* 16 habet *Heumann*: habeat *codices* anteponenda *potius* 18 te tua *Halm*: tua *codices* (te ferat *Acidalius*) arcem *R*: artem *codices* 19 suma *A* adepturus *Acidalius* 21 *dei: dii *A cum ceteris, ut videtur* 22 istos *AB* 24 praelia *A* 25 quid. consurgere possis *C* 26 offensae *Acidalius* 27 efferuescet—offendes ς offendes *BC, non A* 28 suae *pr A* (*eadem m. correctum*)

necessitudine officii aut fide advocationis aut fortuitae ac subitae dictionis impetu: meditatus videris aut *ultro* elegisse personam notabilem et cum auctoritate dicturam. Sentio quid responderi possit: hinc ingentis [ex his] assensus, hinc in ipsis auditoriis *poetam* praecipue laudari et mox omnium sermonibus ferri. Tolle igitur quietis et securitatis excusationem, cum tibi sumas adversarium superiorem. Nobis satis sit privatas et nostri saeculi controversias tueri, in quibus expressit si quando necessitas pro periclitante amico potentiorum aures offendere, et probata sit fides et libertas excusata.'

Quae cum dixisset Aper acrius, ut solebat, et intento 11
ore, remissus et subridens Maternus 'parantem' inquit 'me non minus diu accusare oratores quam Aper laudaverat (fore enim arbitrabar ut a laudatione eorum digressus detrectaret poetas atque carminum studium prosterneret), arte quadam mitigavit, concedendo iis qui causas agere non possent, ut versus facerent. Ego autem sicut in causis agendis efficere aliquid et eniti fortasse possum, ita recitatione tragoediarum et ingredi famam auspicatus sum, cum quidem in Nerone improbam et studiorum quoque sacra profanantem Vatinii potentiam fregi, et hodie siquid in nobis notitiae ac nominis est, magis arbitror carminum quam orationum gloria partum. Ac iam me deiungere a forensi labore constitui, nec comitatus istos et egressus aut frequentiam salutationum concupisco, non magis quam aera et imagines, quae etiam me nolente in domum meam irruperunt. Nam statum

1 et subitae *BC* 2 *aut ultro : aut *codices*, ultro *Schopen*, ante *pro* aut *Steiner* 4 hinc ing. *A* : hic ing. *BC* [ex his] *Gesner* hinc] hĩc *corr A*, hic *B pr A*, haec *Farnesianus* 5 *poetam praecipue : praecipue *codices* 8 seculi *A*(*BC*) 9 expressit si quando necessitas *L* : expressis (expressi *C*) si qñ necesse sit *A cum plerisque* 13 parantem inquit me *Walther* : parãt qd eĩm me *AB*, desperant .n. quid me *C* (parantem me inquit *Bekker*) 15 detractaret *B* 16 atque *B*, atque et *A* (*corr ead. m.*) 21 Nerone *Farnesianus* : neronẽ *ABC* prophanantem *A* 22 Vatinii *Gronovius* : uaticinii *codices* et *om AB* (*fortasse* hodieque) 23 numinis *BC et pr A* 25 illos *Halm* 27 irruperunt *BC* : irrumpunt *A*

cuiusque atque securitatem melius innocentia tuetur quam eloquentia, nec vereor ne mihi umquam verba in senatu
12 nisi pro alterius discrimine facienda sint. Nemora vero et luci et secretum ipsum, quod Aper increpabat, tantam mihi afferunt voluptatem, ut inter praecipuos carminum fructus numerem, quod non in strepitu urbis nec sedente ante ostium litigatore nec inter sordes ac lacrimas reorum componuntur, sed secedit animus in loca pura atque innocentia fruiturque sedibus sacris. Haec eloquentiae primordia, haec penetralia; hoc primum habitu cultuque commendata mortalibus in illa casta et nullis contacta vitiis pectora influxit; sic oracula loquebantur. Nam lucrosae huius et sanguinantis eloquentiae usus recens et malis moribus natus, atque, ut tu dicebas, Aper, in locum teli repertus. Ceterum felix illud et, ut more nostro loquar, aureum saeculum, et oratorum et criminum inops, poetis et vatibus abundabat, qui bene facta canerent, non qui male admissa defenderent. Nec ullis aut gloria maior *erat* aut augustior honor, primum apud deos, quorum proferre responsa et interesse epulis ferebantur, deinde apud illos deis genitos sacrosque reges, inter quos neminem causidicum, sed Orphea et Linum ac, si introspicere altius velis, ipsum Apollinem accepimus. Vel si haec fabulosa nimis et composita videntur, illud certe mihi concedes, Aper, non minorem honorem Homero quam Demostheni apud posteros, nec angustioribus terminis famam Euripidis aut Sophoclis quam Lysiae aut Hyperidis includi. Plures hodie reperies qui Ciceronis gloriam quam qui Vergilii detrectent;

1 hucusque *L* *atque : ad *codices*, ac *L* *tuetur : tueor *codices* 4 increpabat *B et Farnesianus* : increpat *A* 6 urbis *Schopen* : om *codices* 7 hostium *B* 8 sedit *pr B* 10 haec primum *C* commendata *Muretus:* commoda *codices* 11 et ista (in illa *recens corr*) *A*, et ista *B* 13 usus et ex malis *C* 15 seculum *A pro more suo* 18 ullus *AB* *maior erat : mor (more *B*) *cum spatio vacuo quinque fere litterarum AB*, in ore *cum vacuo spatio C* (maior *L*) angustior *C* 19 p̃ferre *A* (*debuit* ꝑferre) 20 istos (illos *rc. corr*) *A B* *deis : diis *A* 21 causidicum *Heumann:* causidicorum *codices* ac *AB* : et ς 23 uidentur *B*, uideantur *A* istud *B et pr A* concedes *Acidalius* : concedis *codices* 25 eurypidis *A* 26 pluries *C* 27 uirgilii *A pro more, et sic ceteri*

nec ullus Asinii aut Messalae liber tam illustris est quam Medea Ovidii aut Varii Thyestes. Ac ne fortunam quidem 13
vatum et illud felix contubernium comparare timuerim cum inquieta et anxia oratorum vita. Licet illos certamina et pericula sua ... et consulatus evexerint, malo securum et quietum Vergilii secessum, in quo tamen neque apud divum Augustum gratia caruit neque apud populum Romanum notitia. Testes Augusti epistulae, testis ipse populus, qui auditis in theatro Vergilii versibus surrexit universus et forte praesentem spectantemque [Virgilium] veneratus est sic quasi Augustum. Ne nostris quidem temporibus Secundus Pomponius Afro Domitio vel dignitate vitae vel perpetuitate famae cesserit. Nam Crispus iste et Marcellus, ad quorum exempla me vocas, quid habent in hac sua fortuna concupiscendum? quod timent, an quod timentur? quod, cum quotidie aliquid rogentur, ii quibus praestant indignantur? quod alligati omni adulatione nec imperantibus umquam satis servi videntur nec nobis satis liberi? quae haec summa eorum potentia est? tantum posse liberti solent. Me vero dulces, ut Vergilius ait, Musae, remotum a sollicitudinibus et curis et necessitate quotidie aliquid contra animum faciendi, in illa sacra illosque *ad* fontes ferant; nec insanum ultra et lubricum forum famamque pallentem trepidus experiar. Non me fremitus salutantium nec anhelans libertus excitet, nec incertus futuri testamentum pro pignore scribam, nec plus habeam quam quod possim cui velim relinquere [quandoque enim fatalis et meus dies veniet], statuarque tumulo non maestus et atrox, sed hilaris et coronatus, et pro memoria mei nec consulat quisquam nec roget.'

1 Messallae *Farnesianus* 2 thiestes *A* 3 istud *B pr A* 4 istos *B pr A* 5 *et ... : ... et *codices* (*expleo* ad opes et cons.; *L.* ad *pro* et) consulatus *C* : coetus *A*, cent' *B* 7 po. ro. *A* 8 epistole *A* 10 [Virgilium] *Ernesti* 16 aliqui *ABC* 17 alligat *pr A* omni *Walther* : cum *codices* (*cf. ad c.* 2) 20 solicitudinibus *A* 22 ista *B* *illosque ad : illosque *AC*, istosque *B* 23 pallentem *corr A* : pallantem *ABC* 27 *[quandoque — ueniet] enim] olim *Steiner* ueniet *corr A* : ueniat *ABC* 28 moestus *A* 29 mea *pr A*

14 Vixdum finierat Maternus, concitatus et velut instinctus, cum Vipstanus Messala cubiculum eius ingressus est, suspicatusque ex ipsa intentione singulorum altiorem inter eos esse sermonem, 'num parum tempestivus' inquit 'interveni secretum consilium et causae alicuius meditationem tractantibus?'

'Minime, minime' inquit Secundus, 'atque adeo vellem maturius intervenisses: delectasset enim te et Apri nostri accuratissimus sermo, cum Maternum ut omne ingenium ac studium suum ad causas agendas converteret exhortatus est, et Materni pro carminibus suis laeta, utque poetas defendi decebat, audentior et poetarum quam oratorum similior oratio.'

'Me vero' inquit 'et sermo ipse infinita voluptate affecisset, atque id ipsum delectat, quod vos, viri optimi et temporum nostrorum oratores, non forensibus tantum negotiis et declamatorio studio ingenia vestra exercetis, sed eiusmodi etiam disputationes assumitis, quae et ingenium alunt et eruditionis ac litterarum iucundissimum oblectamentum cum vobis, qui illa disputatis, afferunt, tum etiam iis ad quorum aures pervenerint. Itaque hercle non minus probari video in te, Secunde, quod Iulii Africani vitam componendo spem hominibus fecisti plurium eiusmodi librorum, quam in Apro, quod nondum ab scholasticis controversiis recessit et otium suum mavult novorum rhetorum more quam veterum oratorum consumere.'

15 Tum Aper: 'non desinis, Messala, vetera tantum et antiqua mirari, nostrorum autem temporum studia irridere atque contemnere? nam hunc tuum sermonem saepe excepi, cum oblitus et tuae et fratris tui eloquentiae neminem hoc

1 uelut stinctus *C* 2 cum *R*: tum *codices* Vipstanus *Chr. Ad. Rupertus* (*v. ad* 11 23): Libanius *A*, Vrbanus *corr A*, uibanius *BC* 10 exortatus *A*, et hortatus *BC* 11 utrique poetas defendi poetas *pr B* 12 docebat *C* 14 uere *B* 18 asumitis *C* 19 eruditiones *BC* 20 illa *corr A*, ista *pr A*, iam *C* tũ afferunt *A* 22 Africani *Nipperdey*: Asiatici *codices* 23 plurimum *C* 24 a *C* 26 consuetudmere *pr A* 27 Num desinis *C*

tempore oratorem esse contenderes, antiquis eo, credo, *aequus* audacius, quod maligni hominis opinionem non verebaris, cum eam gloriam, quam tibi alii concedunt, ipse tibi denegares.'

'Neque illius' inquit 'sermonis mei poenitentiam ago, neque aut Secundum aut Maternum aut te ipsum, Aper, quamquam interdum in contrarium disputes, aliter sentire credo. Ac velim impetratum ab aliquo vestrum ut causas huius infinitae differentiae scrutetur ac reddat, quas mecum ipse plerumque conquiro. Et quod quibusdam solacio est, mihi auget quaestionem, quia video etiam Graecis accidisse ut longius absit ab Aeschine et Demosthene Sacerdos ille Nicetes, et si quis alius Ephesum vel Mytilenas concentu scholasticorum et clamoribus quatit, quam Afer aut Africanus aut vos ipsi a Cicerone aut Asinio recessistis.'

'Magnam', inquit Secundus, 'et dignam tractatu quaestionem movisti. Sed quis eam iustius explicabit quam tu, ad cuius summam eruditionem et praestantissimum ingenium cura quoque et meditatio accessit?'

Et Messala 'aperiam' inquit 'cogitationes meas, si illud a vobis ante impetravero, ut vos quoque sermonem hunc nostrum adiuvetis.'

'Pro duobus', inquit Maternus, 'promitto: nam et ego et Secundus exequemur eas partes, quas intellexerimus te non tam omisisse quam nobis reliquisse. Aprum enim solere dissentire et tu paulo ante dixisti, et ipse satis manifestus est iam dudum in contrarium accingi, nec aequo animo perferre hanc nostram pro antiquorum laude concordiam.'

'Non enim', inquit Aper, 'inauditum et indefensum saecu-

1 *aequus audacius : audacius *codices* 2 *maligni hominis : malignis iis *A*, malig'is iis *B*, maligni in *C*, maligni iudicis *Acidalius* 3 ipsi *B* 7 in *om A* 10 conquiro *AB*, inquiro *Farnesianus*, *fortasse* anquiro *reponendum* solatio *A* 11 Graecis *Dronke* : gratis *ABC* (graiis *Putealanus*) 12 ab *Wesenberg* : *om codices* ille *Halm* : iste *ABC* 13 Nicetes *L* : enitet *codices* concentu *Orelli* : concentus *AB*, contentus *C* 15 ab Asinio *Farnesianus*, *non AB* 17 monisti *L* : monuistis *codices* 20 si *A* : *om BC* illud *C* : istud *AB* 26 ipse — manifestus *B* : ipsũ — manifestũ (*in rasura*) *A*

lum nostrum patiar hac vestra conspiratione damnari. Sed hoc primum interrogabo, quos vocetis antiquos, quam oratorum aetatem significatione ista determinetis. Ego enim cum audio antiquos, quosdam veteres et olim natos intellego; ac mihi versantur ante oculos Vlixes ac Nestor, quorum aetas mille fere et trecentis annis saeculum nostrum antecedit: vos autem Demosthenem et Hyperidem profertis, quos satis constat Philippi et Alexandri temporibus floruisse, ita tamen ut utrique superstites essent. Ex quo apparet non multo plures quam trecentos annos interesse inter nostram et Demosthenis aetatem. Quod spatium temporis si ad infirmitatem corporum nostrorum referas, fortasse longum videatur; si ad naturam saeculorum ac *cum* respectu immensi huius aevi, perquam breve et in proximo est. Nam si, ut Cicero in Hortensio scribit, is est magnus et verus annus, quo eadem positio caeli siderumque, quae cum maxime est, rursum existet, isque [annus] horum quos nos vocamus annorum duodecim milia nongentos quinquaginta quattuor complecitur, incipit Demosthenes vester, quem vos veterem et antiquum fingitis, non solum eodem anno quo nos, sed fere eodem
17 mense extitisse. Sed transeo ad Latinos oratores, in quibus non Menenium, ut puto, Agrippam, qui potest videri antiquus, nostrorum temporum disertis anteponere soletis, sed Ciceronem et Caesarem et Caelium et Calvum et Brutum et Asinium et Messalam; quos quid *agentes* antiquis temporibus potius ascribatis quam nostris, non video. Nam ut de Cicerone ipso loquar, Hirtio nempe et Pansa consulibus, ut Tiro, libertus eius, scripsit, septimum idus Decembres occi-

1 ac uestra *A* 5 Vlixes *A*, Vlyxes *B* ac *AB*: et *C* Mnestor *C* 7 Hypericlem *A* proferitis *B*, proferatis *A* 13 *cum respectu: respectum *codices*, respectu *Spengel* 15 ait scribit (ait *linea subducta deletum*) *A* 17 *[annus] duodecim — quattuor *Nic. Lo ensis* XII. VIII. (VIII *BC*) LIIII. (LIIII^{or} *C*) *ABC* 20 non solum *A* fere *A*: fama *B* (*C* nos et fama sed eodem), uere *Spengel*, ferme *Bekker* 22 non me nimium *BC* antiquos *BC* 24 coelium *A*, alium *BC* 25 *agentes antiquis: antiquis *codices*, cur *Puteolanus* 27 ipse *C* 28 tyro *A* VII^{mū} *B* (*ut ego coniectura olim scripsi*: VII. *A*, VII°. *C*) Decembres *L*: *om codices*, *C cum vacuo spatio*

sus est, quo anno divus Augustus in locum Pansae et Hirtii se et Q. Pedium consules suffecit. Statue sex et quinquaginta annos, quibus mox divus Augustus rem publicam rexit; adice Tiberii tres et viginti, et prope quadriennium Gai, ac bis quaternos denos Claudii et Neronis annos, atque illum Galbae et Othonis et Vitellii longum et unum annum, ac sextam iam felicis huius principatus stationem, qua Vespasianus rem publicam fovet: centum et viginti anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur, id est unius hominis aetas. Nam ipse ego in Britannia vidi senem, qui se fateretur ei pugnae interfuisse, qua Caesarem inferentem arma Britanni arcere litoribus et pellere aggressi sunt. Ita si eum, qui armatus C. Caesari restitit, vel captivitas vel voluntas vel fatum aliquod in urbem pertraxisset, idem et Caesarem ipsum et Ciceronem audire potuit et nostris quoque actionibus interesse. Proximo quidem congiario ipsi vidistis plerosque senes, qui se a divo quoque Augusto semel atque iterum accepisse congiarium narrabant. Ex quo colligi potest et Corvinum ab illis et Asinium audiri potuisse: nam Corvinus in medium usque Augusti principatum, Asinius paene ad extremum duravit. Ne dividatis saeculum, et antiquos ac veteres vocetis oratores, quos eorundem hominum aures agnoscere ac velut coniungere et copulare potuerunt. Haec ideo praedixi, ut si 18
qua ex horum oratorum fama gloriaque laus temporibus adquiritur, eandem docerem in medio sitam et propiorem nobis quam Servio Galbae *aut C. Laelio* aut C. Carboni, quosque alios merito antiquos vocaverimus: sunt enim horridi et impoliti et rudes et informes et quos utinam nulla *in* parte

2 sex *L* : nouem *codices* 5 Caii *A* 6 illum *Halm* : istum *AB*, ipsum *C*, unum *corr A* 8 uiginti *Farnesianus* : decem *AB* (*cf. c.* 24) 9 id est *Schopen* : *om codices* (*cf. c.* 3. 9. 22) 11 fatebatur *C*, *non AB* ei *Muretus* : et *codices* 12 *Britanni : Britanniae *codices* 14 idem *R* : et quidem *codices* (aeque idem *Spengel*) et Caesarem *BC* : caesarem *A* 16 cogiario — cogiarium *C* 19 audire *B* Coruinius *C* Corvinus — Asinius] Asinius — Corvinus *Borghesi* in medium] in extremum *Nipperdey* 20 pene *A* 21 uocitatis *C*, *non AB* 26 Sergio *A* *aut C. Laelio : *om codices* (*cf. c.* 25) 28 *nulla in : nulla *AB*, in nulla *C*

imitatus esset Calvus vester aut Caelius aut ipse Cicero. Agere enim fortius iam et audentius volo, si illud ante praedixero, mutari cum temporibus formas quoque et genera dicendi. Sic Catoni seni comparatus C. Gracchus plenior et uberior, sic Graccho politior et ornatior Crassus, sic utroque distinctior et urbanior et altior Cicero, Cicerone mitior Corvinus et dulcior et in verbis magis elaboratus. Nec quaero quis disertissimus: hoc interim probasse contentus sum, non esse unum eloquentiae vultum, sed in illis quoque quos vocatis antiquos plures species deprehendi, nec statim deterius esse quod diversum est, vitio autem malignitatis humanae vetera semper in laude, praesentia in fastidio esse. Num dubitamus inventos qui prae Catone Appium Caecum magis mirarentur? Satis constat ne Ciceroni quidem obtrectatores defuisse, quibus inflatus et tumens nec satis pressus, sed supra modum exultans et superfluens et parum Atticus videretur. Legistis utique et Calvi et Bruti ad Ciceronem missas epistulas, ex quibus facile est deprehendere Calvum quidem Ciceroni visum exanguem et aridum, Brutum autem otiosum atque diiunctum; rursusque Ciceronem a Calvo quidem male audisse tamquam solutum et enervem, a Bruto autem, ut ipsius verbis utar, tamquam fractum atque elumbem. Si me interroges, omnes mihi videntur verum dixisse: sed mox ad singulos veniam, nunc mihi cum universis negotium
19 est. Nam quatenus antiquorum admiratores hunc velut terminum antiquitatis constituere solent qui.. usque ad Cassium, quem reum faciunt, quem primum affirmant flexisse ab illa

1 Caluius *B* coelius *A*, *ut solet* 2 illud *C*: istud *AB* 4 comperatus *pr B* 9 in *om BA* 13 prae *Groslotius*: pro *codices* 16 Atticus *Muretus*: antiquus *codices* uidetur *C* 18 epistolas *A(BC) pro more suo* 19 aridum *Schulting*: attritum *codices* 20 ociosum *A* diiunctum *B et Farnesianus*: deiunctum *A* quidē a caluo *A* 21 a Bruto quidem autem *B* 23 interroges *AB*: interrogas *Farnesianus* 24 uenias *B* 26 *qui..: qui *BC*, an q *A* (*expleveris* qui patescit *vel* pertinet) Cassium *ABC*: Cassium Seuerum *Vaticani* 1518 *et* 4498 27 [quem r. faciunt] *Peerlkamp* ista *B pr A*

vetere atque directa dicendi via, non infirmitate ingenii nec inscitia litterarum transtulisse se ad illud dicendi genus contendo, sed iudicio et intellectu. Vidit namque, ut paulo ante dicebam, cum conditione temporum et diversitate aurium formam quoque ac speciem orationis esse mutandam. Facile perferebat prior ille populus, ut imperitus et rudis, impeditissimarum orationum spatia, atque id ipsum laudabat, si dicendo quis diem eximeret. Iam vero longa principiorum praeparatio et narrationis alte repetitae series et multarum divisionum ostentatio et mille argumentorum gradus, et quicquid aliud aridissimis Hermagorae et Apollodori libris praecipitur, in honore erat; quod si quis odoratus philosophiam videretur atque ex ea locum aliquem orationi suae insereret, in caelum laudibus ferebatur. Nec mirum: erant enim haec nova et incognita, et ipsorum quoque oratorum paucissimi praecepta rhetorum aut philosophorum placita cognoverant. At Hercule pervulgatis iam omnibus, cum vix in cortina quisquam assistat qui *non* elementis studiorum, etsi non instructus, at certe imbutus sit, novis et exquisitis eloquentiae itineribus opus est, per quae orator fastidium aurium effugiat, utique apud eos iudices, qui vi et potestate, non iure aut legibus cognoscunt, nec accipiunt tempora, sed constituunt, nec expectandum habent oratorem, dum illi libeat de ipso negotio dicere, sed saepe ultro admonent atque alio transgredientem revocant et festinare se testantur. Quis nunc feret oratorem de infirmitate valitudinis suae praefantem? qualia sunt fere principia Corvini. Quis quinque in Verrem libros expectabit? Quis de

1 directa dicendi *BC* : dicendi directa *A* 4 condicione *A* 5 ac *BC* : et *A* 6 ille *C* : iste *AB* 7 impeditissimarum *Muretus* : imperitissimarum *codices* 8 laudi dabatur quis diem eximeret *C* 9 narrationum *Spengel* *repetitae : repetita *codices* 10 multa *Spengel* 13 uidetur *BC* atque *BC* : et *A* 14 insereret *B*, inserere *A*, inseret *C* ferebantur *B* 15 erat *C* 18 *qui non : qui *codices* (quin *Heumann*) 20 itineribus *BC* : generibus *pr A* 22 qui et potestate *B* iure et *C* 23 et accipiunt ꝙ tempora *C* expectandum *BC* : expectãtẽ *A* 24 negocio *A* 28 quis exceptione *B*, quis excepte *C*

exceptione et formula perpetietur illa immensa volumina quae pro M. Tullio et Aulo Caecina legimus? Praecurrit hoc tempore iudex dicentem, et nisi aut cursu argumentorum aut colore sententiarum aut nitore et cultu descriptionum invitatus et corruptus est, aversatur dicentem. Vulgus quoque assistentium et affluens et vagus auditor assuevit iam exigere laetitiam et pulchritudinem orationis; nec magis perfert in iudiciis tristem et impexam antiquitatem, quam siquis in scena Roscii aut Turpionis [aut Ambivii] exprimere gestus velit. Iam vero iuvenes et in ipsa studiorum incude positi, qui profectus sui causa oratores sectantur, non solum audire sed etiam referre domum aliquid illustre et dignum memoria volunt, traduntque in vicem ac saepe in colonias et provincias suas scribunt, sive sensus aliquis arguta et brevi sententia effulsit, sive locus exquisito et poetico cultu enituit. Exigitur enim iam ab oratore etiam poeticus decor, non Accii aut Pacuvii veterno inquinatus, sed ex Horatii et Vergilii et Lucani sacrario prolatus. Horum igitur auribus et iudiciis obtemperans nostrorum oratorum aetas pulchrior et ornatior extitit. Neque ideo minus efficaces sunt orationes nostrae, quia ad aures iudicantium cum voluptate perveniunt. Quid enim, si infirmiora horum temporum templa credas, quia non rudi caementō et informibus tegulis extruuntur,
21 sed marmore nitent et auro radiantur? Equidem fatebor vobis simpliciter me in quibusdam antiquorum vix risum, in quibusdam autem vix somnum tenere. Nec *curo* unum de populo, Ca-

1 ista *B pr A* imensa *B* 2 aut Aulo *C* cecina *A* 5 aduersatur *C* dicentes *B* 6 et uagus et affluens *A* 7 praefert *C* 9 scena *Frobeniana* a. 1519: scenam (anā *pr B*) *codices* *[aut Ambiuii] (Turpionis Ambiuii *L*) 11 non *BC*: nec *A* adire *C* 14 sensus *Muretus*: in suis *codices* 15 effulxit *A* 16 exigitur *L*: exigetur *C*, exercetur *A et corr B*, exercitur *pr B* enim *om Farnesianus* 17 Acii *B* paucubii *A* inclinatus *C* Oracii *pr B* 19 optemperans *A* 23 cemento *A* 24 fatebor *AB*: fateor ς uobis semper me *C* 26 *nec curo unum: nec unum *codices* Canutium aut Arrium *Gronovius*: Canuti aut atti *ABC*

nutium aut Arrium, denique Furnios aut Toranios, quique alii in eodem valitudinario haec ossa et hanc maciem praebent: ipse mihi Calvus, cum unum et viginti, ut puto, libros reliquerit, vix in una et altera oratiuncula satisfacit. Nec dissentire ceteros ab hoc meo iudicio video: quotus enim quisque Calvi in Asitium aut in Drusum *libros* legit? At hercle in hominum studiosorum manibus versantur accusationes quae in Vatinium inscribuntur, ac praecipue secunda ex iis oratio: est enim verbis ornata et sententiis, auribus iudicum accommodata, ut scias ipsum quoque Calvum intellexisse quid melius esset, nec voluntatem ei, quin sublimius et cultius diceret, sed ingenium ac vires defuisse. Quid ex Caelianis orationibus *nitet?* nempe eae placent, sive universae sive partes earum, in quibus nitorem et altitudinem horum temporum agnoscimus: sordes autem rubigoque verborum et hians compositio et inconditi sensus redolent antiquitatem; nec quemquam adeo antiquarium puto, ut Caelium ex ea parte laudet qua antiquus est. Concedamus sane C. Caesari, ut propter magnitudinem cogitationum et occupationes rerum minus in eloquentia effecerit quam divinum eius ingenium postulabat, tam hercle quam Brutum philosophiae suae relinquamus: nam in orationibus minorem esse fama sua etiam admiratores eius fatentur, nisi forte quisquam aut Caesaris pro Decio Samnite aut Bruti pro Deio-

1 *denique Furnios aut Toranios (uel Furnios et Toranios *Nipperdey*): de furnio et toranio *A*, de furnio et Coranio *BC* 2 alii *L* : alios *codices* ualetudinario *Farnesianus* 3 *praebent : probant *codices* Caluus ut unum *C* unum et XX. *A* 6 Asinium *L*, Ascitium *Muretus* *libros legit : legit *codices* (*cf. v.* 4 *et pag.* 709 *v.* 1 ceterosque —libros legit, *tum c.* 39) 7 omnium *Acidalius* 8 inscribuntur *L* : conscribuntur *AB*, scribuntur *ς* 9 his *BC* 11 *quin sublimius : quo sublimius (sullimius *A*) *codices* (quo minus sublimius *Halm; cf.* 3 27 *et* 67, 4 70, 6 12, 11 22 *et* 34, 12 6 *et* 32 *et* 54, 13 14, 14 33, 15 39 *et* 44 *et* 57 *cet.*) 13 *nitet? nempe : nempe *codices* uniuersae siue partes earum *Pithoeus* : uniuersa parte seru̅ (*corr A* in uniuersa, *tum* seu̅ *pro* seru) *ABC* 15 *rubigoque : regulae *ABC* (*in A linea subducta est*), illae *Farnesianus* (*cf. c.* 22) 16 reddent *C* 20 eloquentiam *C*

taro rege ceterosque eiusdem lentitudinis ac teporis libros legit; *nemo sane*, nisi qui et carmina eorundem miratur. Fecerunt enim et carmina et in bybliothecas rettulerunt, non melius quam Cicero sed felicius, quia illos fecisse pauciores sciunt. Asinius quoque, quamquam propioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenios et Appios studuisse. Pacuvium certe et Accium non solum *in* tragoediis sed etiam orationibus suis expressit; adeo durus et siccus est. Oratio autem, sicut corpus hominis, ea demum pulchra est, in qua non eminent venae nec ossa numerantur, sed temperatus ac bonus sanguis implet membra et exurgit toris ipsosque nervos rubore tegit et decore commendat. Nolo Corvinum insequi, quia nec per ipsum stetit quo minus laetitiam nitoremque nostrorum temporum exprimeret ...., viderimus, in quantum iudicio eius vis aut animi aut ingenii suffecerit.

22 Ad Ciceronem venio, cui eadem pugna cum aequalibus suis fuit quae mihi vobiscum est. Illi enim antiquos mirabantur, ipse suorum temporum eloquentiam anteponebat; nec ulla re magis oratores aetatis eiusdem praecurrit quam iudicio. Primus enim excoluit orationem, primus et verbis delectum adhibuit et compositioni artem; locos quoque laetiores attemptavit et quasdam sententias invenit, utique in iis orationibus quas iam senior et iuxta finem vitae composuit, id est, postquam magis profecerat usuque et experimentis didicerat quod optimum dicendi genus esset. Nam priores eius orationes non carent vitiis antiquitatis: lentus

1 teporis *L* : tp̃is *A*, temporis *B* 2 *nemo sane, nisi : nisi *codices* (*Wurm* quos nemo legit, nisi) 3 bybliothecas *A* : bibliothecas (*BC*) 4 illos *in rasura A* : istos *B* 5 prioribus *C* 7 actium *A* *solum in : solum *codices* 11 exurgit *sic A* 12 rubore *BC* : rubor *A*, robur *corr A* decore *L* : decor *codices* 14 ....,*uiderimus : uiderimus *codices* (*expleo* ualitudo corporis si suffecisset, uiderimus; *cf. capitis* 20 *initium*) in quantum *L* : inquam *codices* (inquam *A*, inq̃ *C*) 19 magis eiusdem aetatis oratores *C* 20 ex uerbis *A*, *non BC* 21 locos quoque *BC* : locosque *A* letiores *A*, lectiores *C* 22 attentauit *A* 23 iam senior *B* : iã senior *A*, senior iam *C* (*cf. H.* 1 49) iusta *A* 24 idest *A*, i. *C* 25 esse *Acidalius* : est *codices*

est in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus; tarde commovetur, raro incalescit; pauci sensus apte et cum quodam lumine terminantur. Nihil excerpere, nihil referre possis, et velut in rudi aedificio, firmus sane paries et duraturus, sed non satis expolitus et splendens. Ego autem oratorem, sicut locupletem ac lautum patrem familiae, non tantum eo volo tecto tegi quod imbrem ac ventum arceat, sed etiam quod visum et oculos delectet; non ea solum instrui supellectile quae necessariis usibus suffiat, sed sit in apparatu eius et aurum et gemmae, ut sumere in manus et aspicere saepius libeat. Quaedam vero procul arceantur ut iam obliterata et olentia: nullum sit verbum .. vel rubigine infectum, nulli sensus tarda et inerti structura in morem annalium componantur; fugitet foedam et insulsam scurrilitatem, variet compositionem, nec omnes clausulas uno et eodem modo determinet. Nolo inridere 'rotam Fortunae' 23 et 'ius Verrinum' et illud tertio quoque sensu in omnibus orationibus pro sententia positum 'esse videatur.' Nam et haec invitus rettuli et plura omisi, quae tamen sola mirantur atque exprimunt ii qui se antiquos oratores vocant. Neminem nominabo, genus hominum significasse contentus: sed vobis utique versantur ante oculos illi, qui Lucilium pro Horatio et Lucretium pro Vergilio legunt, quibus eloquentia Aufidii Bassi aut Servilii Noniani ex comparatione Sisennae aut Varronis sordet, qui rhetorum nostrorum commentarios

3 apte et *Acidalius* : opt. et *AB* (*interest spatium vacuum trium fere litterarum in A*), optet *C* lumine *A* 4 referre domum *potius*, *cf. c.* 20 6 lautum *L* : laudatum *codices* 7 non eo tantum uolo *C* uentum *corr A*, *prior* tectum 9 supellectili *C* 11 ut asp. *C ac Farnesianus* libeat *Agricola* : liceat *codices* 12 arceantur *L* : arcentur *codices* (*fortasse* arcebuntur) oblitterata *C*, *non AB* 13 ..*uel : uel *BC et corr A*, qd *pr A* (*expleo* uel sorde uel rub.; *Rhenanus* uelut) 17 uerrinum *C* : uetrinum *AB* istud *B* 19 inuitatus *A*, inuitatus *BC* retuli *A*(*BC*) 20 uocant *L* : uocabant *codices* 22 illi *Halm* : isti *codices* (*in rasura A*) 24 Aufidii *Acidalius* : tui fidi *AB*, cui Aufidi *C*, tui Aufidii *Puteolanus* nouiani *corr A*

fastidiunt [oderunt], Calvi mirantur. Quos more prisco apud iudicem fabulantes non auditores sequuntur, non populus audit, vix denique litigator perpetitur: adeo maesti et inculti illam ipsam, quam iactant, sanitatem non firmitate quadam sed ieiunio consequuntur. Porro ne in corpore quidem valitudinem medici probant quae animi anxietate contingit; parum est aegrum non esse: fortem et laetum et alacrem volo. Prope abest ab infirmitate, in quo sola sanitas laudatur. Vos vero, disertissimi viri, ut potestis, ut facitis, illustrate saeculum nostrum pulcherrimo genere dicendi. Nam et te, Messala, video laetissima quaeque antiquorum imitantem, et vos, Materne ac Secunde, ita gravitati sensuum nitorem et cultum verborum miscetis, ea electio inventionis, is ordo rerum, ea, quotiens causa poscit, ubertas, ea, quotiens permittit, brevitas, is compositionis decor, ea sententiarum planitas est, sic exprimitis affectus, sic libertatem temperatis, ut etiamsi nostra iudicia malignitas et invidia tardaverit, ve-
24 rum de vobis dicturi sint posteri nostri.' Quae cum Aper dixisset, 'agnoscitisne' inquit Maternus 'vim et ardorem Apri nostri? Quo torrente, quo impetu saeculum nostrum defendit. Quam copiose ac varie vexavit antiquos! quanto non solum ingenio ac spiritu, sed etiam eruditione et arte ab ipsis mutuatus est per quae mox ipsos incesseret! Tuum tamen, Messala, promissum immutasse non debet. Neque enim defensorem antiquorum exigimus, nec quemquam nostrum, quamquam modo laudati sumus, iis quos insectatus est Aper comparamus. Ac ne ipse quidem ita sentit, sed more vetere

1 [oderunt] *Heumann* : et.oderunt *A*, :oderunt *Farnesianus*, oderunt *C*(*B*) Calvi] L. Aelii *Nipperdey* (commentarii *ut* libri *sunt Calvi* orationes) 4 illam *in rasura A*, istam *B* *non firmitate quadam (non firmitate *Acidalius*) : infirmitatẽq; *AB*, infirmitatem *C* 5 consequentur *C* 8 Propie *C* solo *A* 9 uiri *Acidalius* : *om codices* (*cf.* 30 *et* 41) 10 seculum *A*(*BC*) 11 c letissima *A* 12 grauitate *Gronovius* 14 ea, quotiens *Wopkens* : et quotiens *codices* permittit *Spengel* : permittitur *codices* 15 plenitas *corr A* 23 incessere *C* 25 nostrum *Acidalius* : nostrorum *codices* 26 sumus usq; modo insectatus *C* 27 *uetere : ueteri *A et vulgo*

et a vestris philosophis saepe celebrato sumpsit sibi contradicendi partes. Igitur exprome nobis non laudationem antiquorum (satis enim illos fama sua laudat), sed causas cur tantum ab eloquentia eorum recesserimus, cum praesertim centum et viginti annos ab interitu Ciceronis in hunc diem effici ratio temporum collegerit.' Tum Messala: 'sequar praescriptam a te, Materne, formam. Neque enim diu contradicendum est Apro, qui primum, ut opinor, nominis controversiam movit, tamquam parum proprie antiqui vocarentur quos satis constat ante centum annos fuisse. Mihi autem de vocabulo pugna non est; sive illos antiquos sive maiores sive quo alio mavult nomine appellet, dummodo in confesso sit eminentiorem illorum temporum eloquentiam fuisse. Ne illi quidem parti sermonis eius repugno, quo minus fatear plures formas dicendi etiam isdem saeculis, nedum diversis extitisse. Sed quomodo inter Atticos oratores primae Demostheni tribuuntur, proximum [autem] locum Aeschines et Hyperides et Lysias et Lycurgus optinent, omnium autem concessu haec oratorum aetas maxime probatur, sic apud nos Cicero quidem ceteros eorundem temporum disertos antecessit, Calvus autem et Asinius et Caesar et Caelius et Brutus suo iure et prioribus et sequentibus anteponuntur. Nec refert quod inter se specie differunt, cum genere consentiant. Adstrictior Calvus, numerosior Asinius, splendidior Caesar, amarior Caelius, gravior Brutus, vehementior et plenior et valentior Cicero: omnes tamen eandem sanitatem eloquentiae ferunt, ut si omnium pariter libros in manum sumpseris, scias, quamvis in diversis ingeniis, esse quandam

1 uestris] uris *C* : nris *AB* celebrato phis saepe celebrato *A* (*priori* celebrato *linea subducta est*) 3 illos *in rasura A*, istos *B* 4 tantum *A* : in tantum ς recesserimus *C* : recessimus *AB* 5 centum et XX. *A* 6 colligitur *C* 7 a te] et *C* 10 constaret *C* 11 istos *AB* 12 alio quo ς 14 quo minus *Halm* : si quominus *corr A*, si cominus *C pr A*, cominus *B* fatear *Halm* : fatetur *codices* 15 seculis *A*(*BC*) 17 *[autem] 18 hypericles *A* ligurgus *A* 19 sic *corr A* : sicut *AC* 22 suo iure *L* : si uere *ABC*, si iure *corr A* 23 differunt *Halm* : differant *codices* 24 adstrictior *Acidalius* : at strictior *codices* 26 sanitatem *R* : sanctitatem *codices* 27 serunt *C* 28 sciam *C*

iudicii ac voluntatis similitudinem et cognationem. Nam quod in vicem se optrectaverunt et sunt aliqua epistulis eorum inserta ex quibus mutua malignitas detegitur, non est oratorum vitium sed hominum. Nam et Calvum et Asinium et ipsum Ciceronem credo solitos et invidere, et livore et ceteris humanae infirmitatis vitiis affici: solum inter hos arbitror Brutum non malignitate nec invidia, sed simpliciter et ingenue iudicium animi sui detexisse. An ille Ciceroni invideret, qui mihi videtur ne Caesari quidem invidisse? Quod ad Servium Galbam et C. Laelium attinet, et si quos alios antiquorum agitare non destitit, non exigit defensorem, cum fatear quaedam eloquentiae eorum ut nascenti adhuc nec
26 satis adultae defuisse. Ceterum si omisso optimo illo et perfectissimo genere eloquentiae eligenda sit forma dicendi, malim hercle C. Gracchi impetum aut L. Crassi maturitatem quam calamistros Maecenatis aut tinnitus Gallionis: adeo melius est oratorem vel hirta toga induere quam fucatis et meretriciis vestibus insignire. Neque enim oratorius iste, immo hercle ne virilis quidem cultus est, quo plerique temporum nostrorum oratores ita utuntur, ut lascivia verborum et levitate sententiarum et licentia compositionis histrionales modos exprimant. Quodque vix auditu fas esse debeat, laudis et gloriae et ingenii loco plerique iactant cantari saltarique commentarios suos. Vnde oritur illa foeda et praepostera, sed tamen frequens, sicut hiscunt, clausula et exclamatio, ut oratores nostri tenere dicere, histriones diserte saltare dicantur. Equidem non negaverim Cassium Severum, quem solum Aper noster nominare ausus est, si iis comparetur qui postea fuerunt, posse oratorem vocari, quamquam in magna parte librorum suorum plus vis habeat quam san-

1 cognationem *Beroaldus* : cogitationem *codices* 2 se *tollendum censet Nipperdey* 5 *liuore : liuere *codices* 7 Brutum] uerum *A*, utrum *BC* 10 sergium *A* 13 optimo *C* : opimo *AB* 17 *potius* hirtam togam, *mox* se insignire *vel* insigniri 20 *oratores : autores *A*, auctores *B*, actores *C* 24 forda *B* 25 *sicut hiscunt : sicut (*C* sic) his *codices* c*la (*h. e. clausula*) *C et Farnesianus* : clam *AB* 26 tenere *L* : temere *codices* 29 post se *B* 30 uis] *fortasse* uirium, *ut pag. seq. v.* 5 ipsarum uirium robore

guinis. Primus enim contempto ordine rerum, omissa modestia ac pudore verborum, ipsis etiam quibus utitur armis incompositus et studio feriendi plerumque deiectus, non pugnat sed rixatur. Ceterum, ut dixi, sequentibus comparatus et varietate eruditionis et lepore urbanitatis et ipsarum virium robore multum ceteros superat, quorum neminem Aper nominare et velut in aciem educere sustinuit. Ego autem expectabam, ut incusato Asinio et Caelio et Calvo aliud nobis agmen produceret, plurisque vel certe totidem nominaret, ex quibus alium Ciceroni, alium Caesari, singulis deinde singulos opponeremus. Nunc detrectasse nominatim antiquos oratores contentus neminem sequentium laudare ausus est nisi in publicum et in commune, veritus credo, ne multos laederet, si paucos excerpsisset. Quotus enim quisque scholasticorum non hac sua persuasione fruitur, ut se ante Ciceronem numeret, sed plane post Gabinianum? At ego 27
non verebor nominare singulos, quo facilius propositis exemplis appareat, quibus gradibus fracta sit et deminuta eloquentia.' 'Apage te *illinc*' inquit Maternus, 'et potius exolve promissum. Neque enim hoc colligi desideramus, disertiores esse antiquos, quod apud me quidem in confesso est, sed causas exquirimus, quas te solitum tractare paulo ante *professus es*, plane mitior et eloquentiae temporum nostrorum minime iratus, antequam te Aper offenderet maiores tuos lacessendo.'

'Non sum' inquit 'offensus Apri nostri disputatione: nam

1 contento *C* 3 studio *R* : studiis *codices* 6 multos *pr A* 7 uelut *corr A* : uult *B et pr A* 8 incusato *C* : incurato *A*, in curato *B* Cylio *B* 9 plerisque *C* 11 nunc *R* : non *codices* 13 ueritus *L* : ueritum *codices* 14 lędęp̄t *A*, offenderet (*BC*)ς 18 fracta *A* : freta *BC* diminuta *B*, dimunuta *A* 19 *apage te : appara te *AB*, *A* parte *C et corr B* *illinc inquit : inquit *codices* 20 hec *A* 21 me equidem *BC* in confesso sed *C* 22 *professus es : *om codices* (dixisti *L*) 23 mitior et eloquentiae *Schele* : mitiō̄ (mitiore *BC*) eloquentia et *ABC* 24 *minime : miratus *codices* (minus *Doederlein; cf. c.* 7 : minime fauorabili) 26 Apri nostri *Gronovius* : a prima (*pro* apri nr̄i) *codices* (Apri illa *Sillig*) nam nec uos *C*

et vos *non* offendi decebit, siquid forte aures vestras perstringat, cum sciatis hanc esse eiusmodi sermonum legem, iudicium animi citra damnum affectus proferre.'

'Perge' inquit Maternus, 'et cum de antiquis loquaris, utere antiqua libertate, a qua vel magis degeneravimus quam ab eloquentia.'

28 Cui Messala: 'non reconditas, Materne, causas requiris, nec aut tibi ipsi aut huic Secundo vel huic Apro ignotas, etiamsi mihi partes assignatis proferendi in medium quae omnes sentimus. Quis enim ignorat et eloquentiam et ceteras artes descivisse ab illa vetere gloria non inopia hominum, sed desidia iuventutis et neglegentia parentum et inscientia praecipientium et oblivione moris antiqui? Quae mala primum in urbe nata, mox per Italiam fusa, iam in provincias manant. Quamquam vestra vobis notiora sunt: ego de urbe et his propriis ac vernaculis vitiis loquar, quae natos statim excipiunt et per singulos aetatis gradus cumulantur, si prius de severitate ac disciplina maiorum circa educandos formandosque liberos pauca praedixero. Iam primum suus cuique filius, ex casta parente natus, non in cella emptae nutricis sed gremio ac sinu matris educabatur, cuius praecipua laus erat tueri domum et inservire liberis. Eligebatur autem maior aliqua natu propinqua, cuius probatis spectatisque moribus omnis eiusdem familiae suboles committeretur; coram qua neque dicere fas erat quod turpe dictu, neque facere quod inhonestum factu videretur; ac non studia modo curasque, sed remissiones etiam lususque puerorum sanctitate quadam ac verecundia temperabat. Sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Caesaris, sic Atiam Augusti matrem praefuisse educationibus ac produxisse principes li-

1 *non offendi : offendi *codices* offendi dedecebit *Spengel et Nolte* perstringit *C* 3 circa *C* 4 et *B* : *om A* 5 *qua *A*, qua *BC* 7 cui *Halm* : qui *B pr A*, Tũ *corr A*, Et *C* 9 et iam si *B* 14 in *ante* prov. *A* : *om BC* 16 his] iis *A*, huius *vel* huic *Spengel* 18 prius a seuer. *BC* 19 primum *R* : pridem *codices* (nam pridem *Spengel*) 20 cella *Puteolanus* : cellam *codices* 22 erit *B* 24 soboles *A* 25 coram quia *C* discere *BC* 29 *fortasse* C. Caesaris Atiam *Ernesti* : actiam *A*, Acciam *BC*

beros accepimus. Quae disciplina ac severitas eo pertinebat, ut sincera et integra et nullis pravitatibus detorta unius cuiusque natura toto statim pectore arriperet artes honestas et, sive ad rem militarem sive ad iuris scientiam sive ad eloquentiae studium inclinasset, id solum ageret, id universum hauriret. At nunc natus infans delegatur Graeculae alicui anicillae, cui adiungitur unus aut alter ex omnibus servis, plerumque vilissimus nec cuiquam serio ministerio accommodatus. Horum fabulis et amoribus [et virides] teneri statim et rudes animi imbuuntur; nec quisquam in tota domo pensi habet quid coram infante domino aut dicat aut faciat. Quin etiam ipsi parentes nec probitati neque modestiae parvulos assuefaciunt, sed lasciviae et dicacitati, per quae paulatim impudentia irrepit et sui alienique contemptus. Iam vero propria et peculiaria huius urbis vitia paene in utero matris concipi mihi videntur, histrionalis favor et gladiatorum equorumque studia: quibus occupatus et obsessus animus quantulum loci bonis artibus relinquit? Quotum quemque inveneris qui domi quicquam aliud loquatur? Quos alios adulescentulorum sermones excipimus, si quando auditoria intravimus? Ne praeceptores quidem ullas crebriores cum auditoribus suis fabulas habent: colligunt enim discipulos non severitate disciplinae nec ingenii experimento, sed ambitione salutationum et illecebris adulationis. Transeo prima discentium elementa, in quibus et ipsis parum laboratur: nam nec in auctoribus cognoscendis nec in evolvenda antiquitate nec in notitia vel rerum vel hominum vel temporum satis operae insumitur. Sed expetuntur quos rhetoras vocant; quorum professio

2 nullis *R* : in nullis *codices* partibus *corr. ead. m.* prauitatibus *A* 4 rem *C* : *om AB* 8 ministro *B* 9 *amoribus : erroribus *codices* *[et uirides] : et uirides *AB* (*in* A *linea subducta est*), et uires *C* 10 quisquam tota *potius* 12 nec probitati *A corr B* : improbitati *C pr B* 13 dicacitati *corr A*, bibacitati *BC pr A* 18 relinquitur *C* *inueneris : inuenires *B et pr A* : inuenies *corr A et Farnesianus* 21 ne *Gronovius* : nec *codices* ullas quidem *A* 25 elaboratur *edd. veteres* nam *Halm* : *om codices* autoribus *AB* 26 notitiã *C et pr A* 28 uocatis *pr B*

quando primum in hanc urbem introducta sit quamque nullam apud maiores nostros auctoritatem habuerit, statim dicturus, referam *nunc* necesse est animum ad eam disciplinam, qua usos esse eos oratores accepimus, quorum infinitus labor et quotidiana meditatio et in omni genere studiorum assiduae exercitationes ipsorum etiam continentur libris. Notus est vobis utique Ciceronis liber qui Brutus inscribitur, in cuius extrema parte (nam prior commemorationem veterum oratorum habet) sua initia, suos gradus, suae eloquentiae velut quandam educationem referre *suscepit*: se apud Q. Mucium ius civile didicisse, apud Philonem Academicum, apud Diodotum Stoicum omnes philosophiae partes penitus hausisse; neque iis doctoribus contentum, quorum ei copia in urbe contigerat, Achaiam quoque et Asiam peragrasse, ut omnem omnium artium varietatem complecteretur. Itaque hercle in libris Ciceronis deprehendere licet, non geometriae, non musicae, non grammaticae, non denique ullius artis ingenuae scientiam ei defuisse. Ille dialecticae suptilitatem, ille moralis partis utilitatem, ille rerum motus causasque cognoverat. Ita est enim, optimi viri, ita: ex multa eruditione et plurimis artibus et omnium rerum scientia exundat et exuberat illa admirabilis eloquentia; neque oratoris vis et facultas, sicut ceterarum rerum, angustis et brevibus terminis cluditur, sed is est orator, qui de omni quaestione pulchre et ornate et ad persuadendum apte dicere pro dignitate rerum, ad utilitatem temporum, cum voluptate audien-
31 tium possit. Hoc sibi illi veteres persuaserant, ad hoc efficiendum intellegebant opus esse, non ut in rhetorum scholis declamarent, nec ut fictis nec ullo modo ad veritatem acce-

2 habuit *B* dicturus *Gronovius* : de curiis *codices* 3 *nunc necesse : necesse *codices* (*cf. c.* 33 *et* 35) 4 quo ausos *BC* 6 exercitationis *B* 7 uobis *R* : nobis *codices* 10 *referre suscepit : referre *B*(*C*) *et Farnesianus*, referre *A* 11 Mutium *AC* achademicum *A*, *perinde infra duobus locis* 12 Diodotum *L* : Diodorum *codices* 13 neque iis *A*, neque his *C*, in iis *B* 18 iste dial. *et perinde statim B* 19 moralis *in rasura A* 22 exuberat *A* illa *C* : ista *AB* 23 angustiis *C* 27 hoc sibi *C* : haec s. *AB*

dentibus controversiis linguam modo et vocem exercerent, sed ut iis artibus pectus implerent, in quibus de bonis ac malis, de honesto et turpi, de iusto et iniusto disputatur: haec enim est oratori subiecta ad dicendum materia. Nam in iudiciis fere de aequitate, in deliberationibus de honestate disserimus, ita ut plerumque haec in vicem misceantur; de quibus copiose et varie et ornate nemo dicere potest, nisi qui cognovit naturam humanam et vim virtutum pravitatemque vitiorum et *induit* intellectum eorum quae neque in virtutibus neque in vitiis numerantur. Ex his fontibus etiam illa profluunt, ut facilius iram iudicis vel instiget vel leniat, qui scit quid sit ira, promptius ad miserationem impellat, qui scit quid sit misericordia et quibus animi motibus concitetur. In his artibus exercitationibusque versatus orator, sive apud infestos sive apud cupidos sive apud invidentes sive apud tristes sive apud timentes dicendum habuerit, tenebit venas animorum, et prout cuiusque natura postulabit, adhibebit manum et temperabit orationem, parato omni instrumento et ad omnem usum reposito. Sunt apud quos astrictum et collectum et singula statim argumenta concludens dicendi genus plus fidei meretur: apud hos dedisse operam dialecticae proficiet. Alios fusa et aequalis et ex communibus ducta sensibus oratio magis delectat: ad hos permovendos mutuabimur a Peripateticis aptos et in omnem disputationem paratos iam locos. Dabunt Academici pugnacitatem, Plato altitudinem, Xenophon iucunditatem: ne Epicuri quidem et Metrodori honestas quasdam exclamationes assumere,

1 exercent *BC* 2 iis] his *Puteolanus*, in iis *C*, in his *AB* 4 haec est enim *C* 5 in deliberationibus de utilitate, in laudationibus de honestate *Muretus et Vrsinus* 6 haec ipsa in uicem *C* 9 *induit intellectum : intellectum *codices*, int. habet *Schopen* 9 neque—neque *C et Farnesianus* : nec—nec *AB* 10 in uitiis *C* : uitiis *AB* continentur numerantur *pr A* 11 illa *C corr A* : ista *AB* 12 sit *Halm* : *om codices* ira *L* : irae *codd.* ad *C* : et *AB* misericordiam *L* 14 uersatus *R* : uersatur *codices* 17 postulaverit *C* 18 orationem *C*, omnem orationem *A* : omnem orationem *B* 19 astrictum *A* : ad strictum *B* 21 fidei *Puteolanus* : fidem *codices* 23 permouendos *C* : promouendos *AB* 24 mutuabimus a Peripathecis *B*

iisque prout res poscit uti alienum erit oratori. Neque enim sapientem informamus neque Stoicorum civitatem, sed eum qui quasdam artes haurire, omnes libare debet. Ideoque et iuris civilis scientiam veteres oratores comprehendebant, et grammatica et musica et geometria imbuebantur. Incidunt enim causae, plurimae quidem ac paene omnes, quibus iuris notitia desideratur, plerumque autem in quibus haec quoque
32 scientia requiritur. Nec quisquam respondeat sufficere ut ad tempus simplex quiddam et uniforme doceamur. Primum enim aliter utimur propriis, aliter commodatis, longeque interesse manifestum est, possideat quis quae profert an mutuetur. Deinde ipsa multarum artium scientia etiam aliud agentes nos ornat, atque ubi minime credas, eminet et excellit. Idque non doctus modo et prudens auditor sed etiam populus intellegit ac statim ita laude prosequitur, ut legitime studuisse, ut per omnes eloquentiae numeros isse eum, ut denique oratorem esse fateatur; quem non posse aliter existere neque extitisse umquam confirmo, nisi eum, qui tamquam in aciem omnibus armis instructus, sic in forum omnibus artibus armatus exierit. Quod adeo negligitur ab horum temporum disertis, ut in actionibus eorum vis quoque quotidiani sermonis, foeda ac pudenda vitia deprehendantur; ut ignorent leges, nec teneant senatus consulta, ius civitatis ultro derideant, sapientiae vero studium et praecepta prudentium penitus reformident, in paucis-

1 nō erit *A* 2 ciuitatem *BC et Farnesianus et in margine A* : artem *A et in margine B* 3 haurire, omnes libare *Bekker et Walther* : audire omnes liberaliter *codices* 4 ciuilis *BC* : *om A* (*cf. c.* 30 *et* 32) 5 *grammatica et : grammatice *BC et cum rasura in fine A* (*cf. c.* 4 *et* 5 *et* 30 *et* 31: dialecticae) *musica : musice *BC et cum rasura in fine A* *geometria : geometrie *pr B, cum rasura in fine A*, geometrice *C et corr B* (*cf. c.* 30: geometriae — scientiam) 6 pene *A* 7 plerumque *AB*, plerunque *C*, pleraeque *corr A* quoque *Farnesianus* : *om AB* 8 repitur *pr A* sufficere *Pithoeus* : sufficeret *codices* 9 deceamur *C* 10 enim *R* : autem *codices* 15 ita *B* : iam *A* ut legitime *corr A*, aut legitime *BC et pr A* 16 *isse eum, ut : isse (ipse *C*) et ut *codices*, isse ut *R* 18 neque *Farnesianus* : nec *A* 21 actoribus *B* 22 usquequaque *pro* uis quoque *Steiner*, uirus quoque *Orelli*, huius q. *Halm* 23 nec *AB*(*C*) : non *Farnesianus*

simos sensus et angustas sententias detrudant eloquentiam velut expulsam regno suo, ut quae olim omnium artium domina pulcherrimo comitatu pectora implebat, nunc circumcisa et amputata, sine apparatu, sine honore, paene dixerim sine ingenuitate, quasi una ex sordidissimis artificiis discatur. Ego hanc primam et praecipuam causam arbitror, cur in tantum ab eloquentia antiquorum oratorum recesserimus. Si testes desiderantur, quos potiores nominabo quam apud Graecos Demosthenem, quem studiosissimum Platonis auditorem fuisse memoriae proditum est? Et Cicero his, ut opinor, verbis refert, quicquid in eloquentia effecerit, id se non rhetorum in officinis sed Academiae spatiis consecutum. Sunt aliae causae, magnae et graves, quas a vobis aperiri aequum est, quoniam quidem ego iam meum munus explevi, et quod mihi in consuetudine est, satis multos offendi, quos, si forte haec audiverint, certum habeo dicturos me, dum iuris et philosophiae scientiam tamquam oratori necessariam laudo, ineptiis meis plausisse.'

Et Maternus 'mihi quidem' inquit 'susceptum a te mu- 33
nus adeo peregisse nondum videris, ut inchoasse tantum et *veteris eloquentiae* velut vestigia ac lineamenta quaedam ostendisse videaris. Nam quibus instrui *artibus* veteres oratores soliti sint dixisti, differentiamque nostrae desidiae et inscientiae adversus acerrima et fecundissima eorum studia demonstrasti: cetera expecto, ut quemadmodum ex te didici, quid aut illi scirent aut nos nesciamus, ita hoc quoque cognoscam, quibus exercitationibus iuvenes iam et forum ingressuri confirmare et alere ingenia sua soliti sint. Neque

2 utq; olim *C* 4 pene *A* 6 ego *AB(C)* : ergo *Farnesianus* arbitror *C* : arbitratus *AB* cur in] in *ABC*, cur *editi veteres* 7 recessimus *A* 12 officinis *Haase* : *codices om* (*cf. Cic. Orat.* 3) in *Halm* : *codices om* 13 a uobis *corr A* uobis *pr A cum ceteris* (*fortasse* uobis ab alio aperiri) aperiri *ultimum* i *in rasura A* 15 quos *Pithoeus* : quod *codices* 16 audiuerint *A* : audierint *BC* 21 *ueteris eloquentiae uelut : uelut *codices* (*cf.* 721 5) liniamenta *A* 22 *instrui artibus (artibus instrui *praeivit Schopen*) : instrui *codices* (*cf. H.* 4 56) 23 sunt (= *sint*) *A* 24 inscientiae *R* : scientiae *codices* foecundissima *A* 27 ingressuri *AB* : ingressi *C* 28 sũt (= *sint*) *A*

enim tantum arte et scientia sed longe magis facultate et usu eloquentiam contineri, nec tu puto abnues et hi significare vultu videntur.'

